

PHILOSOPHIAE
NATURALIS
INSTITUTIONUM
LIBRI TRES.

*In Neapolitanæ Juventutis emolumentum
majori, qua potuit, diligentia*

A PETRO MARTINO

ASTRONOMIE, NAUTICÆQUE
IN NEAPOLITANA SCHOLA
REGIO PROFESSORE:

NECNON INSTITUTI BONONIENSIS SOCIO
Concinnati.

TOMUS PRIMUS

*Librum Primum de Corpore in genere,
eiusque affectionibus præcipuis
continens.*



Excudebat FELIX CAROLUS Mosca sumptibus
CAJETANI ELIE. Superioribus annuentibus.
NEAPOLI ccccccxxviii.

MONITA QUÆDAM AD LECTOREM.

IN quaestione de justa virium extimatione, quam Capite III. Sectionis Secundæ Libri I. persequutus sum, placuit mibi oam tenere sententiam, que vult vim Corporum velocitatis ipsi proportionalē esse; adeoque curavi eus refellere, quibus persuasum est vim Corporum mutari in duplicitate ratione velocitatis ipsorum. Deinde rem iterum consideranti plura alia in meostem venere, per quæ & confirmari sententia nostra, & contraria omnino labefactari possit. De his autem disertatiuncalam quamprimum edi Carabo.

In Capite IV. Sectionis III. Libri I. demonstrav̄ contra Petrum Fermatium tempus motus radii refracti non esse brevissimum. Idem ostendi eleganter potest ratione sequenti. Sit R radius incidentis (Fig. 63.) & AP radius refractus. Ducatur a puncto R ad punctum P recta linea RBP : dico tempus per viam refractionis RAP longius esse tempore per viam rectam RBP . Centris R & P radiis RB , PA describantur arcus BF , AD . Quoniam semitæ refractio-
nis $RA+AP$ major est cursu luminis recto RBP ; sublati primum partibus aequalibus RB , RF , tum vero partibus etiam aequalibus PA , PD : supererit pars AF semitæ refractæ major parte BD cursus luminis recti. Atqui si refractione fiat versus perpendicularē, ut in schemate supponitar, lux tardius moveretur ante incidentiam, velocius post refractionem,

utem, quemadmodum eodem Capite demonstratum est: quare quoniam & iter AF longius sit itinere BD, & velocitas cum qua illud à luce describitur minor sit velocitate, cum qua ab eadem luce describitur hoc alterum, necesse est ut tempus per AF multo longius sit tempore per BD: Quamque aequalia sint itum tempora per RB, RF, quam tempora per PAi PD; profecto aequalia in aequalibus addendo, fit tempus per RA+AP longius tempore per RBP. Et quoniam eadem demonstratio locum habet, si refractione fiat a perpendiculari, consequitur falsum omnino esse postulatum de minimo tempore, quod ad lucis refractiones exquarendas adsumpscrat Fermatius.

Eruunt fortasse, qui Fermatum tueantur simplicitate Natura, ad quam & ipse etiam respexit se videtur. Dicent enim quoniam Natura simplicitate & brevitate mirum in mudum delicitetur, cujas simplicitatis innamera eaque luculentissima exempla peri possunt ab historia Natura; luci autem concessum minime sit in refractione a loco ad locum via brevissima venire, ut profecto contingit in reflexione; aquum sane est, ut ea tempore brevissimo de loco ad locum progrediatur. Sed nos Naturam simplicitati, brevitatiique magnopere studere non diffidentes, negamus ejus simplicitatem requirere, ut in refractione tempus sit minimum. Quid autem illa postulet, & quale sit refractionis minimum, quoniam nemini adhuc divinare licuit, brevissime lic edisseram.

Constat in motu tria passim considerari, spatium a mobile descriptum, velocitatem cum qua mobile progressum, & tempus quo tempore spatium describitur. Jam si refractionis minimum vel quadratur in spatio solo, vel in sola velocitate, vel in solo tempore, cuiusvis inquisitio frustanea erit: quod procul dubio

dubio in causa fuit, quare refractionis minimam
radius cluserit Geometrarum industrium. Ego enim
reperi in refractione minimam vel a spatio & velo-
citate, vel a spatio & tempore, vel denique a tem-
pore & velocitate esse reperendum.

Nempe si R sit locus, unde lux manat, & P
locus illustrans, BA vero superficies dirimens me-
dia duo, inversi refractionem factum iri in tali pun-
cto A , ut summa productorum que sunt ex radice
 RA , AP in suas respective velocitates ducatis sit
omnium minima; hoc est si a designet velocitatem
incidentiam, & b velocitatem emergentiam, deman-
stravi quantitatem RA . $a + AP \cdot b$ minorem esse
quavis alia quantitate similiter constituta, puta RB .
 $a + BP \cdot b$. Pone enim radius incidentem $RA = x$,
refractum $AP = y$, velocitatem lucis incidentis = a ,
velocitatem vero emergentis = b . Quam quantitas
 $ax + by$ esse debet omnium minima, oportebit ut fra-
xio ipsius $adx - bdy$ sit = 0: & consequenter ut se-
babes dx ad dy ita erit b ad a . Atqui dx ad dy est
ut sinus anguli incidentiae ad sinus anguli refrac-
tionis: quare prior sinus ad posteriorem erit ut b
ad a , sive ut refracta lucis velocitas ad velocitatem
incidentis. Quod quam a refractione radiorum lu-
cis minime alienum sit, sequitur veram esse hypo-
thesim unde veritas ista manavit.

Es enim animorum , ingeniorumque naturale
quoddam quasi pabulum consideratio , con-
templatioque *Natura* . Erigimur , clariores
fieri videatur , humana despiciens , cogi-
tantesque supera , atque cœlestia , hæc nostra
ut exigua & minima contemnimus . Inda-
gatio ipsa rerum tum maximarum , tum
etiam occultissimarum habet oblationem .
Si vero aliquid occurret , quod verisimile
videatur , humanissima complectur animus
delectate.

Tullius Acad. QQ. Libro IV.

IN TRES LIBROS INSTITUTIONUM PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROLEGOMENA.

1. Nam sub *Philosophia Naturalis* nomine hisce Institutionibus tradere adgredimur disciplinam, hanc Græci Philosophantes *Physicam* appellaverunt; aptissimo quidem vocabulo. Quemadmodum enim *Physica* idem sonat ac scientia differens de Natura, sive de corporibus, quæ constituunt Naturam; ita *Philosophia Naturalis* proprium munus est corporum facultates investigare, earumque vires expendere. Duo bus autem præcipuis fundamentis res omnis *Physica* innititur, *Rationi* nempe, atque *Experientia*, quæ quidem ita comparatae sunt, ut interdum rationi præueat experientia, interdum vicissim ratio experientiae faciem præferat. Quod si quis isthæc duo, quæ diximus, arctissimis vinculis inter se connexa separare, atque dividellere contendat, is ipsi Naturæ vim procul dubio inferre videbitur.

2. Sunt enim, qui in *Physicis rationi* plurimum deferant, nihil experientiae; sunt qui vicissim rationum momentis susque deque habitis semper ad experimenta confugiant. Ultrorumq; consilium haud satis laudabile, immo absurdum mihi videtur. Enim vero in *Physicis*

A ratio

2 P R O L E G O M E N A.

ratio (quo nomine causas eorum omnium , quæ accidunt in Natura indigitamus) plerumque in abdito est , perpetuisque tenebris ipsa maneret obvoluta , nisi ab experimentorum luce collustraretur . Solis vero experimentis confidere periculosum plerumque est ; nam interdum experimenta imponunt ipsis cordatis viris , ne dum incutis , indoctisque . Quo minus mirandum , si nos in nostris hisce *Naturalis Philosophiae* institutionibus experientiam cum ratione , atque hanc cum illa consoziare semper curabimus .

3. Quæ quum ita sint , nihil deinceps Principiis loco erimus assumpturi , quod non dum ex phænomenis deductum fuerit , deinde verò ratione confirmatum . Quod si aliquando accidat , ut Phænomena luculentissima sint , atque apertissima : tunc etiam si nulla occurrat rei , qua de agitur , probabilis ratio , non ed minus rem illam , tanquam certissimam habebimus . A communiscedis hypothesibus , aut omnino abstinebimus , aut si aliquas recipiemus , eas habebimus loco qualitatum , de quarum veritate disputandum nobis sit . Ita siet , ut à *Cartesiana* philosophandi methodo , quæ hypothesibus , atque conjecturis mirum in modum delegatur , quam longissime recedamus . Sed vitabimus etiam *Scholasticorum* qualitates occultas , quibus mediantibus corporum facultates ignota quadam ratione explicare ipsi conati sunt : nam istiusmodi qualitates neque nos doctiores faciunt , neque lucis quidquam adserunt rebus naturalibus .

4. Sed quod in principio fieri ab omnibus Philosophis consuevit , ut seṭam , in quam jurassent , indicarent , erunt fortasse , qui & à nobis id fieri efflagitent , eo consilio , ut cum quibus sentiamus , intelligant . Qui quidem etsi requirant id curiosius , quam oportet , tamen his paucis respondebimus . Primo autem profitemur judicij nostrum fore liberum , sic ut in nullius Philosophi seṭam simus juraturi : non quod eis assentiatur qui nihil percipi posse dicebant , quo nihil est stultius ; sed quod nullam putemus fuisse seṭam , quæ omne verum vidisset , nullam , quæ non aliquid ex vero .

Ita-

Itaque veritatem sparsam per singulos , perque seetas diffusam in corpus colligere , id verò arbitrabimur proprie ad nostrum institutum pertinere . Tum quoniam plurimi ante nos eamdem viam ingredi esse videntur , eos , tamquam duces , adsumere non pigebit : præsertim vero si qui de illa minime exorbitasse deprehendantur.

5. In philosophando autem tres regulas seṭtabimur , easdem , quas adhibuit omnium Philosophorum , & Geometrarum Princeps Isaac Newtonus . Prima regula est . *Causas rerum naturalium non plures admitti debere , quam quæ & verae sint , & Phænomenis explicandis sufficiant* . Itaque hæc regula vult primo , ut quod adfertur pro causa alicujus phænomeni sit verum . Qua de re peccant contra hanc regulam Scholastici , qui adscensum liquorum in tubos , unde aer ore exugitur , in horrorem vacui conjiciunt ; nam hic horror vacui falsus est , atque chimericus . Tum postulat , ut phænomenis satisfaciat : unde contra eamdem regulam peccant illi , qui adscensum liquorum in tubos capillares à gravitate , & pressione aeris deducunt . Verum enim est aerem gravem esse , subiectaque corpora premere ; sed pressio ista minus bene satisfacit phænomenis , quæ in adscensu liquorum in tubos capillares passim obliterantur . Denique præscribit eadem regula ut in causarum numero simus parciores : vulgo enim dicunt Philosophi *Naturam nihil agere frustra ; & frustra fieri per plura , quod fieri potest per pauciora :* & rectè : etenim natura simplex est , atque elegans , rerumque causis superfluis non luxuriat .

6. Secunda regula est . *Effectum naturalium eiusdem generis eadem sunt causa* . Hæc regula ex superiori consequitur : nam si natura rerum causis superfluis non luxuriat , profecto necesse est , ut effectum eiusdem generis eadem prorsus sint causa . Itaque qui respirationis in homine causam invenerit , is & in Bestia causam illam se invenisse existimat ; & similiter qui causam descensus lapidis in Europa detexerit , is eamdem causam in America se deprehendisse arbitrabitur .

4 PROLEGOMENA:

7. Tertia denique Regula est. *Qualitates corporum, quæ intendi, & remitti nequeunt, quæque corporibus omnibus competunt, in quibus experimenta instituere licet, pro qualitatibus corporum universorum babenda sunt*; cujus quidem regulæ sensus, quia paullè obscurior est, atque involutior, paucis illustrare opera pretium est. Ac primo quidem loco distinguendæ sunt qualitates sine affectiones corporum in classes duas. Prima classis est earum affectionum, quæ sunt nonnullorum corporum, non omnium, ut pelluciditas, quæ in vitro, crystallo, aqua, aere, reliquisque corporibus diaphanis occurrit; calor qui est corporum ignitorum, frigus quod in nive, marmore, ferro, &c. persentitur. Classis altera est earum, quæ omnium peræque corporum sunt, ut figura, soliditas, divisibilitas, cæteræque hujusmodi: quas ut à se mutuo deinceps distinguamus, priores quidem vocabimus *peculiares*, cæteras *universales* dicemus. Sed universales istæ affectiones distinguendæ sunt rursus in *essentiales*, & *accidentales*. Nam soliditas est proprietas corporis universalis, sed est pariter *essentialis*, ejusdemque generis sunt extensio, motus, figura, divisibilitas, atque inertia. At porositas corporum, gravitas, attractio, vis elastica, de quibus omnibus in loco erimus disputaturi, videntur quidem esse affectiones corporum universales, sed accidentales corpori sunt, non vero *essentiales*.

8. Jam cujuscumque naturæ sint affectiones corporum, sive sint *peculiares*, sive sint *universales*, & *essentiales*, sive sint *universales*, & *accidentales*, earum notitia non alia ratione potest à nobis comparari, quam per experimenta, & per sensus. Soliditatem enim novimus tactu; extensionem tum tactu, quum visu; sonum auribus; odores naribus: reliqua vel per singulos sensus, vel per plures simul deprehendimus. Itaque quin queritur, num affectio aliqua universalis sit, an vero particularis, videndum erit, an experimenta, & observationes ostendant affectionem illam reperiri in omnibus corporibus, an vero in aliquibus tantum; nam si primum accidat, ea erit in censu affectionum unius.

universalium ; si alterum contingat ad classem affectio-
num peculiarium erit revocanda . Sed quoniam im-
possibile est omnia singularia corpora , quæ in rerum
universitate sunt , experimentis subjicere , tum quia res
effet infiniti operis , cum etiam quia non omnia cor-
pora nostræ potestati subjecta sunt , satis erit singula
eorum corporum genera , quæ circa nos sunt ad exa-
men revocasse , in quibus si affectio illa deprehen-
ditur , & præterea si intendi nequit vel remitti , proba-
biliter , ne fidenter dicam , statui poterit affectionem il-
lam universalem esse . Quo circa id quod præscribit
novissima regula ferme redit ; nempe ut habeantur
tamquam affectiones universales illæ , quas experimentis
comperimus in omnibus corporibus , quæ circa nos
sunt , quaque neque intendi possunt , neque remitti , hoc
est neque augeri , neque minui . Quamquam interdum
superfluum id sit ; quum sint nonnullæ qualitates uni-
versales , quæ & intendi possunt , & remitti .

9. Nam qualitatum universalium , quemadmodum
duplex uti diximus est genus , unum earum , quæ sunt
essentialis corpori , hoc est ab eo inseparabiles , alterum
earum , quæ ipsi sunt tantum accidentales , hoc est , quæ
possunt esse , atque absesse à corpore , ita utrarumque
longe diversa sit natura . Piores enim in dato corpore
neque intendi possunt , neque remitti , neque aliter au-
gentur , aut minuantur , quam aucta quantitate mate-
rise ; in quo numero ponendæ sunt extensio , figura , divi-
sibilitas , impenetrabilitas , atque inertia . Sed posteriores
nihil vetat , quin intendantur , vel remittantur ad instar
cæterarum qualitatum accidentalium , veluti gravitas ,
attractio , elasticitas , porositas , aliaque quamplurimæ
nam affectiones istæ in dato corpore augeri possunt vel
minui , ut postmodum constabit .

10. Hæc five ratiocinandi , five conjectandi ratio
(quocumque enim nomine ea adpelletur parum interest)
innititur naturali cuidam analogia . Natura enim sim-
plex esse solet , sibique semper consona ; itaque quid
quid ea demonstravit in compluribus corporibus , id
idem credendum est ostensuram in cæteris , si eorum

fieri posset periculum. Hanc rationem si tollas, actum erit de universa Philosophia naturali, cuius ea est fundamentum præcipuum. Sed nonnihil temperamenti adhibendum est huic regulæ. Ut enim hujusmodi collectiones ab errore quam longissime absint, haud quidem satis est compérisse ita se rem habere in hoc vel illo corpore, sed necesse est præterea talem deprehendi constitutionem omnium corporum, quæ sunt circa nos. Veluti extensionem deprehendimus in omnibus corporibus, quæ sensibus subiecta sunt: qui ad naturæ analogiam animum advertet, recte adfirmabit corpora minutissima, quæ oculorum aciem fugiunt, extensionem pariter habere. At si quis ex eo quod expetitus est marmor esse frigidum, atque talia pariter sensit esse aquam, ferrum, nivem, glaciem, vitrum, naturæ analogiam sectando, velit adfirmare omnia corpora frigida esse, is procul dubio mendose id colligit: enim vero rem istam haud quidem in omnibus corporibus, sed tantum in aliquibus compérit.

11. Hæ sunt philosophandi regulæ, quibus deinceps usuri erimus. Sed antequam ad rem ipsam adgrediamur, quis futurus sit rerum tractandarum ordo, breviter edifferam. Philosophiam naturalem universam placet in duas partes præciucas distribuere, in generalem differentem de corpore in genere, ejusque affectionibus tum universalibus, quum peculiaribus, & specialebus agentem de corpore in specie. Sed hanc posteriorem partem res ipsa postulat, ut distinguamus in duas alias partes, *Cœlestem* nempe, quæ agit de corporibus Cœlestibus, & *Terrestrem*, sive *sublunarem*, quæ differit de corporibus Terrestribus. Itaque Philosophiam naturalem universam in *tres Libros* divisam, hic tradere constitui. *Primo Libro* agam de corpore in genere. *Secundo Libro* differam de Mundo Cœlesti. Et *Tertio* denique *Libro* Mundi sublunatis, sive Terrestris descriptionem, atque naturam pesequar.

LIBER PRIMUS

De Corpore in genere , ejusque adfectionibus præcipuis.

12.



Olen communiter Physici tractationem de natura exordiri ab existentia corporum , ea præcipue inducti ratione , quod frustra luscipiatur disputatio de corpore , deque ejus adfectionibus , nisi prius constet corpus ipsum existere ; id quod de propria cuiusque existentia sapienter adnotatum est à D. Augustino , dum ait *primum videndum unicuique esse an sit , deinde vero quid sit* . Sed alii existentiam corporum , ut postulatum , in ipso Physices vestibulo adsumperunt , ne scilicet rem certissimam disputando incertam ficerent . Horum consilium laudabile mihi videtur . Nam qui de existentia corporum serio addubitant , iis vix rationes ullæ satisfaciunt ; qui vero litem verbis tantum movent , hi indigni sunt ut audiantur . Interim ne hac de re aliquando rogati Lectores nostri hærent , sciant ve- lint in rerum existentiæ cognitionum triplici via nos posse pervenire , *Conscientia , Ratione , & Senso* . Conscientia certi seddimur de propria nostrum existentia . Ratione colligimus Deum tantum existere . Sanu denique de corporum existentia persuademur .

S E C T I O P R I M A,

De Rerum naturalium Principiis.

13. P rincipium definitur à Philosophis , *id , n quo aliquid quocumque modo dependet , atque ipsum*

A 4

dicitur.

distinguunt in principium *fiendi*, & principium *essendi*. Docent autem principium *fiendi* esse illud, per quod, tamquam per instrumentum necessarium, aliquid fit; principium vero *essendi* illud esse, unde aliquid exoritur. Exemplo res fieri manifesta. Quum artifex ex argento urnam conficit utitur, praeter argentum, instrumentis ad conficiendam urnam comparatis: argento quidem, tamquam principio *essendi*; instrumentis vero tamquam principio *fiendi*,

14. Jam ad rerum naturalium constitutionem utriusque generis principia concurrunt, & ea quæ dicuntur *essendi*, & ea quæ dicuntur *fiendi*. In naturalibus principium *fiendi* *Motus* est; etenim quemadmodum per motum omnia corpora renovantur, generantur, & fiunt, ita motu à natura eliminato, omnis illico rerum vicissitudo, ac commutatio ab ea tollatur necesse est. Principia vero *essendi* duo sunt, *Materia* nempe, & *Forma*, quorum quidem illud ponit res omnes naturales extra statum nihili, hoc vero largitur iis essentiæ, atque iterum corpoream modificat, ut ad certam potius materiæ speciem, quam ad aliam referri oporteat. Inde lucem accipit, quod vulgo dicitur à Philosophis *res naturales recipere suum esse a materia, in tali vero esse a forma collocari*. Nos bac Sectione principia *essendi* tantum persequemur; nam de motu, sive de principio *fiendi* Sectione sequenti disputatur erimus.

C A P U T P R I M U M.

De Materia, ejusque affectionibus, & proprietatibus præcipuis.

15. Nam primum omnium satis constat, non satis convenire inter diversarum Sectionum Philosophos, quid materiæ nomine veniat: opinionum autem discrepantia tanta est, ut cum ipso Sectionum numero certet. Neque tamen nos recensendis, conciliandis, aut refellendis Philosophorum placitis immorabitur; id

Sd enim longum esset, ac pene infinitum; tantum quid, obsermando, quidve ratiocinando nobis de materia, sive de natura corporea in genere innotescat, breviter atque dilucide explicare conahimur.

16. Et quidem si ad animum referamus ea omnia, quae in singulis corporum generibus animadvertisimus, compariemus varia in iis esse, quae si demantur, desinent quidem ad eam speciem pertinere, ad quam antea referebantur, sed quibus demptis, non minus quam antea corpora dicantur. Alia sunt quae detrahi omnibus corporum generibus non possunt, quin simul natura corpore a penitus intereat. Hæc *essentialia* corpori, illa *accidentalia* dicuntur. Accidentalia autem naturæ corporeæ in genere speçtatae sunt illa, per quæ singulæ species, sive individua distinguuntur inter se. Exempli gratia si demamus plantis id, propter quod plantæ vocantur, organicam scilicet partium dispositionem, non tamen propterea quod supereft corpus desinit vocari. Sic combusta arbore supersunt cineres, qui planta quidem non sunt, sed tamen corpus sunt. Sic etiam aqua propter vim frigoris abit in glaciem, quæ aqua quidem non est, sed tamen corpus est. Denique putrefacto corpore animali non minus est corpus, quam antea, quamvis animal esse desierit.

17. Verum omnia corpora habent quædam communia, quibus detraheantur, corpora esse desinunt. Primo enim omnia corpora sunt *solida*; secundo sunt *extensa*; tertio sunt *divisibilia*; quarto *figura aliqua prædicta* sunt; quinto *possunt moveri*; & sexto sunt *inertia*: quæ omnia paullo distinctius explicanda sunt. Ut à soliditate incipiamus, dicimus soliditatem esse eam corporis proprietatem, per quam singula corpora omnibus aliis corporibus undequaque prementibus resistunt, & quādū aliquem occupant locum omnia alia corpora inde arcēnt, & prohibent. Finge te globum aliquem intra manus habere; quantumvis magna vi ipsum premas, numquam tamen patietur manus se mutuo tangere.

18. Hæc est illa proprietas, quam Cartesiani Peripateticos sequuti *impenetrabilitatem* dixerunt, quamque

10 PHILOSOPHIAE NATURALIS

que nos cum illustri hujus ævi Philosopho malvimus positivo *soliditatis* vocabulo insignire. Propter hanc proprietatem corpus distinguitur à vacuo, sive à spacio omni materia destituto. Vacuum enim, si detur, à se corpora non arcebit; at nullum corpus potest cum altero ita penetrari, atque coire, ambo simut eodem in loco ut sint.

19. Cæterum distinguenda hic est *durities* à soliditate, in quo quidem plures Philosophi, etiam illustres, turpiter lapsi sunt. Durities enim est firma partium corporis connexio: at soliditas est penetrabilitatis repugnantia. Itaque omnia corpora sive dura sint, sive fluida sunt solida: nam quo loco adeat corpus durum, in eundem locum eodem tempore aliud corpus sive durum, sive fluidum introduci non potest; & quo loco corpus fluidum continetur, in eundem locum eodem tempore aliud corpus sive durum, sive fluidum immitti non potest: at non vicissim omnia corpora solida sunt dura; aqua enim, oleum, aer sunt quidem corpora solida, sed tamen dura non sunt; insuper durities suscipie magis, & minus, sive, ut ait *Newtonus*, intendi potest, vel remitti; at vero soliditas omni quum incremento, tum decremento destituitur. Sic vitrum glacie, crystallo vitro, adamantem crystallo duriorem esse dicimus, quamvis tamen omnia ita corpora æque solida sint, seque impenetrabilia.

20. Vulgus soliditatem corporibus duris facile concedit, sed haud æque facile eam attribuit corporibus fluidis, ac præcipue aeri. Verum ipsius aeris soliditas sequenti experimento ita demonstrabitur, ut à nemino sanæ mentis possit amplius in dubium revocari. In fundo alicujus urnæ fac chartam ita hærere, ut urna inversa illa non decidat; tum urnam inversam in aquam immittit, & interim cura, ut ea æqualiter descendat. Aer in urna contentus, quia nullam foras evadendi habet facultatem, manebit clausus in urna; Itaque si solidus est arcebit aquam ex urna; si minus, patietur ut aqua ingrediatur in urnam. Et quoniام ad quacumque altitudinem demergatur urna, aqua ipsam non ingreditur, quem-

quemadmodum chartæ in fundo urnæ hærentis ariditas manifestissime demonstrat, sequitur aerem ad cæterorum corporum similitudinem solidum esse, neque patet ut eum in locum, in quo continetur, alia corpora eodem tempore ingrediantur.

21. Soliditatem proximè sequitur *extensio*, quæ longitudine, latitudine, & profunditate constat: Etenim nullum est corpus, quod longum non sit, latum, atque profundum, sive, quod eodem redit, non habeat partes extra partes; nam extensio exoritur ex positu partium extra alias partes. Neque hic quisquam objiciat fieri posse, ut in corporibus quamminimis nullæ sint partes extra partes, nullaque adeo sit extensio. Nam quantulacumque tenuitatis corpus tibi effinxeris, id quidem plano aliquo impositum semper ipsum parte una continget, ex altera vero parte sursum spectabit, id quod pluralitatem partium arguit. Sed admonendum est, nos hic loque de extensione solida ad corpus pertinente, non vero de extensione vacua, quæ proprie ad spatiū omni corpore destitutum refertur. Etenim vacuum sive detur, sive non detur, in ejus conceptu necessario continetur idea extensionis cum hoc tantum discrimine, quod extensio vacua sit penetrabilis à corporibus, extensio vero solida omnino impenetrabilis sit. Ex quo illud consequens est, quid quid solidum est eo ipso extensem esse, sed non vicissim quid quid est extensem esse solidum, saltem in hypothesi, quod idea extensionis vacua chimerica, sive fictitia non sit, quemadmodum talem posse eam demonstrabimus.

22. Sequitur *divisibilitas*, quæ à corpore incolumi ejus natura tolli non potest. Nam quum ad rei corporæ essentiam pertineat habere partes extra partes, quamvis partes istæ aequi sint coniunctæ, nihil tamen vetat, quin possint, saltem per potentiam divinam, separari. Scio adesse Philosophos, qui docent, dari in natura partes materiæ adeo tenues, atque minimas, ut omnem divisionem respuant, easque partes ex re Arborum appellare. Sed hujus doctrine levitas, atque falsitas offendetur in loco,

23. Adde

23. Adeſt figurabilitas, ſi ita loqui fas sit: etenim quum nullum fit corpus, quod finitum non fit, profecto termini, quibus terminis iplum continentur figuram ei conciliabunt. Sane de singulis corporibus ſeorsim conſideratis id nullam dubitationem admittit. Dubitatatur tamen à nonnullis, an omnium corporum congeries, quam nos *Universum* dicimus, figurata fit. Et quidem ſi mundus eſt finitus, iplum neceſſe eſt figura aliqua terminatum eſſe; ſin vero eſt infinitus, omni figura deſtituetur. Num autem mundus finitus fit, an infinitus, ſunt qui affirment, ſunt qui negent; nos rem, ut potè obſcuram, in medio relinquimus.

24. Adeſt præterea *mobilitas*, quæ etiam eſſentialiter pertinet ad materiam, ſed longe alia ratione, ſcili- cet non quod omnia corpora aetū ſint in motu, ſed quod nullum fit corpus, quod moveri non poſſit, nempe exitu, in quo erat, vi cauſæ motricis deturbari. Atque hic etiam admonendum eſt, mobilitatem à ſingulis corporibus nequaquam tolli poſſe; nam ſingula corpora poſſunt inter ſe ſitum mutare, ideoque omnia ſunt neceſſariū mobilia. At verò collectio omnium corporum, ſi infinitam extensionem occupat, ſimul alio transferri non potheſt.

25. Supereſt *inertia*, cujus nomine intelligimus vim eam in unoquoque corpi, qua corpus unumquodque quantum in ſe eſt perfeverat in ſtatu ſuo vel quietis, vel motus. Nam ſi corpus quiescit, quies illa in corpi foſet in æternum duratura, ſi nullus in iplum impetus fiat. Et ſimiliter corpus ſemel motum perpetuo moveretur, ſi nullam retardationem à reſiſtentia medii pateretur. Exeret verò corpus hanc vim ſolummodo in mutatione ſtatus ſui per vim aliam in ſe impressam facta; ſi enim nulla vis fiat corpori, po-tentia iſhæc feriabitur; adeoque data ei eſt à natura tanquam telum ad omnem vim propulsandam. Eſt au-tem exercitium ejus ſub diuerso rēſpectu, & *Reſiſtentia & Impetus*: Reſiſtentia eſt quatenus corpus ad conser-vandum ſibi ſtatum ſuum reſequatur vi impressa: dum enim corpus B quiescens excipit iecum à corpore mo-to

to A , non movetur corpus B , quin corpus A amittat nonnihil de vi sua ; quare adeo in B vis frangens impetum corporis A , quæ est vis resistentia . Impetus est , quatenus corpus motum vi resistentis obstaculi difficeret cedendo , conatur statum ejus mutare.

26. Itaque idea materiæ , sive corporis in genere spectati rem designat solidam , extensam , divisibilem , figuratum , mobilem , & inertem , nempe designat subiectum ad quod proprietates recensitæ pertinent . Sed fatendum est longe evidenter cognosci à nobis proprietates corporis antedictas , quam earum proprietatum subiectum , quod corpus , sive materiam appellamus . Nam rogati de soliditate , de extentione , de figura , deque reliquis proprietatibus corporis essentialibus habemus , quid respondeamus . Sed quid nam respondebimus ei , qui de subiecto harum proprietatum nos interrogabit ? dicemus ne subiectum illud corpus esse ? dicemus ne esse materiam ? Sed hæc mera nomina sunt , neque magis satisfaciunt , quam si quis roganti qualis sit substantia illa , quæ varias cogitationes in nobis versat , respondeat eam spiritum vel mentem communiter appellari .

27. Visis summarum essentialibus corporis proprietatis , res postularet , ut accidentales recenserentur . Sed enumerationem istam in commodiorem locum differimus . Tantum hic memoria repetendum est id , quod in Prolegomenis adnotavimus , adesse nonnullas proprietates accidentales , quæ ad instar essentialium in omnibus corporibus peræque deprehenduntur , quas proprietates universales & accidentales diximus . Hujusmodi videtur primo esse gravitas , sive illa vis corporum , qua agente ipsa petunt Tellutem ; quamquam Cartesianis aliter videatur , qui gravitatem subtilissimæ cuidam materiæ prorsus denegant . In eodem numero reponenda est attractio , sine vis illa , per quam corpora , quando propinqua sunt , se se mutuo alliciunt : id quod primum in Brittannia , deinde alibi quoque per experimenta compertum est . Eiusdem naturæ est vis elastica , sive vis illa , per quam corpora compressa sele
in

in pristinum statum restituunt: eā enim vi omnia corpora, quæ magis, quæ minus donata esse videntur. At omnes istæ proprietates, & si quæ sunt aliæ accidentales corpori sunt. Quid enim prohibet corpus intelligere sine gravitate, hinc attractione, aut sine elasticitate? Quod quum ita sit, manifestum est proprietates essentiales corporis esse quidem universales, at vero non omnes proprietates universales esse essentiales. Veluti soliditas est proprietas essentialis corporis, sed est quoque universalis. At vero gravitatem, elasticitatem, attractionem, aliasque hujusmodi credibile est proprietates esse universales corporum, quamvis tamen ipsæ minime sint essentiales iisdem corporibus.

C A P U T S E C U N D U M.

De Soliditate, atque Extensione: ubi de Vacuo.

28. **S**uperiori Capite diximus, duas dari species extensionis solidam unam, sive impenetrabilem, alteram vacuam, sive penetrabilem, atque priorem ad corpus, postrem ad spatum pertinere monuimus. Sed quoniam sunt Philosophi, qui naturam corporis in extensione reponentes, contendunt omne extensum esse necessario corpus; quorum Philosophorum sententia si vera est, supradictum discrimen fictitium sit oportet, opera pretium erit argumentum istud paulo fusijs persequi, rationumque momenta expendere, quibus ad ita constituendum induxi esse videntur.

29. Et quidem de *vacuo*, sive de *spatio exenso penetrabili, omnique corpore defituto* tres sunt Philosophorum sententiae. *Prima* est eorum qui arbitrantur vacuum actu dari in rerum natura. *Secunda* est eorum, qui contra existimant vacuum actu non dari in rerum natura, immo naturam ab ipso abhorrente arbitrantur. *Tertia* denique est eorum, qui vacuum neque actu dari, neque possibile esse contendunt. Priorem sententiam for-

sovent Epicurei, Secundam Peripatetici. Tertiam tueruntur Cartesiani.

30. Nobis, quum subtilissima isthac quæstio examinanda sit, visum est distinctionem hic adhibere, quae fortasse è re futura erit. Distinguemus enim inter aqualem vacui existentiam, & ejus possibilitatem. Ita quæstione in partes duas dirempta, primum videbimus, num vacuum in natura sit possibile; tum inquiremus, num actu detur. Utrumq; autem faciemus omnī partium studio exoluti, sine amore, sine odio, ut bonum Philosophū decet. Et primo quidem vacuum in natura possibile esse facile confitebitur quis quis ad animum suum referat, obversari nobis ideam clarissimam spatii omni corpore destituti; uniusquisque enim intelligit posse vas subsistere sine ullo liquore, ut aere, aqua, oleo, aut alio corpore ad ejus capacitatē se accommodante; quod quum ita sit, vacuum procul dubio non erit chimæra, aut purum nihil; nam chimæra, aut nihili nullam nobis ideam effingere possumus.

31. Sed quoniam adversarii contendunt, idem extensionis cum idea soliditatis semper conjungi, & copulari, expendamus hic paucis, an fortasse hac in re ipsi hallucinantur. Consideremus itaque soliditatis ideam non alia ratione à nobis comparari, quam per contactum: quum enim sentiamus corpora quædam nobis resistere, & quidem nullo non tempore ea nobis resistere comperiamus, sive deambulantibus, sive sedentibus, sive cubantibus, sive aliud quid agentibus, ex ea resistentia inferimus, omnia corpora excludere de locis à se occupatis quævis alia corpora, indeque soliditatis ideam adquirimus. Consideremus præterea ideam extensionis comparari quidem à nobis per contactum, sed nihil prohibere, quin comparetur etiam per vitum. Finge enim te nullum unquam corpus testigisse: non dubito, quin tibi ignota futura sit soliditatis idea; sed non video quare etiam ignorare debeas ideam extensionis, quam oculorum sensibus parare tibi recte potuisses. Atque ut huic argumento maius pondus acedat observationem hic referam, unde manifesto, ut mihi

mihi persuadetur, evincitur, posse nobis ideam extensio-
nis non solidæ obversari. Demonstrant scriptores Opti-
ci in speculis cavis imaginem objecti vel intra specula,
vel in ipsorum speculorum superficie, vel extra ea ap-
parere posse: id quod experientia quoque confirmatur.
Pac itaque ut citra superficiem speculi cavi contueatur
idolum aliquod occasione alicuius objecti eidem spe-
culo oppositi. Idolum tale procul dubio non resistit,
quamvis formam ipsum habeat corporis æque densi-
cum ipso objecto reali, unde idolum proficiscitur;
possunt enim colores non minus vividi esse in idolo,
ac in objecto. Jam si hujusmodi idola talia sunt, ut
possint in nobis excitare ideam extensionis, at vero
nullo modo excitare in nobis possint ideam soliditatis,
manifestum quidem est, si nihil unquam præter talia
idola vidissimus, prætereaque si corpora nostræ horum
idolorum persimilia fuissent, nullam nos soliditatis
ideam habituros fuisse, quamvis extensionis clarissi-
mam ideam habuissimus.

32. Secundo, qui vacui possibilitatem inficiantur,
Deo detrahunt facultatem corporis in nihilum redi-
gendi, quod sic ostenditur. Certum est posse Deum mo-
tum omnem corporibus mundanis demere, eaque quie-
ta continere, quamdiu visum fuerit. Quod si Deus, ea
quiete durante, redigat aliquod corpus in nihilum, pro-
cul dubio dabitur tunc vacuum in Natura; manifestum
enim est spatium, quod corpore illo in nihilum reda-
cto implebatur, adhuc superfuturum, & quidem sine
ullo corpore; nam circumposita corpora, quum in per-
fecta quiete esse statuantur, impediunt, ne ullum cor-
pus in locum ejus, quod in nihilum redactum fuit, suc-
cedat. Hoc argumentum sunt, qui eludere conentur di-
cendo, non licere Deo corpus unum singulare in nihi-
lum redigere, ea permoti ratione, quod quemadmodum
Deus corpora omnia unica voluntate simul creavit, ita
etiam unica voluntate debeat ea in nihilum redigere;
quod effugium quantam vim habeat Lectoribus judi-
candum relinquo: mihi enim videntur adversarii mo-
dum Dei potentiaz statuere velle, ubi nullus sit modus
statuen-

Ratuerendus. Sunt præterea, qui respondeant, annihilato corpore, eo ipso corpora, quæ erant in circuitu in unum coire sine ulla translatione, sine ullo motu, sed tantum id fieri ob intervallum cum ipso corpore in nihilum redactum. Sed næ perridiculi sunt, qui talia effutunt: qui enim fieri potest, ut corpora divisa sine ullo motu ad contactus mutuos perveniant?

33. *Tertio*, possibiliterem spatii illud quoque evincit, quod in idea spatii plures continentur reales proprietates, quum tamen omni attributo destitui ipsam oporteret, si esset merum nihil. *Nibili enim nulla sunt proprietates, nulla attributa.* Finge corpus in natura minime existere: sed finge etiam nobis obversari eamdem corporis ideam, quam nunc, existente corpore, de eo habemus. Nonne licebit possibiliterem corporis ex hoc solo colligere, quod intelligamus corpus esse rem solidam, extensam, divisibilem, figuratam, & mobilem? Pari ergo jure licebit nobis possibiliterem spatii colligere ex eo, quod intelligamus in idea spatii certas quasdam proprietates contineri.

34. Jam spatii plures sunt proprietates, quæ ipsum à corpore distinguunt. *Primo* enim corpus solidum est, spatium vero soliditatis expers: & quemadmodum corpus est in spatio, ita spatium credendum est esse receptaculum omnium corporum. *Secundo*, quamvis tam corpus, quam spatium sint extensa, tamen extensio corporis conjuncta est cum soliditate, extensiō vero spatii vacua est, & penetrabilis. *Tertio* corpus est divisibile, & separabile in partes, ex quibus coilescit; spatium vero est omnino indivisible, non quod partibus careat, sed potius quia partes illæ ne cogitatione quidem separari, atque divelli possunt. *Quarto* corpus mobile est, spatium vero est prorsus immobile: etenim quum partes spatii inseparabiles sint, immobiles quoque sint oportet. *Quinto* corpus variis mutationibus est obnoxium: at spatium est immutabile, atque incorruptibile. *Denique* congeries omnium corporum, quam *Universum* dicimus, nihil vetat quin sit finita; sed spatium immensum, atque infinitum natura sua sit opor-

tet. Præter has, sunt quædam proprietates communes tum corpori, quum spatio, ut quod utrumque sit mensurabile, quodque utrumque sit continuum.

35. Quibus spatii affectionibus rectè adnotatis, levius negotio refelletur argumentum, quo argumento utuntur contrariæ opinionis adsertores ad ostendendum, soliditatem ab extensione omnino divelli non posse, contra, quam nos arbitramur. Quærunt enim, an pes unus extensionis spatialis additus pedi alteri ejusdem extentionis conficiant pedes duos: si enim conficiunt pedes duo, concludunt ipsam extensionem spatii, ne dum extensionem corporis solidam esse. Nam respondeatur, eos, qui ita querunt, errare in eo, quod existiment, aliquam partem extensionis spatialis tolli, atque abstrahi posse de immenso illo spatio immobili, & indivisibili, de quo superiori articulo sermonem habuimus: quod tamen est falsum. Itaque si duæ spatii partes non confunduntur, neque commiscentur inter se, id oriri credendum est ex eo, quod partes spatii immobiles sunt, non ex eo quod sunt solidæ, & impenetrabiles. Aliud sentiendum de extensione corporis: nam si pede uno extensionis corporeæ addito pedi alteri extensionis corporeæ, conficiunt pedes duo, id critur ex soliditate corporis. Verum si quereras, quid eventurum sit, si pes unus extensionis corporeæ addatur pedi uni extensionis spatialis, respondebo, eos in unum coituros.

36. Denique, vacui possibilitatem adstruimus invicta demonstratione ex Geometria petita. Sed primum statuenda sunt axiomata duo à nemine sanæ mentis in dubium revocanda. I. Nullum corpus ad existendum alterius corporis ope, & auxilio egere. Hoc eò valet, ut credamus posse sphæram unam existere, sive existant, sive non alia quævis corpora. II. Potest corpus aliquid, saltem si durum sit, suam figuram sartam teatam sibi conservare, modo nulla sint alia corpora, aut nulla sint a gentia externa, quæ vim ei inferre valeant. Quibus principiis præmissis, possibilitatem spatii ita vindicabimus. Quum possit una, aut altera sphæra existere nullis aliis existentibus corporibus, ponamus omnia alia corpora à Deo

Deo annihilari, præter tres spheras, aut etiam ponamus omnem materiam mundanam, si finita est, in tres spheras coacervari. Quoniam ponitur nullum aliud corpus existere, poterunt corpora ista sphærica suam sibi figuram conservare, quum nullum ponatur esse agens externum, quod impetum in ea corpora facere poscit. Jam tres istæ sphæræ, de quibus haec tenus loquuti sumus, aut contiguae sunt, aut remotæ. Si secundum velis, spatium erit intermedium nullo corpore repletum, quod idcirco erit vacuum; si primum dicas, & quia inter tres spheras interjacet spatium quoddam triangulare, illud vacuum sit oportet.

37. Ex quibus argumentis recte, ni fallor, colligitur vacuum esse possibile. Sed colligitur etiam, adesse spatium omnino à corpore distinctum, quod sit tanquam vas universale, intra quod corpora omnia continentur, vel moventur. Qualis autem sit hujus spatii natura, utrum *substantia* sit, an *accidens*, *creatum*, an *increatum*, à Deo dependens, an *independens*, *positum*, an *negativum*, it quod querere solent ad veritatem, hic non disquirimus, sed ea omnia *Metaphysicis* relinquimus disputanda. Nobis sat est quasdam spatii proprietates exposuisse, ejusque à corpore distinctionem validissimis argumentis demonstrasse.

38. Difficilius est expendere, num vacuum actu detur in rerum natura. Epicurei aqualem vacui existentiam probant primo ex eo, quod si omnia plena essent corporibus solidis, nullus dari posset motus in rerum natura. Etenim quævis particula, quæ incipit moveri, locum suum vacuum relinquat necesse est, atque habeat oportet locum vacuum, quo progrediatur. Inde autem concludunt, vacuum actu dari in rerum natura, idque non *coacervatum*, & *unitum*, quale fortasse est extra mundum, sed *diffusum*, & inter corporum pores undique sparsum. Sed respondetur, motus rectilineos sine vacuo fieri non posse, at posse optime fieri motus circulares: ideoque, qui vacuum de natura proscribunt, iij omnes motus circulares esse statuunt: quo pertinet *Circumpulsio*, quæ circumfertur sub *Platonis*

20 PHILOSOPHIAE NATURALIS

tonis nomine. Facile autem intelligitur motus circulares sine vacuo sublistere posse: nam annulus constans materia undique solida rete potest inter corpora alia undequeque solida moveri sine vacuo; quia pars prima annuli dum movetur, novissima sequitur.

39. Sunt nonnulli, qui quodam motus fieri posse concedunt, etiam si omnia solidis corporibus plena essent, negant tamen sine vacuo omnes motus posse expediri. Ad quod ostendendum adsumunt, tanquam certum, particulas subtilissimas, atque tenuissimas materiae figuras immutabiles habere: tum sic ratiocinantur. Si existente immutabili figura subtilissimarum materiae particularum corpus ita moveri possit inter eas, ut nihil vacui relinquatur, profecto id orientur tum ex figura particularum illarum, quum ex relatione, quam eadem particulae habent inter se: scilicet talis erit ipsarum figura, talisque erit relatio singularum ad singulas, ut dum corpus permeans eas urget, impellit, sejungit, divellit, semper tamen ita cohærent inter se, itaque libi mutuo committantur, ut nulla intercapedo superstes sit: Itaque, si auctis istiusmodi particulis maneat tum earum figura, quum mutua earumdem relatio, poterit pari ratione corpus moveri quoquo modo inter eas sine ullo vacui periculo.

40. Verum enim vero auctis supradictis particulis usque ad sensibilem magnitudinem, quamcumque statuas esse earum figuram, quamcumque relationem tibi inter ipsas effingas, difficile est intelligere, quomodo corpora ita moveri possint quovis modo inter eas, ut nulla unquam spatia vacua relinquantur: itaque neque etiam credibile esse ajunt, confieri posse omnes motus corporum inter particulas subtilissimas materiae, absque eo quod aliquando non fiat aliquid vacui. Quo loco recte admonent, nos saepe solere nonnullas proprietates particulis subtilissimis tribuere, quae revera iis non conveniunt; à quo errore non aliter liberari possumus, nisi particulas illas subtilissimas auctas imaginando.

41. Ego vero, quid de hoc sentiam argumento paucis nunc subiungam. Sane magni illud ponderis mihi yide.

videtur, non tamen vim ipsius eludi omnino non posse ut credam. Primo enim etiam si concedatur particulas subtilissimas materiæ certam, atque immutabilem figuram obtinere, statui tamen possunt innumeri particularum minutissimarum ordines diversarum tum figurarum, quum magnitudinum: quo commento nonnulli optimæ notæ *Cartesiani* omne vacui periculum propulsant. Tum responderi potest, falsum esse particulas materiæ subtilissimas certa, constantiæ figura donatas esse. Contra enim *Cartesius*, ut suo loco referemus, nomina tim docuit materiæ subtilis nullam esse certam figuram, aut magnitudinem, sed singulas ipsius particulas, data occasione, in innumeræ alias particulas frangi, atque comminui.

42. Ajunt præterea Epicurei, si omnia plena essent corporibus, intelligi non posse, qua ratione fluida in perpetuo motu esse possint: neque enim possunt liquidorum particulae perpetuo situm mutare inter se, quin spatia vacua relinquant. Quæ enim materia posset se se aptare tam subitis, tamque variis mutationibus pororum, ut semper adcuratissime eos implere valeat? Sed neque hinc æqualis existentia vacui colligitur. Potest enim existere in natura materia quædam subtilissima incredibili velocitate concitata, nullaque certa figura prædicta, quæ poros omnium corporum liberrime pervadat, adque ipsorum configurationem illico se se conponat, atque conformet.

43. Denique, vacuum dari probant Epicurei ex eo, quod corporum gravitates specificæ sint manifestissime inæquales. Per gravitates specificas intelligunt Philosophi pondera corporum sub paribus voluminibus: nempe gravitates auri, & argenti dicuntur specificæ, quando ponuntur æqualia volumina utriusque. Jam vero si aqua, oleum, argentum vivum, plumbum, vitrum, &c. sub eodem volumine conferantur inter se, manifestum est omnium gravissimum esse aurum, deinde ordine argentum vivum, plumbum, aquam, atque oleum; cuius phænomeni causam non aliam dari posse censem, quam quod in oleo plures sint pori absolute vacui, quam in aqua,

aqua, plures in aqua, quam in plumbo, plures in plumbo, quam in argento vivo, plures denique in argento vivo, quam in auro.

44. Utque hujus argumenti vis fiat manifestior, admonendum est, quod si omnia plena essent solidis corporibus, tantumdem materiæ contineretur in vase, ex. gr. aere pleno, quantum continentur in eodem vase mercurio, argento, ære, aut auro pleno. Etenim quum omnis materia sit solida, soliditas autem magis, aut minus suscipere nequeat, ridiculum esset dicere in vase auro pleno plus materiæ contineri, quam in eodem vase pleno aere, eo quod partes aeris rariores sint, partes vero auri compacteriora habeant contextum. Et si enim verum sit partes aeris rariores esse, quam auri; tamen quidquid intercedit meatuum inter partes aeris occupabitur à materia quadam aere longe subtiliori, sic ut utriusque summa eadem maneat cum summa auri, materiaque subtilis inter poros auri latitantis. Jam vero si corpora sub eodem volumine æqualem continent quantitatem materiæ, ea æquiponderantia esse debent. Ut enim suo loco dicetur, pondus uniuscujusque corporis quantitati sua materiæ proportione correspondet: itaque quum falsum sit corpora sub eodem volumine esse æquiponderantia, falsum utique erit non dari poros absolute vacuos in corporibus naturalibus.

45. Hujus non dissimile est argumentum, quo utitur Eques auratus Isaac Newtonus *Prop. VII. Lib. III. sua Philosophia Naturalis* ad probandam vacui ætualem existentiam: quod antequam proponamus, præmittenda sunt Notiones quædam Hydrostaticæ, quæ deinde à nobis in loco demonstrabuntur. Quando corpora solida immittuntur in corpora fluida, tria contingere possunt: vel enim illa istis sunt specificè graviora, vel specificè leviora sunt, vel denique gravitate sua specifica istorum gravitatem adæquant. In primo casu, in quo major supponitur gravitas specifica solidi, solidum non modo totum demergitur, sed etiam descendit ad maximum, ad quam potest, altitudinem. In secundo casu, in quo vicissim supponitur fluidum specificè gravius, solidum

dum non modo deorsum non descendit, sed neque etiam totum demergitur; pars enim ipsius demergetur, pars vero reliqua innatabit fluido. Denique in tertio casu, in quo solidum ponitur habere aequalem gravitatem specificam cum fluido, solidum totum demergitur, non tamen descendit, sed manet suspensum sub prima fluidi superficie: quin immo immota hujusmodi solida manebunt ad quamcumque altitudinem demergantur.

46. His notionibus præmissis, facile erit ostendere cum Newtono, quod si omnia plena essent corporibus solidis, neque aurum, neque aliud quocumque corpus in aere posset descendere. Etenim ut possit descendere, necesse esset gravitatem auri specificam majorem esse gravitate specifica aeris; atqui si spatia omnia aequaliter plena essent, gravitas specifica aeris ob summam densitatem materiæ nihil cederet gravitati specificæ auri, & cæterorum corporum: sub eodem enim volumine aequali continent quantitatem materiæ; itaque si nullum esset vacuum in natura, oporteret aurum hæc suspensum in medio aere: atqui videmus ipsum descendere deorsum: ergo vacuum datur.

47. Quantumvis speciosa videantur hæc argumenta pro vacui existentia aëuali adstruenda, fatendum tamen est eorum vim tantam non esse, ut litem omnino dirimant, saltem cum Cartesianis, qui vacuo bellum acerbissimum quum indixissent, respondent materiam nescio quam subtilem per poros corporum sparsam, atque diffusam pondus ipsorum corporum minime augere, et si ad augendum eorum volumen conducat. Itaque, si quæras à Cartesianis quid causæ sit, ut aurum argento vivo sit gravius, respondebunt aurum continere aliquanto plus materiæ propriæ, unde pondus exoritur, & minus materiæ subtilis, quæ omni gravitate destituitur, argentum autem vivum continere aliquanto minus materiæ propriæ, unde pondus exoritur, aliquanto magis materiæ subtilis, quæ ipsius pondus non auget; atque ex eodem principio deducunt, quare argentum vivum aqua gravius sit, hæc verò aere sit gravior. Sed de hoc argumento alibi erit tractandi locus.

48. Hæc sunt argumenta præcipua, quibus medianis tibus actuali in vacui existentiam nituntur probare Epicurei, quæ quantum habeant momenti satis mihi videor exposuisse. Audiendi nunc sunt iij, qui vacuum aëtu dari in natura colligunt ex Phænomenis. Et primo quidem ex salibus diversorum generum in aquam injectis, & dissolutis colligi posse nonnulli crediderunt vacui existentiam inter particulas aquæas. Etenim si sal communis in aquam vase contentam iniciatur, ipse dissolvetur usque ad certam quantitatem, reliqua integra, atque fixa permanente. Tum si saccharum, alumen, vitriolum, aliisque sales in eamdem aquam immittantur successively, ipsi quoque ad certam usque quantitatem dissolventur. Inde autem intulerunt, adesse in aqua innumera quædam spatiola absolute vacua, eaque diversarum figurarum, ac magnitudinum, alia quidem excipiendis particulis salis communis, alia sacchari, alia aluminis, alia vitrioli, alia aliorum salium parata, quæ quum primum salinis particulis congrua figura donatis repleta sunt, prohibent, ne superstes salis portio dissolvatur; nulla enim alia supersunt loca vacua congrua, quæ à salinis particulis occupentur. Argumento isto aderet pondus, si verum esset, quod à quamplurimis assentitur: nempe volumen aquæ ex injectis salibus non augeri pro ratione voluminum eorum, sed in ratione aliquanto minori; id enim non fieret, si portio salis jam dissoluta in poros absolute vacuos se se non recipere.

49. Secundo, existentiam vacui colligi posse crediderunt ex motu Planetarum, ac Cometarum, quorum velocitatibus post multa annorum millia nihil detractum esse videtur. Etenim si Cœlestia spatia plena essent, Planetæ, & Cometæ inter progrediendum per spatia illa deberent nonnihil semper velocitatis deperdere, adeo ut multo post tempore oportuisset sensibile decrementum observari in motibus ipsorum. Quemadmodum enim lapis, qui movetur per aerem, continuè retardatur à resistentia ipsius aeris, donec penitus quietat, ita si regiones Cœlestes, per quas errant globi Planetarum, & Cometarum, plenæ essent corporibus solidis,

lidis, procul dubio Planetæ Cometæque retardarentur indefinenter in cursibus suis.

50. Sed subtilius expendendum est argumentum istud. Finge corpus aliquod moveri per fluidum cum data velocitate; ipsa experientia edocemur corpus istud sensim retardari. Jam retardationis duæ sunt causæ: *primo* enim corpus retardatur magis, vel minus pro majori, aut minori tenacitate ipsius fluidi; nam fluida tenaciora magis resistunt, quam fluida minus tenacia, ut oleum frigidum, quam calidum: calidum, quam aqua pluvialis: aqua quam spiritus vini: lutum, quam omnia recensita corpora. Et *secundo* retardatur corpus magis, vel minus pro majori, vel minori copia materiæ contentæ in spatio, in quo corpus movetur. Nam si locus, in quo corpus movetur admissis spatiis vacuis duplo minorem, aut triplo minorem, aut quadruplo minorem contineat quantitatem materiæ, corpus duplo, aut triplo, aut quadruplo facilius movebitur per locum illum: qua ratione si aer, aqua, argentum vivum, & alia fluida nullos haberent poros vacuos, ex hoc capite æqualiter resisterent; æqualem enim ipsa continerent quantitatem materiæ. Unde, vacuo non admisso, resistentia, quæ oritur ex tenacitate fluidi potest quidem minui in infinitum, fingendo fluidum subtilius, atque subtilius fieri, sed resistentia illa, quæ oritur ex materiæ quantitate, semper eadem manebit: nam corpus aliquod undequaque solidum, quantumvis dividatur in partes subtilissimas, semper eamdem materiæ quantitatem continebit, semperque idem spatium replebit, modo omne à natura vacuum proscribatur; id quod velim Lectores ad animum suum sedulo referre.

51. Si ergo spatia Cœlestia plena essent, procul duobus Planetæ, & Cometæ resistentiam permagnam inter progrediendum paterentur. Etenim minui potest in infinitum resistentia illa, quam subire debent ex tenacitate medii, dicendo spatia Cœlestia plena esse materia fluidissima, & subtilissima: at resistentia illa, quam pati debent ex ipsa materia non idcirco collitur per subtilita-

litatem ipsius materiæ; nam ea ut minuatur, oporteret minui quantitatem materiæ in spatiis Cœlestibus, per quæ errant Planetæ, & Cometæ. Ex quibus facile est colligere spacia Cœlestia, per quæ globi Planetarum, & Cometarum in omnes partes liberrime, & absque omni motus diminutione sensibili perpetuo moventur, aut fluido omni corporeo omnino destruxi, aut vapores habere longe tenuissimos cum poris vacuis intermixtis, per quos vapores fortasse lux diffunditur.

§2. Scio quid ad ista respondeant Cartesiani. Ajunt Planetas, & Cometas non moveri per media æterea cœlestia, sed potius deferri ab ipsis mediis ætereris motu vorticoso agitatis: quemadmodum videmus globum ligneum aquæ in gyrum æctæ innatantem deferri in orbem ab ipsa aqua circulariter mota. Sed facile est hanc *Cartesianorum* exceptionem convellere: etenim si Planetæ nihil quidquam suæ velocitatis amiserunt, id arguit cœlestem vorticem retardationem ullam paſsum non esse. At quantumvis subtilis, atque agitata ponatur materia æterea, necesse est aliquam partem motus ipsius continuo deperire, quum propter adtritum suarum partium, cum propter qualem qualem ejus tenacitatem. Pone tria vasa rotunda, & æqualia impleta primum quidem aqua, alterum oleo, tertium pice liquefacta, eosque liquores motu vorticoso cieri. Utique pix propter tenacitatem suam omnem suum motum per brevi amittet; oleum vero, quippe minus tenax, motum suum diutius conservabit; aqua autem quum sit minime omnium tenax motum suum omnem diutissime conservabit; verumtamen & ipsa brevi tempore suum amittet. Si vorticem nobis effingamus aliqua materia adhuc magis fluida constantem, ille motum suum diutius adhuc conservabit: verum nisi materia illa omnis proſus temeritatis sit expers, interque partes ejus neque adtritus sit ullus, neque communicatio motus, quod fieri plane non potest, omnino futurum erit, ut motus perpetuo decreſcat, atque minuatur.

§3. Sed recensita phænomena tanti non sunt, ut aqualem vasum existentiam adſtruere valeant. Ego enim, ut

ut dicam hac in re libere quod sentio, ejus sum opinio-nis, ut credam naturam talēm, qualem experimenta, & ob-servations nobis demonstrant æque posse explicari, sive vacuum admittatur in universo, sive ab eo proscri-batur. Illud velim ob omnibus Philosophis admitti va-cuum possibile esse in natura: id enim adeo validis ar-gumentis à nobis ostensum est, ut nullus de eo supersit locus dubitandi.

54. Ex hæc tenus dictis colligere possumus, quid sen-tiendum vere sit de natura, & essentia corporis. Sane falluntur Cartesiani, dum essentiam corporis in sola ex-tensione reponunt; etenim hoc posito oporteret omne extensem corpus esse, quum tamen spatiū extensem sit, & tamen corpus non sit. Potius essentia corporis re-ponenda est in extensione solida; hæc enim à corpore separati ne cogitatione quidem potest. Quod si sinceriores esse velimus, fatebimur essentiam corporis esse nobis ignotam. Quid enim prohibet esse in corpore proprie-tatem aliam nobis non adhuc competatam, quæ solidi-tate prior sit, & ex qua soliditas, ceteræque proprieta-tes corporis dependeant?

CAPUT TERTIUM.

*De Corporum porositate; ubi de quantitate
materiæ, condensatione, rarefactione,
& obiter de vi elastica.*

55. **Q**uestionem de vacuo jure excipit tractatio de porositate corporum. Per poros corporum in-telligimus intervalla, meatus, cavitates, at-que foramina sive visibilia, sive intuibilea, quæ passim occurunt in omnibus corporibus sive ea sint fluida, sive sint mollia, sive sint dura. Oriuntur autem pori ex coagulatione minimorum corpusculorum corpora visibilia constituentium; ea enim ob suas figuræ sive regulares, sive irregulares vix unquam sic jungi pos-sunt, ut omnino congruant inter se, nec ullos recessus, atque

atque meatus relinquant, aut omnino vacuos, aut ab aliqua materia subtiliori occupandos. Finge ex.gr. minima corpuscula tive elementa, quæ corpus aliquod componunt sphærica esse; jam singulæ tres sphæræ tangent se in tribus punctis, atque relinquunt in medio spatiū triangulare; quapropter in corpore erunt innumeri hujusmodi pori triangulares aut omnino vacui, aut materia aliqua subtilissima repleti. Idem erit si corpuscula minima componentia aliarum figurarum esse statuantur, nisi quod poros etiam longe diversarum figurarum ex eorum corpusculorum coagmentatione suboriri necesse est.

56. Adesse autem poros in omnibus corporibus, id quidem phænomena apertissime demonstrant. Ut à corporibus diaphanis incipiamus, de eorum porositate satis superque constat ex eo, quod ipsa lucem transmitunt, quum tamen si corpora ista hiantibus poris non scaterent, transitum lucis radiis forent denegatura. Qua ratione aer, aqua, vitrum, chryſtallum, adamas, reliquie lapides pellucidi poris referti esse debent. Arenæ etiam grana illa, quæ transitum lumini præbent porosa sint oportet. Et quoniam partes minimæ omnium corporum adparent aliquo modo pellucidæ, quemadmodum iis, qui microscopiis tractandis adſueti sunt, compertum est: inde fit ut corpora etiam opaca suis poris destituta non sint: nam si partes minimæ, ex quibus ea coalescunt, sunt porosæ, porosa quoque sint oportet corpora ex illis partibus minimis composita.

57. Hoc itaque universale pelluciditatis phænomenon evincit omnia corpora esse porosa. Sed idem colligitur de singulis corporibus ex phænomenis quibusdam peculiaribus, quæ in unoquoque corporum genere observantur. Et primo ligna quantumvis compacta, & dura porosa esse arguit nutritionis ratio, quæ fieri non posset, niſi fibræ lignearæ effent perforatae, ut nempe transitum succo è radicibus adſcententi. permittere possint. Secundo testæ quantumvis coctæ, & duræ adeo sunt porosæ, ut liquoris immisſi particulas facile bibant, & odorem ejus diutissime servent. Præterea li- quo.

quores spirituosi testaceis vasis inclusi paulatim diminuntur, quamvis vasa ipsa sint adcuratissime clausa; quod manifestum indicium est, per istorum vasorum poros emitti particulas liquorum. *Tertio* adsunt lapides naturales crassi, compactique, qui aquam transmitunt; nam in Insulis Canariis effoditur lapis, ex quo fiunt mortaria, per quæ aqua solet percolari, ut lutulentis partibus purgetur. Plurimi in Hollandia aquam cisternarum, quæ cruda lutum sapit, ita ope horum mortariorum purgant, ut purgata fontanam aquam sequet, nec ullo amplius lutis sapore linguam adficiat. *Quarto* effluvia magnetica transeunt per lignum, vitrum & metalla; nam si super lamina aliqua vitrea, lignea, aut metallica statuatur ferrum, arena, aut chalybis fragmента exigua, magnes vero infra laminam quocumque modo moveatur, videbis ferrum, arenam, aut chalybem agitari ad motum magnetis, eumque ubique sequari. *Quinto* ossa, cornua, & ungues porosa sunt: nam ebur, ex.gr. tingitur variis coloribus, qui non modo superficiem maculant, sed ipsum altissime penetrant; abrasa quippe superficie color adhuc cernitur. *Sexto* corpus humanum undique porosum esse ostendit quum sudor, atque continua insensibilis transpiratio, tum balnea, atque emplastra, quæ ipsi extrinsecus admota ad interiora penetrant.

58. Longus essem, si phænomena omnia, quæ præsens argumentum exornare possent, hic vellem describere. Tantum advertam contingere interdum, ut aliqua corpora transitum nonnullis effluviis præbeant, aliis denegent: id quod contingere putandum est tum ex peculiari quadam pororum configuratione, quum ex effluviorum magnitudine, atque figura. Sic oleum de cera extractum, sulphuris quinta-essentia, ac spiritus urinæ equinæ, qui omnium odorum acutissimi, atque potentissimi habentur, ampulla vitrea diligenter undique clausa contenti, et si magnopere agitentur, aut ad ignis præsentiam calefiant, tamen nullum vel odoris tenuissimi argumentum præbent. Sic etiam, quum sub campana vitrea collocata esset avis externa, à sapientissimis Academia

densis Florentina viris, observatum olim fuit canes venatos ejus odore omnino adfessos non fuisse.

59 Quod si odores vitrum non pervadunt, desinamus mirari si minus subtiles aquæ partes vitri poros non subeant. Res hoc sagacissimo experimento comprobata est ab iisdem viris sapientissimis. Phialam vitream undique clausam, ac siccissimo sale contrito plenam per x. dies in fundo putei, perque dies totidem in media glacie, atque nive continuerunt, nec tamen idcirco phialæ pondus-adauertum deprehenderunt: extraacta deinde phiala repererunt salem ita siccum, ut erat quem includeretur in ea; ex quo quidem experimento clarissime evincitur, per poros vitri aquam minime pertransire. Aurum tamen aquam, ne dum mercurium, cuius partes procul dubio subtiliores sunt, per se transmittit: nam globus ex auro concavus aqua repletus, & bene ferruminatus, ac deinceps magna vi compressus exudavit undique aquam, innumerisque guttulis exiguis, tanquam rorulentus, undique stillavit, tametli aurum ipsum interea nulla sui parte rimas egerit. Ex quo experimento consequitur, aurum plus habere meatuum inter partes solidas, quam partium solidarum, inter quas meatus interjacent. Et quoniam pondus auri specificum 19. vicibus magius est pondere specifico aquæ, inde fit ut quantitas meatuum in aqua superet spatium à solidis partibus occupatum amplius quadragies, quod fortasse incredibile aliquibus videbitur.

60. Interim si particulas, ex quibus corpora coalescunt, ita dispositas concipiamus, ut inter eas tantum intervallorum, sive meatuum interjaceat, quantum sunt ipsæ particulæ, ipsasque porro ita ex aliis multo minoribus particulis compositas esse, ut minores illæ particulæ habeant & ipsæ interjectum sibi meatuum tantum, quantum sunt ipsæ particulæ, hasque ipsas similiter ita ex aliis multo adhuc minoribus particulis compositas esse, ut illæ adhuc minores particulæ habeant & ipsæ interjectum sibi meatuum tantum, quantum sunt ipsæ particulæ, & sic deinceps, donec ad solidas demum particulas deuentum sit, quæ omnino meatibus sint destitu-

stitutæ, facile intelligetur incredibilem inde exoriri in corporibus pororum quantitatem. Nam si in aliquo corpore unicus sit tantum hujusmodi particularum gradus, quæ quidem solidæ sint, atque minimæ, utique corpus istud tantumdem habebit meatuum, quantum habet materiæ solidæ; si duo fuerint hujusmodi particularum gradus, quarum secundus sit earum, quæ minimæ sunt, & plane solidæ jam corpus triplo plus habebit meatuum, quam partium solidarum: quod si tres hujusmodi fuerint particularum gradus, quarum ultimus sit partium solidarum, corpus septuplo plus habebit meatuum, quam partium solidarum: si quatuor hujusmodi fuerint particularum gradus, corpus decies, & quinquies habebit plus meatuum, quam partium solidarum: si quinque fuerint gradus particularum, corpus tricesies, & semel habebit plus meatuum, quam partium solidarum; si sex, corpus sexagesies, & ~~sexagesies~~ habebit plus meatuum, quam partium solidarum, atque sic deinceps in infinitum. Quod si infiniti supponantur esse hujusmodi particularum gradus (id quod non repugnat, quum materiam in infinitum divisibilem esse, suo loco ostensurus sim) jam in corporibus numerus pororum tantus erit, ut eorum quantitas infinites major sit quantitate materiæ solidæ. Quapropter si Deo hanc, aut non dissimilem rationem in corporum compositione sectari placuit, & præterea si vacuo delectatus est, licuit ei exigua materiæ quantitate universum hunc adspectabilem Mundum exornare.

61. Cæterum ex porositate oritur in corporibus *denses*, atque *raris*. *Rarum* dicitur corpus, cuius partes ita dispositæ sunt, ut magna inter se intervalia relinquant, ut videmus in lana, nive, spongia, pane, atque experimur etiam in aere, qui summæ compressio[n]is est capax. Contra *densem* dicitur corpus, cuius partes arctius cohærent, ut argentum, aurum, lapides, alia que corpora hujus generis. Quo loco iterum admonendum esse arbitror, si omnia plena sunt corporibus solidis, eamdem materiæ quantitatem reperi[re] in vase aere pleno, ac in eodem vase auro, argento, aut mercurio

rio pleno: et si enim longe plures intersint pori inter partes aeris, quam inter partes aliorum corporum jam memoratorum, tamen pori illi occupantur à materia quadam subtili, sic ut utriusque summa eadem maneat. Sed nos, quum deinceps quantitatem *materias* nuncupabimus, intelligemus materiam, quæ proprie compositionem corporis ingreditur, nulla habita ratione fluidi ejus æterei, quod per corporum poros liberissime fluit. Quapropter idem omnino erit hac in re poros corporum vacuos prorsus effingere cum *Epicureis*, ac imaginari cum *Cartesianis* illos repletos esse subtili quadam materia.

62. Ut autem quantitatem materiarum, quæ in corporibus continetur, definire possumus, ponamus primo corpora A, & B esse æque densa, scilicet utrumque aureum esse, aut argenteum. Itaque si duorum ictorum corporum æqualia fuerint volumina, æquales etiam erunt materiarum quantitates in utroque corpore contentæ; quod si vero volumina fuerint inæqualia illud majorem materiarum quantitatem continebit, quod majori volumine donatum est, eoque majorem continebit quantitatem materiarum, quo majus habet volumen. Quia ratione corpus æquale densum sub duplo volumine duplam continebit materiarum quantitatem, sub triplo triplam, sub quadruplo quadruplam, & generaliter sub volumine quod sit ad volumen corporis alterius, ut numerus n ad 1, continebit tantum materiarum, quæ erit ad materiam ejusdem corporis, ut idem numerus n ad 1.

63. Ponamus secundo corpora duo esse æqualium voluminum, sed inæqualium densitatum. Hoc casu corpus illud majorem continebit quantitatem materiarum, quod densius est, eoque majorem continebit quantitatem materiarum, quo magis erit densius. Unde corpus sub eodem volumine si duplo sit densius duplam continebit quantitatem materiarum, si triplo densius sit, triplam, si quadruplo, quadruplam; & generaliter si denitas ejus sit ad densitatem alterius corporis æqualis voluminis, ut numerus m ad 1, quantitas materiarum illius erit ad quantitatem materiarum istius etiam ut numerus m ad 1.

64. Ex.

64. Ex eo autem quod quantitates materiae duorum corporum, quorum aequales sunt densitates, sive in ratione suorum voluminum, & ex eo quod eadem quantitates materiae sunt in ratione densitatum, quum viceversa volumina sunt aequalia, facile colligetur mensuram quantitatis materiae in singulis corporibus repetendam esse simili ex densitate, & volumine, in tantum, ut quantitates materiae duorum corporum, quorum tum densitates, quum volumina sunt inaequalia, habeant rationem compositam ex rationibus densitatum, atque voluminum. Quapropter si volumen corporis A fuerit ad volumen corporis B, ut numerus n ad 1, fueritque densitas corporis A ad densitatem corporis B, ut m ad 1, erit materiae quantitas in A ad materiae quantitatem in B, ut $m n$ ad 1. Unde multiplicando volumen corporis per ejus densitatem prodit quantitas materiae: sic aer densitate duplicita in spatio etiam duplicito fit quadruplicius, in triplicato sextuplus, in quadruplicato octuplus, atque ita deinceps.

65. Unde modo subnascuntur nobis tria Theorema, per quae omne id, quod attinet ad quantitatem materiae in singulis corporibus contentam optime definitur. Primum Theorema ita se habet. Quantitates materiae corporum omnium eiusdem densitatis sunt in ratione voluminum. Secundum Theorema est. Quantitates materiae corporum omnium, quorum aequalia sunt volumina, sunt in ratione densitatum. Denique tertium Theorema est hujusmodi. Quantitates materiae omnium corporum, quorum inaequalia sunt tum volumina, quum densitates rationem habent compositam ex ratione voluminum, & ratione densitatum.

66. Ex hoc autem novissimo Theoremate facile erit mensuram tum densitatis, quum voluminis prout unoquoque corpore deducere. Etenim quum quantitas materiae uniuscujusque corporis sit conjunctim ut volumen, & densitas, erit primo densitas, ut quantitas materiae directe, & volumen inverse; sive divisa quantitate materiae per volumen corporis densitas prodibit. Et secundo erit volumen, ut quantitas materiae directe,

C

& den-

& densitas inverse ; sive divisa materiae quantitate per denitatem , prodibit volumen . Sed exinde sequitur etiam , quod si quantitates materiae in duobus corporibus contentae aequales fuerint inter se , tunc densitates corporum sint in voluminum reciproca ratione . Etenim , existentibus aequalibus quantitatibus materiae id , quod oritur multiplicando volumen unius corporis per ejus densitatem aequaliter erit ei , quod oritur multiplicando volumen corporis alterius per ejusdem densitatem ; quapropter densitas prioris corporis erit ad densitatem posterioris , ut volumen istius ad volumen illius.

67. Possunt ergo duo corpora A , & B aequaliter continere quantitatem materiae , et si tum densitates , quem volumina ipsorum sint inaequalia , nempe si quanto alterum altero densius est , tanto vicissim volumen volume sit minus . Finge ex. gr. volumen corporis A duplum esse , vel triplum voluminis corporis B ; Sed finge vicissim densitatem corporis A subduplam esse , vel subtriplam densitatis corporis B : hoc casu quantitates materiae contentae in utroque corpore aequales erunt . Et si enim corpus A ratione voluminis duplam , vel triplam materiam contineat respectu corporis B ; tamen quia etiam corpus B ratione densitatis duplam continent , vel triplam quantitatem materiae respectu corporis A ; quantitates materiae aequales erunt : & generaliter si volumen corporis A ad volumen corporis B fuerit ut numerus n ad 1 , densitas autem corporis A fuerit ad densitatem corporis B vicissim ut 1 ad numerum n , erit materia corporis A , quam etiam *massam* Physici appellant , aequalis materiae contentae in corpore B : etenim quum quantitates materiae rationem habeant complicitam ex rationibus voluminum , & densitatum , erunt praeditae materiae quantitates in ratione composita ex rationibus n ad 1 , & 1 ad n , sive etiam erunt inter se , ut numerus n ad numerum eundem n , adeoque in ratione aequalitatis .

68. Atque hinc modo facile erit *condensationis* , ac *rarefactionis* corporum causam intelligere . Dicitur corpus *condensari* , quum ejus volumen , manente eadem

quan-

quantitate materiae, minuitur; dicitur vicissim rarefieri, quum ejus volumen, manente eadem materiae quantitate, augetur: sic aqua quum concrescit in nivem, vel glaciem rarefit; vicissim vero quum nix, vel glacies solvitur in aquam condensatur. Sane nivem aqua rariorem exilere, à nemine in dubium revocatur. Sed dubitatur à nonnullis num etiam glacies aqua sit rarer: res tamen tantis constat experimentis, ut in dubium vocari minime debeat. *Primo* enim observatum est glaciem, ut ut durissimam, semper aquae innatare: id quod arguit glaciem aqua leviorum, atque adeo rariorem esse. *Secundo* quum tubus vitreus longiusculus altera parte clausus aquam continens nive, & sale undique esset circumdatus, observatum est spatium in tubo ab aqua iam concreta occupatum majus esse spatio, quod eadem aqua occupabat in tubo antequam concreseret; proportionem autem prioris spatii ad secundum semper fuisse numeri 9 ad numerum 10 fere; ex quo quidem concludere licet glaciem continere tantum pororum, quantum continent aqua, una cum decima amplius parte sui voluminis. Et *tertio* denique vasa vitrea, aut testacea aqua plena hieme, quum concrescunt, omnibus constat frangi, atque rimas agere: id quod haud quidem putandum est contingere ob frigoris vim, sed potius ob aquae intus contentae rarefactionem, quae vasorum latera undique premens ea frangit, atque dissolvit: immensam enim esse vim rarefactionis aquae, quum gelascit, suo loco per experimenta luculentissima, subtilissimaque ostendemus.

69. Quoniam autem ad augendum corporis volumen necesse est poros ipsius dilatari, ad minuendum vero volumen corporis oportet poros constringi: inde fit, ut rarefactio accidat propter pororum, qui antea angustiores erant dilatationem, sive dilatatio ista fiat ab ingressu subtilissimae alicujus materiae, ut placet *Cartesianis*; (qui corporibus rarefactis id contingere arbitrantur, quod accidit funibus, qui funes crassiores, brevioreisque evadunt, quando ab aquae particulis penetrantur) sive alia quavis de causa; condensatio vero

accidat propter coarctationem pororum, qui antea erant apertissimi, sive coarctatio ista fiat ab egressu ejusdem subtilissimæ materiæ, sive ab alia quacumque causa proficiscatur.

70. Cæterum à porositate corporum nascitur aliqua etiam ex parte eorum *elasticitas*, non quod, præter porositatem, nihil aliud postuletur ad elasticitatem corpori conciliandam (sic enim corpora porosa necessario essent elastica, quod tamen falsum nos arbitramur), sed quia sublati pori de corporibus, omnis ab ipsis elasticitas tollatur necesse est. Per elasticitatem autem intelligimus eam corporum proprietatem, per quam compressa statim resilivunt, seque in pristinum statum reducunt. Unde patet corpora elasticitatem sortiri, quia porosa sunt: etenim nisi talia essent, quemadmodum compri- mi omnino non possent, ita omni elastica vi desituentur. Verum, uti admonui, ad elasticitatem requiriatur aliud quidquam, præter poros. Sed de hoc argumen-
to alibi erit tractandi locus.

C A P U T Q U A R T U M.

*De Vacui horrore à natura proscribendo: ubi
de gravitate, atque elasticitate
Atmosphæræ.*

71. **Q**uamquam ex iis, quæ Capite secundo de va- cui possibilitate dicta sunt, manifesto adpar- reat, quam ridiculum sit illud *Peripatetico- rum* effatum; *Naturam aborrere à vacuo*: tamen quia effatum illud inniti videtur observationibus quibusdam, atque experimentis, quorum veræ causæ à *Peripa- reticis* intellectæ non fuerunt, res digna visa est, quæ peculiari capite persequeretur. *Observationes autem præ- cipuae, quibus Scholastici sententiam suam firmare vi- dentur, sunt sequentes.* *Prima est*, quod aere ex tubis in aquam immisis exerto, aqua contra vim gravitatis ad-

adscendat in ipsos tubos. *Secunda*, quod si tubus, cuius pars altera digito est obclusa, aquam continens invertatur, is cohipeat aquam intra se, neque ullam ejus partem effluere sinat; id quod deprehendi advertunt in ipsis lagenis, ex quibus inversis nihil liquoris foras effluit, si modo earum collum angustius sit, ut nec etiam effluit ex vase, cuius fundum crebris foraminulis pertusum est, dummodo orificium digito obcludatur. *Tertia* observatio est, quod caro subeat cucurbitas medicas calefactas, & statim cuti admotas. Et *quarta* denique quod folles obclusis omnibus foraminibus diduci omnino non possint.

72. Quod si harum observationum causam à Scholasticis efflagites, ad metum vacui confugere non dubitabunt. *Primo* enim ajunt, aquam adscendere in tubos, unde aer ore, aut embolo educetus sit, quia nisi adscenderet daretur vacuum in natura, à quo ipsam abhorrente credunt. *Secondo* ex tubo inverso aqua pleno, & superne clauso aquam non effluere afferunt propter eundem metum vacui; etenim si descenderet, quia aer non posset locum effluentis aquæ subire, (ponitur enim tubus clausus superne) fieret vacuum in natura: id quod confirmant ex eo, quod tubo aperto statim aqua sublidat, cessante tunc omni vacui suspicione. *Tertio* quando cueurbitæ calefiant, aer aut in totum, aut pro parte educitur ex iis; itaque postquam carnibus admotæ sunt, necesse quidem est subjectas carnes indari, atque tumescere, ad occupandum nempe locum aere destitutum. Et denique folles obclusis omnibus foraminibus, quæ aeri aditum præstent, diduci non posse, quia aliter fieret vacuum in natura, à qua ipsam, uti diximus, credunt abhorrente.

73. Nolo hic *Scholasticos* carpere, quod res naturales, omnis sensus, & cogitationis expertes, amore, aut odio tangi posse crediderint, atque adeo, quod rectam philosophandi rationem turbarint, quum in res corporreas transtulerunt ea, quæ proprietas menti nostræ conveniunt. Illud potius ab ipsis sciscitor, quid est, quod vacuum naturam, sive potius res naturales tantopere

percellat? Hærebunt sane in hac interrogatione, neque habebunt quid respondeant. Quod si observationes, experimentaque hæc tenus recentia nobis opponant, atque ex ipsis vacui horrorem in natura colligere nitantur, sciant velim eorum experimentorum longe aliam esse causam, quam vacui horrorem; ut minime dubitandum sit, quin Scholastici hac in re primam philosophandi regulam violarint.

74. Ut autem recensitorum experimentorum genuinam, ac veram causam hic exponere possumus, non nulla præmittenda sunt de gravitate, deque elasticitate atmosphæra. Atmosphæra, quam pañim aerem vulgus appellat, est corpus illud fluidum, quod globum Terraqueū ad certam undique altitudinem ambīt, quandoque ad vitam animalium, atque plantarum producendam optimè conductit. Quæ sit natura istius corporis fluidi, hic dicere non adgredior, alibi enim ea de re disputabitur. Tantum advertam, atmosphærā nostrā non est: homogeneam, sed potius heterogeneam mixtam ex omnibus effluviis, quæ perpetuo ex corporibus terrestribus expirant, ut sunt halitus, vapores, & particulae subtilliores terrestrium corporum vel calore, vel quavis alia de causa separatae, atque in altum evectæ.

75. Inter innumerās proprietates atmosphæræ præcipuum locum occupant gravitas, atque elasticitas. Sane aerem gravem esse innotuit ipsis Aristotelī quondam Philosophorum Principi: scripsit enim vesicam aere turgentem graviorem esse eadem vesica, quando jam detumuit, sive quando aere destituitur. Sed qui primus sensibili experimento aeris gravitatem ostendit, fuit Galilæus Galilai: etenim quum in vas testaceum majorem aeris copiam, quam pro ratione suæ capacitatis ope syringis intrusisset, reperit ope adcuratissimæ bilancis ejus pondus ad sensum adaugatum esse: aperto deinde epistomio, quum aerem intus vi coactum exire sinisset, pondus vasis minui, atque ad pristinam gravitatem redire animadvertisit. Sed deinde, quum inventa esset ratio educendi aeris ex vasis vitreis, eadem aeris gravitas alio sensibili experimento demonstrata adhuc fuit. Etenim

Etenim quum globus vitreus cavus , unde omnis modo aer fuerat eductus , æquilibraretur in bilance cum pondere suspenso in oppolita lance, postquam aperto epistolio, aer in globum intravit , sublatum est æquilibrium ex parte globi , qui gravior evalit , neque restituebatur æquilibrium, nisi superadditis in lance opposita aliquibus granis , qui nempe gravitatem aeris in globum ingressi æquarent , & substinerent.

76. Experimentum autem Galilæi non modo docuit nos aerem gravem esse , verum etiam ipsum comprimi , deinde vero dilatari posse demonstravit . Neque enim potuisset in vas testaceum ope syringis major aeris copia intrudi , si ipse vi compressus in minus spatiū non cogeretur . Qua ratione præter gravitatem in aere , consideranda est etiam tum *compressibilitas*, si ita loqui fas est , quum *elasticitas* . Per compressibilitatem intelligimus *eam aeris proprietatem, per quam ipse in minus spatiū cogitur à vi aliqua externa, densiorque evadit;* per elasticitatem vero intelligimus *eam proprietatem aeris, per quam, vi externa cessante, aer in maius spatiū se se expandit.*

77. Ex proprietatibus aeris modo expositis illud sequitur, aerem atmosphæræ eo esse densiorem, quo minus abeat à superficie Telluris , eo vero esse rariorem , quo magis recedit à superficie Telluris : nempe aerem densorem esse in vallis, quam in reliqua Telluris superficie, densorem in Telluris superficie, quam in collibus , densorem in collibus, quam in montium præaltissimorum cacuminibus . Etenim quæcumque sit particularum aeris configuratio, atque natura , sive eæ sint totidem spongeæ aliae altis superincumbentes, sive totidem flosculi , sive sint spiræ quædam , sive sint corpuscula alterius cuiusvis naturæ, semper ipse eo magis urgebitur à gravitate aeris superincubentis , quo magis accedit ad superficiem Telluris: quod si magis urgetur, magis etiam densabitur. Quapropter quam aer in vallis longe majorem pressionem sentiat , quam aer circa cacumina præaltissimorum montium, sequitur hunc ratiorem esse, illum longe densorem.

78. Inæqualem istam atmosphæræ densitatem argunt etiam experimenta. Etenim si vesica mediocriter inflata, collo fortissimis vinculis adstricto, ut egressus interno aeri intercludatur, ex loco humili in altioris montis cacumen deportetur, ipsa sensim dilatabitur, atque intumescet, usque adeo, ut si mons sit altissimus, etiam rumpatur; deinde vero, paulatim detumescat, seque ad pristinum statum restituet, ubi iterum ad loca humilia delata fuerit: ex quo experimento sequitur aerein montanum cedere aeris interiori velicæ, qui inferioris aeris portio est. Quod si aer montanus cedit aeris inferiori, necesse est hunc densorem esse, ob maiorem nempe ejus elasticam vim. Præterea si vas aliquod satis amplum aere plenum, clauso epistomio, ad idem montis cacumen deportetur, aperto epistomio, aliquam aeris inclusi partem per exiguum foramen exire unusquisque intelliget, si ad strepitum, cum quo egreditur, advertat; vel etiam si vesicæ collo vasis fortiter adligatae tumescentiam observet: quæ quidem minime contingent, si aer inferior densior, atque adeo elasticior non esset aere superiore.

79. Jam de atmosphœra tria quæri solent à Philosophis. *Primum*, quanta sit ejus altitudo. *Secundum*, quanta sit gravitas ipsius. Et *tertium* denique, quanta sit ejus vis elastica: quibus quæstionibus adcuratissime satisfacere curabimus. Ut ab atmosphœra altitudine ordiamur, sciendum est non satis in ea definienda convenire Philosophos inter se. Sunt enim, qui milliarium quinquaginta eam faciant; sunt, qui ultra quinquaginta millaria eam producant; sunt denique, qui ejus altitudinem nonnihil minorem quinquaginta milliariis constituant. Omnes tamen monent altitudinem atmosphœrae non eamdem semper permanere. Arbitrantur enim majorem esse atmosphœrae altitudinem æstate, quam hieme, majorem vesperi, quam mane, & majorem cæteris paribus esse in locis sub zona torrida constitutis, quam in locis, quæ sunt sub zonis temperatis, & majorem in istis, quam in locis, quæ sunt sub zonis frigidis, sub quibus supradictam altitudinem omnium minimam esse autumant.

80. Sed

80. Sed nos id, quod Philosophi de atmosphæræ altitudine decernunt, non sine animadversione aliqua prætereundum esse censemus. Arbitramur enim nihil statui posse de supradiæta altitudine, nisi prius inquiratur, num aer ob vim suam elasticam se expandat in infinitum: etenim si aer expandit se se in infinitum, inutilis erit quæstio de atmosphæræ altitudine, ut pote quam oportet ad infinitam altitudinem adsurgere. ubi-
cumque enim atmosphæræ terminos statuas, certum est ultra illos terminos aerem attolli debere, ob vim ejus elasticam, quam supponimus habere locum in infinitum. Quod si vero sunt quidam densitatis, atque rari-
tatis termini, ad quos aer, se expandendo, quum perve-
nit, omnem vim elasticam amittit, tunc quæstio de atmosphæræ altitudine non erit inutilis, ut pote quæ
certa erit atque determinata. Num autem aer expan-
dat se in infinitum, neque constat adhuc ab experimen-
tis, neque unquam constabit; sed credibile est ipsius vim elasticam habere locum in infinitum.

81. *Quæstio secunda* est de vero atmosphæræ ponde-
re detegendo. Licet pondus ipsius deprehendere me-
diante antlia, quæ subiectam aquam recipit intra se, quum embolus foras educitur. Adscendit autem aqua in
antlias non jam propter vacui horrorem, quemadmo-
dum mendose Scholastici arbitrantur, sed potius quia
emboli impedimento nihil aeris inruere potest in antliæ
cavitudinem, qui subiectam aquam premendo, subtinere
valeat pressionem aeris exterioris. Sit AB (Fig. 1.) vas ali-
quod aqua plenum, cui verticaliter insistat syrinx FC,
sitque primum embolus DE totus in syringem intru-
sus, scilicet usque ad ipsam aquæ superficiem C. Hic
quamvis aqua, quæ est in loco C sub syringe, non pre-
matur immediate ab aero, à quo non tangitur, premi-
tur tamen ab eo mediate, scilicet per interpositionem
emboli, à quo contingitur; itaque quum reliquum aquæ,
quod syringi circumfusum est, prematur tantumdem ab
eodem aere, nullus in ea motus sequatur necesse est,
ob æqualitatem nempe pressionum per universam
aquæ superficiem factarum. Sed fac, syringe manente
im-

immota, embolum attolli ad E; tunc pars aquæ C, quæ ha>tenus contingebatur ab embolo, tangetur à vacuo facto in cavitate EC: ex quo illud consequens est, aquam C, quæ est sub syringe nullam aeris pressionem sive mediatam, sive immediatam sentire: quapropter quum reliquum aquæ aeris pressionem experietur, non mirum est si ea adscendat in syringem ex ea parte, qua nullam patitur pressionem.

82. Ex eo autem, quod aqua adscendat in syringes & antlias propter pondus atmosphæræ, facile erit iplius atmosphæræ gravitatem determinare, nempe explorata quantitate, & altitudine aquæ quam maxima, quæ in antlias tractorias adscendere potest, nam cum ea æquilibribitur gravitas atmosphæræ. Et quoniam constat per experimenta, aquam ad altitudinem pedum triginta duum circiter in antliis attolli, dicendum est columnam aeream à Terræ superficie usque ad atmosphæræ extremitatem porrectam eamdem habere gravitatem cum cylindro aquo, qui sit quidem ejusdem baseos cum columna aerea, sed altitudinem habeat pedum circiter triginta duum.

83. Hoc inventum Philosophi cuidam olitori *Florantino* acceptum referunt, qui aquam in antliis tractoriis non ultra pedes triginta duos attolli posse expertus, tactus rei novæ miraculo, ad *Galileum Galilai* cordatisissimum sui temporis Philosophum adcessisse dicitur, tanti phænomeni causam sciscitatus. *Galileus* phænomeni veram rationem adsequutus non est. Sed *Euangelista Torricellius Galilæi* discipulus conjectit, limitata istam aquæ altitudinem pedum triginta duum circiter in antliis oriri posse à limitata gravitate atmosphæræ: qua de re ut certior fieret, aliud experimentum excogitavit cum mercurio, sive argento vivo capiendum. Nempe adsumpsit tubum vitreum quatuor circiter pedes longum, cuius alterum quidem orificium erat apertum, alterum vero clausum, eumque in mercurio replevit. Inverso deinde tubo, immisit ejus orificium apertum in vasculum plenum etiam mercurio: quod quum faceret, observavit mercurium in tubo conten-
tum

tum subsidere ad altitudinem pedum duum cum triente pedis , sive digitorum octo supra viginti , atque ad eam altitudinem contulisse ; quo comperto , sic secum ratiocinatus est . Pondus specificum mercurii est ad pondus specificum aquæ fere ut 14 ad 1 : itaque pedes $2\frac{1}{3}$ mercurii ponderabunt tantum , quantum ponderant pedes triginta duo aquæ circiter . Quod si pondera mercurii , & aquæ , quæ in tubo , & in antlia continentur aqualia sunt inter se , minime dubitandum esse statuit , quin isthac fluida ab atmosphæræ pondere suspensa detineantur ad altitudes supradictas , & insuper , quin atmosphæræ pondus tantum sit , quantum est pondus vel pollicum octo supra viginti mercurii , vel pedum triginta duum aquæ .

84. Quod autem mercurius hæreat suspensus in tubo *Torricelliano* propter gravitatem atmosphæræ , id probari potest ulterius sequentibus observationibus . *Prima observatio* est , quod pro variis mutationibus , quæ contingunt in aere , quæque ejus pondus modo augent , modo minuant , mercurius manens in tubo terminos suæ altitudinis diversimode mutet , nunc nonnihil altius se attollendo , nunc nonnihil se deprinendo . *Secunda observatio* est , quod si tubus supradictus ad montis præalti fastigium deportetur , quemadmodum ob diminutam altitudinem atmosphæræ minus evadit pondus ipsius , ita minor quoque fit altitudo , ad quam ad surgit mercurius , qui idcirco descendet aliquantulum : quemadmodum vice versa aliquanto major evadit eadem altitudo , ubi in cavernas , & loca subterranea tubus defertur , in quibus pondus incumbentis aeris nonnihil augetur . Atque hac methodo arbitratus est *Dominicus Cassinius* diversorum montium altitudines dimetri aliquo modo posse , observatis nempe differentiis altitudinum , ad quas attollitur mercurius in tubo *Torricelliano* in eorumdem montium fastigijs : de qua re consulendi sunt *Commentarii Regia Scientiarum Academia Parisiensis* .

85. Id idem luculentius ostenditur experimento *Pascalii* , qui quum tubum *Torricellianum* sic sibi parat-

rafset, ut bis inflexus, semel in loco B, iterum in loco C (Fig. 2.) ex tribus veluti tubulis AB, BC, CD inter se mutuo communicantibus constaret, ipsumque mercurio impletum, solito modo, in vasculum subiectum immersisset, obtinuit, ut mercurius non modo ad statam 28 pollicum altitudinem consideret in tubo perpendiculari CD, verum etiam, ut aliqua mercurii portio maneret in aliis duobus tubulis, AB, BC, quorum curvamine substinebatur. Quumque per foramen factum in supra parte C tubuli BC, vel CD curasset, ut aeri aditus pateret, observavit mercurium in tubulo CD suspensum confessim deprimi, eum vero, qui erat in tubo recurvo CBA sursum ad oppositam partem versus A ad tolli. Quos sane effectus omnino contrarios à gravitate aeris pendere cæcus est qui non videt.

86. Ex his autem experimentis non modo evincitur aerem gravem esse, sed illud quoque infertur pondus totius atmosphæræ adæquare pondus digitorum 28 mercurii. Qua ratione si supponamus superficiem Telluris non quidem ab aere, sed à mercurio undique ambiari ad altitudinem digitorum 28, ejus superficies eamdem proorsus pressionem sentiet. Idem erit si non à mercurio, sed ab aqua, ad altitudinem pedum 32, ipsam circumdatam fingamus: nam ex iis, quæ haætenus dicta sunt, manifestum est pondus atmosphæræ æquibrati, & cum pondere digitorum 28 mercurii, & cum pondere pedum 32 aquæ.

87. Quod si pondus atmosphæræ adeo est enorme, explicandum est unde accidat ut nos à tanta ejus gravitate minime opprimamur. Sed prius dicenda sunt nonnulla de pressione fluidorum, de qua uberioris differetur, ubi ad fluidorum corporum proprietates explicandas devenerimus. Sciendum itaque est, corpora dura premi undique à fluidis, à quibus ambiuntur, in tantum, ut non modo urgeantur sursum deorsum, verum etiam deorsum sursum, & à lateribus. Finge corpus aliquod durum ab aqua undique circumdari; ipsum non modo prematur sursum deorsum ab incumbente aqua, verum etiam deorsum sursum ab aqua subjecta,

cta, & undique à lateribus ; adeo ut nulla sit pars illius corporis, quæ aquæ pressionem non sentiat. Itaque quum nos ab ambiente aere undique cingamur, pressio aeris in corpus nostrum exercebitur undequaque : scilicet nulla erit pars corporis nostri, quæ atmosphæræ pondus non sentiat . Id quum ita sit mirum non est , si nos atmosphæræ pressionem minime animadvertisamus.

88. Aereim autem versus omnes partes æqualiter premere, ex eo etiam patet , quod corpora mollia tantam pressionem substineant sine figuræ mutatione, corpora vero fragilia eamdem substineant sine fractura : quum tamen si aer subiecta corpora sursum deorsum tantum premeret, deberent corpora quidem mollia subsidere, fragilia vero rumpi , atque in pulverem tenuissimum abire . Sed id idem manifestius ostenditur ex eo, quod sublata pressione inferiori effectus pressionis superioris illico se manifestet. Nam si ex vase aliquo æneo lamina vitrea plana superne obtecto extrahatur aer , cessante pressione inferiori , vi pressionis aeris superne incumbentis lamina vitrea confringitur, atque in exigua fragmenta , tanquam in pulverem tenuissimum, redigitur . Atque hic non alienum esse arbitror sequens experimentum referre , cuius causa inde dependet . Paretur tubus longitudinis pollicum circiter 28 , isque ex una parte apertus , ex altera clausus repleatur mercurio : inverso hujusmodi tubo ita, ut pars aperta horizontem respiciat, mercurius substinebitur ad altitudinem pollicum 28 à gravitate atmosphæræ . Fac nunc ipsum suspendi ad lancem aliquam: observabis lancem gravari tum ab ipsius tubi pondere (quod mirum non est), quum à pondere mercurii intus in tubo contenti. At id minime deberet contingere, quia actio mercurii est tantum horizontalis in latera tubi , neque exercetur contra fundum , quo fundo tubus carere supponitur . Sed considerandum sedulo hic est , mercurium gravitatem tubi minime augere, aut, quod eodem reddit , in lancem non agere; tollere tantum pressionem aeris inferiorem , propter quam pressionem ipse manet suspensus in tubo : Itaque quum sola maneat pressio superior , tubus à gra-

à gravitate atmosphæræ premetur sursum deorsum tantum , quantum est pondus 28 pollicum mercurii ; ex quo deinde fit, ut pondus, quod gravat lancem, adæquet quum pondus tubi, tum pondus 28 pollicum mercurii. Neque tantum sublata pressione inferiori superior pressio se se manifestat , verum etiam sublata superiori ostendendam se præbet inferior . Veluti si ex tubo , cuius orificium inferius digito obclusum est, aer ore exurgatur , digitus magna vi in tubum deorsum sursum urgebitur; id quod ex eo oriri putandum est, quod cessante pressione superiore aeris sola maneat pressio inferior , quæ urget digitum sursum versus . Denique sublata pressione una ad latus pressio contraria ad latus oppositum se se manifestat ; id quod cernere licet in infantibus, quibus ubera admota sunt, qui lugendo nihil aliud faciunt, quam ut tollant pressionem aeris externi lateralem, qua sublata lac ab aere interno foras ejicitur.

89. Supereft *tertia quæstio* , quæ elasticitatem aeris respicit . Hæc , ut constat ex innumeris experimentis , ejus densitati proportione correspondet , modo tamen cætera paria sint ; in tantum ut aer duplo , vel triplo densior, duplo, vel triplo elasticior sit. Et quoniam densitas aeris est ut pondus, à quo ipse comprimitur , (eternim data aeris quantitas à dupla , aut tripla vi compressa redigit se in spatum subduplicem, aut subtriplicem) inde fit, ut elasticitas aeris sit etiam ut pondus comprimens. Ex quo facile infertur, elasticitatem atmosphæræ minui cum ipsa densitate : itaque quo ad majorem altitudinem adscendimus , eo magis aeris minus elasticus occurrimus. Facile est etiam colligere elasticitatem atmosphæræ minui in eadem ratione, in qua minuitur pondus ipsius : quapropter quando ad eam altitudinem devemus est , in qua aer duplo rarius est , sive etiam in qua aer duplo est levior , eo loci vis elæstica aeris subdupla facta esse deprehenditur.

90. Quod si aeris elasticitas proportionalis est ponderi comprimenti, minime mirandum est, si exigua aeris portio vase aliquo inclusa tantumdem possit cum sua elæstica vi, quantum potest totum pondus atmosphæræ, dum-

dummodo ejus densitas eadem maneat . Etenim tubus *Torricellianus* recipiente vitro adcuratissime clausus (ad hoc , ut aer in superficiem mercurii vase contenti premens , nullum cum exteriori aere commercium habeat) detinet suspensum mercurium ad eamdem altitudinem pollicum 28: quod quidem non à gravitate aeris vase inclusi , quæ perexigua est , sed potius ab ejusdem elasticitate , quæ adæquat pondus atmosphæræ oriri putandum est . Sit ABC (Fig. 3.) recipiens vitreus , undique ita clausus , ut omnis prorsus communicatio inter externum , atque internum aerem sublata sit . Tubus *Torricellianus* DE cum suo vasculo E clausus in hoc recipiente detinebit etiam mercurium suspensum ad altitudinem EF pollicum circiter 28 : id quod haud quidem rejici debet in gravitatem aeris inclusi in supradicto recipiente , sed potius in ejusdem elasticitatem . Finge enim mercurium ab altitudine EF sublidere ad altitudinem EG aliquanto minorem ; jam aer in recipiente vitro inclusus , quum in minus spatiū coactus sit , densior evadet : Unde quoniam elasticitas aeris augetur ex densitate , necesse est ut , aucta densitate aeris in recipiente contenti , augeatur ejus elasticitas : Itaque mercurius vasculo E contentus pressionem aliquanto majorem sentiens , ob auctam vim elasticitatis aeris compressi , ad pristinam altitudinem adsurgere debebit .

91. Sed fac , ut aliqua aeris portio educatur ex recipiente vitro ABC (id quod fit beneficio *Machinae pneumaticæ* , quam primus referit *Otto Guericus* , deinde vero perfecit summus *Philosophus Robertus Boyleus*); videbis mercurium *Torricelliano* tubo suspensum ad minorem altitudinem sublidere , eoque ad minorem altitudinem descendere , quo major quantitas aeris educitur ex recipiente : itaque quando totus pene aer extrahitus est , mercurius *Torricelliano* tubo contentus omnino subludit . Vicissim fac , ut major quantitas aeris operis syringis introducatur in recipientem ABC ; videbis mercurium tubo *Torricelliano* contentum ad majorem altitudinem adsurgere , eoque ad majorem altitudinem elevari , quo major quantitas aeris in recipientem induci-

ducitur. Quorum quidem causæ sunt, quod priori casu aer rarescens minus elasticus evadit, posteriori vero casu aer cum majori densitate majorem etiam vim elasticam nanciscitur. Cæterum aeris elasticitas augetur etiam ex calore, non solum ex densitate: nam si certa aeris quantitas vase aliquo inclusa aliquem effectum producit, is calefactus majorem effectum producet. Sic vesica flaccida, cuius collum fortissimis vinculis obstrictum est, si ferventi aquæ immergatur, aer in vesica contentus adquireret ex calore summam elasticitatem, usque adeo ut vesica tumescat, & quandoque etiam disrumpatur.

92. Ex hæc tenus dictis satis intelligitur, quæ sit vera causa earum observationum, ex quibus vacui horæ collegisse dictum est Scholasticos. Nempe primo aqua adscendit in tubos vitroes, ex quibus aer ore educitur propter gravitatem aeris externi, qui aquam tubis circumjectam superne premens, compellit ipsam ad adscensum intra tubos: & quoniam constat ex observationibus aquam adscendere non posse ultra pedes 32, liquet, quam ridiculus sit vacui honor à Scholasticis excoigitatus: vix enim risum cohibebimus, si Scholasticæ hic dicant, naturam abhorre à vacuo usque ad pedes 32, ultra vero pedes 32 omnem metum abjicere: ut præterea experimentum cum mercurio institutum altitudinem pollicum tantum 28 præbere, quum tamen ad pedes pariter 32 adscendere debuisse, si adscensus à limitato illo vacui horro proficeret. Secundo aqua non descendit ex tubis superne clausis ob pressionem aeris inferioris, quæ quidem pressio magis potest, quam pondus columnæ aqueæ in tubo contentæ. Quod si tubis longior sit pedibus 32, tunc aqua in tubo contenta effluet, usque donec maneat ad altitudinem pedum 32, nam ad eam altitudinem æquilibratur cum pondere atmosphæræ. Tertio caro subit cucurbitas medicas calefactas propter elasticitatem aeris inter poros carnis delitescentis: etenim quum is aer elasticior sit aere cucurbitarum à vi flammæ rarefacto, profecto necesse est carnem inflari ab illo. Sic videmus vesicam modi-

modice inflatam magis, atque magis expandi in vacuo *Boyliano*; cuius expansionis causa est vis major elastica aeris inclusi in vesica. *Denique* folles, obclusis omnibus foraminibus, diduci non possunt, non quidem propter vacui horrorem, sed potius propter pondus atmosphæræ, quæ comprimit folles. Itaque experimentum tunc succedit, quum adhibetur vis, quæ minor est pondere atmosphæræ: quando enim ad id adjungimus vim, quæ major est pondere atmosphæræ, tunc folles nihil vetat, quin diducantur.

CAPUT QUINTUM.

Appendix ad doctrinam de gravitate atmosphæræ superiori Capite expositam.

93. **Q**uoniam disputatio de *vacui horrore* manuduxit nos superiori Capite ad quæstionem longe nobiliorem de *gravitate atmosphæræ*, ne deesset aliquid huic doctrinæ, operæ pretium duximus ea, quæ eodem Capite prætermissa sunt, adpendicis loco hic subnectere. Et principio quidem memorandum est experimentum quoddam *Boylianum*, quod ansam dedit clarissimo *Christiano Hugenio* plura alia experimenta instituendi ad atmosphæræ gravitatem pertinentia. Experimentum *Boylianum* tale est. Si tubo vitreo quatuor pedes longo aqua repleto (cujus extremitas aperta, tubo inverso, immersa sit in aquam vasculo contentam) impõnatur recipiens vitreus, ex quo aer educatur: post exhaustum aerem, quantum ope machinæ fieri poterit, aqua descendet in tubo, donec ad altitudinem unius circiter pedis substineatur, superiori tubi parte aqua, & aere manente vacua. Evidem si loco aquæ adhibeatur in experimento mercurius, is subsidet ad altitudinem linearum $10\frac{1}{2}$, hoc est ad altitudinem paulo minorem digito uno. Censet hic optime clarissimus *Boyleus* aquam ad illam altitudinem, unius pedis circiter, hærente propter aerem in recipiente superstitem, qui aer ope machi-

D næ,

50 PHILOSOPHIAE NATURALIS
næ, cum per rarefactionem expellentis, annihilar omni-
nino non potest.

94. Sed deinde succurrit *Hugenio* instituendi hoc
idem experimentum cum aqua aere purgata : aqua
enim, reliquaque corpora sive fluida, sive dura aere
luxuriant, ut suo loco dicetur ; quo purgantur, si per
diem unum, vel alterum detinentur in recipiente vi-
treo, unde omnis aer, mediante machina *Boyliana*, ex-
tractus sit. Itaque *Hugenius* quum reliquisset aquam in
vacuo per horas 24, ut aere penitus purgaretur, (quem
aerem paulatim ejecit sub forma parvarum bullula-
rum), replevit aqua sic purgata tubulum DE (*Fig. 4.*),
cujus extremitas una E erat aperta, altera vero deline-
bat in globum cavum D, ut in figura cernere est. Deinde
inverso tubo, superimpositoque recipiente vitro ABC,
licet optime eduxisset aerem ex hoc recipiente, atta-
men non sine admiratione vidi aquam nullatenus de-
scendere ex ipso tubo, qui plenus remanebat. Ut quid
rei esset expiscaretur, detraxit tubum ex recipiente, &
post admissam in eum parvam bullulam aeris, reposuit
ipsum, ut antea, sub recipiente, omnique aere iterum
educo, vidi tandem omnem aquam descendisse prope
ad libellam illius, quæ erat in vasculo E : id quod per-
suasit *Hugenio* aquam idcirco manere suspensam in tu-
bo DE, quod aere esset purgata.

95. Sed alio tempore mirabile quid accidit *Hugenio*
idem experimentum institueri. Quum bullam aeream
haud intrulisset in tubum, post exhaustum aerem for-
mari bullam observavit in tubi orificio inferiori. Hæc
bulla continuo magis, magisque aveta, ubi ad magni-
tudinem parvi pili pervenit, reliquit tubi orificium,
incæpitque ascendere ; ubi vero ad altitudinem unius
pollicis supra superficiem aquæ pervenit, non ulte-
rius adscendit, sed subito se se expandit superiora ver-
sus, occupavitve totum tubum : ex quo eodem tem-
pore aqua descendit per parum id spatium, quod reli-
quum erat inter interiorem colli superficiem, & bul-
lam, quæ extensa erat ; omnisque remansit infra illam
altitudinem unius pollicis, ad quam bulla cœpit se se
expan-

expandere: Hæc autem omnia contigerunt *Hugenio* instituenti experimenta cum tubis diversarum longitudinum duorum pedum, & majoribus, in quibus aqua manebat suspensa eodem modo, ac si tubus fuit set pollicum novem.

96. Communicavit deinde *Hugenius* hæc experimenta cum *Societate Regia Anglicana*. Sed viri illi per illustres noluere statim communicatis experimentis siedem dare, eique responderunt verilimiliter aquam ex tubo non descendisse propter aerem non bene evacuatam. Sed anno 1663 quum *Hugenius* versaretur in *Anglia*, ipso praesente, in *Regia Societas* confessu, institutum est idem experimentum, & quidem eodem cum successu, licet tubi fuerint quatuor, vel quinque pedum: tuncque in mentem vertit *Roberto Boyleo* idem instituere experimentum non adhibita *antlia pneumatica*, sed cum argento vivo in tubo vitro, cujus extremitas aperta immissa esset de more in aliud argentum vivum vasculo contentum, reperta primum ratione mercurii perfectissime purgandi. Quumque rem istam suscepisset, successit ei experimentum: & quum in fistula *Torriceilliana* mercurius hæreat ad altitudinem pollicum circiter 28 supra superficiem mercurii, cui tubus innitur, ita à Domino *Boyleo*, & eodem etiam tempore à Domino *Vicecomite Broucher Praefide* *Societas Regia Anglicana* fuit institutum, ut primo mercurius hæreret ad altitudinem pollicum 34, deinde pollicum 52, postea 55, & tandem ad altitudinem pollicum 75, tubo semper pleno remanente: & haec tenus minime compertum est, quænam sit maxima possibilis altitudo, ad quam mercurius purgatus aere detineri possit. Idem *Boyleus* observavit mercurium non cadere, etiam si tubis extrahatur ex mercurio, & detineatur in aere libero, quamquam id postulet summam sedulitatem. Porro in his experimentis minima aeris bullula, sive sponte, sive concussione formata, subito deprimit mercurium ad ordinariam altitudinem pollicum 28 circiter.

97. Quod ad istorum phænomenon causam adtinet, *Hugenio* sic de ea philosophari placuit. Præter pressio-

nem aeris, quæ substinet mercurium ad altitudinem pollicum 28 circiter in experimento *Torriceilliano*, conjectari dari aliam pressionem illa fortiorum, factam à materia aere longe subtiliori, quæ per facile penetrat vitrum, mercurium, aquam, aerem, reliquaque omnia corpora aeri impenetrabilia. Hæc pressio, una cum pressione aeris, potest substinerre mercurium ad altitudinem pollicum 75, & fortasse ad altitudinem majorem, quamdiu tamen agant in superficiem inferiorem, vel etiam in superficiem mercurii, in quem aperta tubi extremitas immissa est. Sed quamprimum materia isthac potest etiam agere ad partem alteram, (quod accidit si tubum concutiendo, vel immittendo parvam aëris bullulam facultas detur huic materia effectum suum inchoandi) illius pressio æqualis erit ex utraque parte, ita ut sola supersit pressio aeris, quæ substinet mercurium ad ordinariam altitudinem pollicum 28. Eadem de causa, in experimento aquæ aere purgatae, post remotam pressionem aeris, evacuato recipiente ABC, altera illa pressio materiae subtilissimæ agit etiam, ut antea, in superficiem aquæ in vasculo E, & cohibet ne aqua descendat ex tubo. Sed ubi minima aeris bullula tubum intrat, materia illa subtilissima, quam dictum est transire per vitrum, & aquam subito inflat bullam, editque pressionem æqualem illi, quæ agit in superficiem aquæ in vitro E; itaque omnis aqua tubi defluit, & ad libellam cum illa, quæ est in vitro se se constituit.

98. Sed hic *Hugenius*, ut magnain viri sinceritatem agnoscas, querit ex se, cur pressio hujus materiae subtilissimæ non agat in aquam suspensam in tubo, & in mercurium in tubo *Boyliano*, etiam dum vasa hæc plena sunt, quoniam politum est ipsam haud difficulter penetrare vitrum æque ac aquam, & mercurium. Difficultatem istam, quam magni esse momenti profitetur, ita solvere nititur *Hugenius*: ait superficiem mercurii, quæ tangitur à vitro, non omnem premi à materia ista subtilissima, sed partes illas, quæ obteguntur à partibus solidis, immunes esse à pressione, partes vero eas, quæ poris vitri subjectæ sunt, vim ejus pressioni sentientes;

re; indeque fieri, ut minor sit pressio in superficiem argenti vivi, quæ contingit vitrum, quam in superficiem inferiorem, quæ tota exposita est aëtioni materiæ, à qua secunda pressio proficitur. Sed conjecturas istas *Hugenii* neque adfirmare, neque refellere in animo est: itaque quid de iis sentiendum sit, penes Lectores ipsos judicium esto.

CAPUT SEXTUM

De divisibilitate materiæ in infinitum.

99. **N**illum est dogma philosophicum, quod certius sit *divisibilitate materiae in infinitum*: de eo enim tantis constat argumentis, ut illud in dubium revocare, hominis sit ratione prorsus destituti. Principio autem advertendum hic est, per divisibilitatem haud quidem intelligi aëtualē partium separatiōnem, sed potius *magnitudinis cuiusvis in partes suas resolutionem cogitatione factam*. Itaque quum dicimus materiam divisibilem esse in infinitum, haud quidem contendimus infinitas partes materiæ aëtu separari posse singulas à singulis: (stultum est enim credere id fieri posse) sed tantum volumus cogitatione adsignari posse in data materiæ portione partes infinitas.

100. Dixi autem per divisibilitatem intelligi *cuiusvis magnitudinis in suas partes resolutionem cogitatione factam*: nam isthæc divisibilitatis proprietas æque ad corpora pertinet, ac ad reliqua magnitudinum genera, præcipue vero ad spatium: neque ullum aliud occurrit discriumen inter divisibilitatem corporis, & divisibilitatem spatii, nisi quod partes corporis si non humana industria, at saltem divina potentia possunt separari: quum partes spatii ne Deo quidem volente, ac jumente divelli possint, atque sejungi.

101. Jam materiæ in partes resolutio ita ei intima est, atque essentialis, ut nullum detur corpus tam minimum, quod ex aliis minoribus corpusculis non com-

54 PHILOSOPHIAE NATURALIS

ponatur, & ista rursus unaquæque ex aliis minoribus coalescant, quorum singula alias adhuc minores partes comprehendant, & sic deinceps in infinitum. *Enim vero nulla est materia pars tam minima, quæ extensa non sit; quum extensio proprietas sit essentialis materiæ, adeoque ab ipsa inseparabilis: extensum vero quod est habere debet partes extra partes.* Erit igitur quælibet pars materiæ ex aliis minoribus partibus, quarum unæ juxta alias positæ sunt, composita, adeoque in partes istas, ex quibus componitur, divisibilis. Hoc autem ratione evincitur, quamlibet materiæ portionem non modo esse divisibilem, verum etiam in infinitum partiri posse; quod enim dicitur de toto, id idem pari ure adfirmari potest de partibus primis, deque earum partibus aliis in infinitum. Ex quo sequitur, atomos *Epicureorum*, sive partes materiæ extensas, atque indivisibiles, mera esse figmenta; nam si sunt indivisibles, inextensæ sint oportet; inextensæ autem si sunt, materiæ rationem non habent.

102. Sed hic statim occurrit, à *Geometris* considerari puncta omnino partibus carentia; punctum enim est, cuius nulla est pars, nulla magnitudo; considerari præterea lineas, quæ etsi habeant partes secundum longitudinem, carent tamen partibus secundum latitudinem, & profunditatem: linea enim definitur, quod sit *longitudo latitudinis expers*: ad hæc considerari superficies, quæ habent partes secundum longitudinem, & latitudinem, at non secundum profunditatem: superficies enim est, quæ *longitudinem, & latitudinem tantum habet*. Inde fit ut puræ sint omnino indivisibilia; lineæ sint divisibles secundum longitudinem tantum; superficies vero secundum longitudinem, & latitudinem tantum. Atqui puncta, lineæ, & superficies sunt partes corporum; nam ex ipsis corporibus originem trahunt: itaque aut partes sunt in corporibus indivisibles, aut puncta lineæ, & superficies sunt mera somnia, atque figmenta *Geometrarum*.

103. Ut autem huic difficultati satisfaciamus, haud quidem contendemus falsum esse puncti nullam esse magni-

magnitudinem, lineæ nullam esse latitudinem, superficie vero nullam esse profunditatem, quemadmodum nonnulli stultissime faciunt: id enim responsum *Geometriae*, hoc est scientiæ longe nobilissimæ, fundamenta convelleret: sed potius negabimus corpora constare ex punctis, ex lineis, exque superficiebus; sive, quod eodem redit, negabimus partes corporum esse puncta, esse lineas, atque superficies mathematicas, quamvis illæc ab ipsis corporibus nascantur. Id autem ut rectius intelligatur, res altius repetenda est. Quum corpus tripli- ci tantum ratione possit dimetiri, inde factum, ut ab antiquissimis usque temporibus tres corpori dimensiones, natura ipsa id postulante, fuerint adscriptæ, quarum dimensionum una *longitudo* dicitur, alia *latitudo*, tertia *profunditas*. Jam tres istæ dimensiones ita ad naturam corpoream spectare videntur, ut quantulæcumque tenuitatis corpus tibi effinxeris, ipsum habeat oportet nonnihil & longitudinis, & latitudinis, & profunditatis, psque adeo ut si aliquam ex hisce tribus dimensionibus detrahere à corpore nitaris, nihilo plus agas, quam ut corporis conceptum ex longitudine, latitudine, & profunditate constantem penitus evertas.

104. Quamquam autem dempta profunditate à corpore corporis conceptus, ut modo dictum est, periret, subnascitur tamen aliis conceptus vulgo penitus ignotus, sed *Geometris* familiarissimus, cui *superficiei* nomen tributum est: & quoniam conceptus corporis, dempta profunditate, abit in conceptum superficie, sic hinc, ut superficies constet tantum longitudine, latitudineque, sed careat profunditate; unde superficies neque corpus est, neque pars corporis, sed potius est modus, sive terminus corporis. Similiter dempta ex corpore primum profunditate, tum vero latitudine eo magis perit conceptus corporis, sed aliis nascitur conceptus, *Geometris* etiam familiarissimus, cui *lineæ* nomen est attributum. Et quoniam conceptus corporis, dempta profunditate, & latitudine, abit in lineæ conceptum, sic hinc ut linea constet longitudine tantum: unde linea neque corpus est, neque pars corporis, sed ad instar su-

perficie, est modus ejusdem corporis. Denique subtrahendo ex corpore primum profunditatem, tum latitudinem, deinde vero longitudinem habetur punctum, cuius nulla quidem est magnitudo, sed potius ipsum est initium omnis magnitudinis.

105. Fac enim punctum, (cujus nomine intelligimus *signum in corpore omnibus partibus destinatum*) fluere versus aliquam partem, atque inter fluendum linquere vestigium fluxus sui; ex hujusmodi fluxu suborietur linea, sive longitudine quædam omni & latitudine, & profunditate destituta. Fac deinde lineam, ex fluxu puncti sic genitam, moveri in latus, atque, interea ac movetur, relinquere vestigia motus sui; ex hujusmodi motu suborietur superficies, sive res extensa in longum tantum, & latum. Denique fac superficiem ita genitam sursum fluere, vel deorsum, & producetur corpus, cuius tres sunt dimensiones quarum una est longitudo, alia est latitudo, tertia vero est profunditas.

106. Itaque in natura quid quid est, quod sapit naturam extensionis (solidæ intellige), id omne profecto corpus est: puncta autem, linea, & superficies non existunt in natura divisa atque sejuncta à corporibus, sed tantum adsunt in ipsis corporibus, non jam ut partes componentes, sed ut *modi*, sive *termini*, sive *principia* extensionis corporeæ. Quapropter rogati num corpus constituatur ex superficiebus, audeamus id negabimus, & multo magis negabimus corpus conflari ex lineis, aut etiam ex punctis. Quod si queratur à nobis, qualis sit igitur corporum compositio, interrogatio satisfaciā universalius, indicata nempe compositione cuiusvis quantitatis continuæ, ne dum solius corporis, quod species est quantitatis continuæ. Principio autem sciendum est quantitatis nomine id omne venire apud Philosophos, quod *incrementi*, vel *decrementi capax* est: quapropter linea, superficies, corpus, motus, tempus, spatium, &c. rationē habent quantitatis, quia incrementum, vel decrementum subire possunt. At vero purum quantitatis nomen minime meretur; punctum enim minui non potest, nec augeri.

107. Hæc

107. Hæc est quantitatis notio , atque natura : Ejus autem duas sunt species præcipue , quarum una dicitur continua , altera vero *discreta* adpellatur. Quantitas continua illa est , *cujus partes coherent inter se*. Discreta vero est illa , *cujus partes à se mutuo sunt divisæ* . Itaque extensio revocari debet ad quantitatem continuam ; nam partes extensionis sunt connexæ , & indivisæ : at vero numerus revocari debet ad quantitatem discretam , quia unitates , quæ partes sunt numeri , à se mutuo divisæ sunt , atque distinctæ. Rursus quantitas continua dividitur in *successivam* , & *permanentem* ; successiva est species quædam quantitatis continuae , in qua partes sibi mutuo una aliis succedunt , neque eodem tempore existunt , ut contingit in tempore , atq; in motu permanens vero quantitas illa est , *cujus partes existunt una simul* , ut accidit in extensione.

108. Jam continuum haud quidem componitur ex partibus indivisibilibus , quas *Epicurei atomos* , non nulli vero recentiores Philosophi *monadas* adpellant , sed potius ex aliis ejusdem speciei minoribus continuae , atque hæc rursus ex aliis minoribus , ista vero ex aliis adhuc minoribus , atque sic deinceps in infinitum , ita ut hac in re natura limitem non agnoscat . Quapropter linea non confabitur ex punctis , sed ex aliis infinitis lineolis , atque istæ ex aliis ; superficies non constituetur ex lineis , sed potius ex aliis infinitis superficiebus , istæque ex aliis : corpora vero non ex superficiebus , sed ex aliis infinitis corpusculis constituentur ; Non dissimiliter putabimus tempus compositum esse haud quidem ex instantibus , sed potius ex infinitis temporis partibus minoribus , atque has rursus ex aliis in infinitum : etenim instantis est ad tempus , ut se habet punctum ad lineam ; itaque quemadmodum linea non constituitur ex punctis , ita neque etiam tempus compendi potest ex instantibus.

109. Sed operæ pretium est hac in re audire summum virum *Iacum Newtonum* , qui quum in *Prop. LXXIII. Libri I. Principiorum suo Philosophia Natura-* lis adiungisset sphæram constitutæ ex innumeris superfici-

cie-

ciebus sphæricis concentricis , ita deinde in adposito scholio compositionem istam declarat . *Superficies* , ex quibus solid a componuntur , bic non sunt pure mathematisca ; sed orbis adeo tenues , ut eorum crassitudo instar nibili sit , nimisrum orbis evanescentes , ex quibus sphæra ultimo constat , ubi orbiū illorum numerus augetur , & crassitudo minuitur in infinitum . Similiter per puncta , ex quibus linea , superficies , & solid a componi dicuntur , intelligenda sunt particulae aquales magnitudinis contemnenda.

110. Adversus infinitam materiae divisibilitatem haetenus ostensam plurima opponunt Epicurei , qui atomos , sive materiae partes indivisibilis propugnant . Primo autem objiciunt , quod si quilibet pars materiae esset divisibilis in infinitum , tot partes forent in portione majori , quot sunt in minori , atque adeo portio major minorem adæquaret . Sed primum , respondetur falsum esse , quod si quilibet pars materiae divisibilis esset in infinitum , tot partes esse deberent in portione majori , quot sunt in portione minori ; etenim quemadmodum in numeris finitis , quidam sunt numeri aliis minores , idque secundum quamvis rationem datam , sic pariter in numeris infinitis , dantur numeri infiniti aliis majores , vel minores secundum quamvis rationem datam . Atque , ut rem istam sensibilibus exemplis illustremus , fingamus existere in universo homines infinitos : jam quia singuli homines duo habent brachia , oportebit numerum brachiorum esse duplo infinitum : hic autem numerus additus numero oculorum , qui etiam duplo infinitus est , dabit numerum , qui erit quadruplo infinitus ; atque iste additus numero digitorum manuum , componet numerum , qui erit decies , & quater infinitus , longeque adhuc infinitior erit numerus capillorum , qui sunt in omnibus hominibus infinitis . Fingamus præse-
dari lineam aliquam infinitam : jam in ea contineri necesse est infinita millaria , longe plures infinitos passus , longe plures pedes , pollic es adhuc longe plures , adhuc plures lineolas , & cæt .

111. Corruit ergo oppositio Epicureorum huic in-
dixa

nixa fundamento , quod omnes numeri infiniti æquales sint inter se . Verum enīmvero, etiam si concedamus *Epicurei*s numeros infinitos partium contentarum in utraque magnitudine æquales esse inter se , non idcirco sequitur ipsas magnitudines æquales fore: nam fieri potest , ut singulæ partes infinitæ magnitudinis majoris proportione sint maiores singulis partibus infinitis magnitudinis minoris. Etenim, ut duæ magnitudines æquales sint inter se , duo postulantur . *Primum*, ut idem sit numerus partium in utraque magnitudine contentarum . *Secundum*, ut singulæ partes unius æquales sint singulis partibus alterius . Horum utrumque si adsit, magnitudines æquales erunt inter se : si alterum desit, magnitudines erunt inæquales . Hac ratione non quia ulna , & palmus dividi possunt in decem partes , sequitur ulnam , & palmum æqualia esse inter se ; etenim singulæ decem partes ulnæ proportione maiores sunt singulis decem partibus palmi.

112. Objiciunt *secundo* , si materia esset divisibilis in infinitum , posset taltem Deus illam in partes suas infiniteimas secare, atque resolvere , quod utique si fiat, daretur pars ultima omnis expers divisibilitatis . Respondetur Deum id omne efficere posse , quod contradictionem non involvit, aut immutabili ipsius naturæ non repugnat . Itaque quum materiæ constitutio talis sit , ut nulla detur portio adeo parva , quæ in alias minores partes resolvi non possit , liquet Deum non posse ita materiam secare , ut detur pars ultima indivisibilis . Atque hoc loco recordari debemus ejus , quod de continui compositione hoc eodem Capite dictum est . Nempe unumquodque continuum constitui ex aliis ejusdem naturæ, ac speciei minoribus continuis, atque haec rursus ex aliis , atque ista ex aliis in infinitum .

113. Objiciunt *tertio* , quod, si materia esset divisibilis in infinitum , sequeretur parvam materiæ massulam usque adeo in quadratas plagulas dividi posse , ut toti Terrarum orbi tegendo par esse possit ; quod plane absurdum esse ajunt . Sed respondetur non idcirco absurdum esse aliquid , quia vim nostræ imaginationis cedit.

cedit. Evidem fatemur intelligi non posse, quomodo parva materiæ portio in tantas quadratas plagulas dividit possit, ut toti Terrarum orbi obtegendo sufficiente negamus tamen idcirco id esse falsum: dantur enim, præcipue in *Geometricis*, multa certissima, quæ tamen intelligi haud tam facile possunt. Veluti demonstrant *Geometrae* in locum tangentem, & linea quavis curva contentum aliam rectam lineam cadere non posse; hoc est angulum contactus minorem esse ostendunt quovis angulo acuto rectilineo, ut ut in infinitum eum diminutum supponamus. Demonstrant præterea lineas curvas, quæ asymptoto donantur (in quarum numero sunt *Hyperbola Apolloniana*, *Cissoides* veterum, *Conchoïdes à Nicomedes* excoxitata ad cubum duplicandum, *Quadratrix*, aliæque innumeræ) semper magis, atque magis in infinitum adcedere ad asymptotos suas, absque eo quod cum illis tandem convenienter: quorum tamen utrumque supra nostram intelligendi vim positum est.

114. Sed ne à rebus naturalibus discedamus, congeremus hic illustra aliquot exempla divisibilitatis materiæ in immensum, ac pene in infinitum. *Primum* esto illud, quod à generatione animalium deducitur. Credebant veteres generationem *insectorum* fieri per putrefactionem materiæ; sed hodie vix dubitatur quin omnis generatio fiat ab ovo: nempe omne animal continentur in ovo suo, labente deinde tempore ex ovo isto excluditur. Sed quomodo formantur animalia alia, quæ nascuntur ex animalibus latentibus in ovis? Eo deveniendum est, ut dicamus initio rerum primis animalibus indita fuisse corpora omnium animantium ejusdem speciei, quæ deinceps erant nascitura: adeo ut eorum ovaria omnia individua specierum omnium completerentur, quæ, labentibus seculis, quum nasci dicuntur, conspicuadumtaxat fiunt, incremento paulatim adsumpto. Non dissimiliter dicendum est, in primis plantarum seminibus plantas omnes, quæ hactenus natae sunt, quæq; deinceps nascituræ erunt initio rerum delitusse, quæ plantæ, labente tempore, paulatim explicari incipiunt. Quæ guidem si vera sunt, quemadmodum magnam veri speciem

ciem habere suo loco ostendetur, profecto divisibilitatem materiae in infinitum aliquo modo evincunt.

115. *Alterum exemplum* peti potest ab existib^{us}, aque tenuibus corporibus *Insectorum*. Satis, experiendo, constat, plerasque istiusmodi bestiolas tantillae esse magnitudinis, ut per lentem quantumvis optimam visae, tamquam totidem puncta vix visibilia adpareant. Quum autem bestiolae istae sint totidem corpora organica, perpendamus quæso, quam delicatulae, atque subtile esse debeant partes ad vitalem actionem conservandam necessariae. Non tam facile intelligetur, nisi materiae in infinitum divisibilitate præsupposita, quomodo in tam angusto spatiolo comprehendi possit cor, quod ipsius vitae fons est, musculi ad motum necessarii, glandulae ad liquores secernendos, ventriculus, & intestina ad alimenta digerenda & alia membrana innumera, sine quibus animalis vita intelligi nequit. Jam vero quid erunt oculi, quid aures, quid nares, quid fibræ nervi, venæ, arteriae, musculi, membranae, canaliculique numero pene infiniti, quos corporis organica dispositio requirit? at his infinite propemodum minores erunt partes fluidi, quod per supradictos canaliculos excurrit, nempe sanguis, lympha, & spiritus animales, quorum in ipsis grandioribus animalibus subtilitas est adeo mirabilis.

116. *Præterea* mirandam naturae subtilitatem contemplari etiam possumus in auro, ex cuius singulari duicitate exiguum partium ipsius molem collegerunt doctissimi viri *Jacobus Rhoaultius* in Gallia, *Robertus Boyleus* in Britannia, & nuper eodem in loco clarissimus *Edmundus Halleus*. Horum primus consideravit divisionem auri mirabilem in tenues lamellas, sequenti subtilissimo calculo inito. Quum pondera molium æqualium auri, & aquæ sint inter se, ut 19 ad 1, sive, quod eodem redit, quum gravitates specificæ auri, & aquæ supradictam rationem servent inter se, quumque constet experientia, pedem aquæ cubicum ponderare libras 71, sequitur pedem cubicum auri ponderare libras 1349, seu, 16 uncii singulis libris attributis, uncias

cias 21584. Et quoniam in pede linearis continentur lineaæ 144, in pede cubico continebuntur lineaæ cubicæ 2985984; itaque unica auri, quæ est pars 21584. ⁷³⁹² pedis

²¹⁵⁸⁴ cubici, continebit lineaes cubicæ 138 — : atque adeo

si ea in formam cubicam cedatur, ejus tum longitudo, ²² quum latitudo, atque crassitudo continebit circiter lineaes

⁴⁹ $\frac{1}{7}$, basis autem hujus cubi continebit lineaes 26 — quadratas.

117. Quibus ita constitutis, sciendum est opifices, qui, aurum cundendo, extendunt in tenues lamellas ex uncia auri efficere 2730 bracteas quadratas perfectas quaquaversus 34 linearum, citra intertrimentum, quod vocant, sub quo nomine veniunt resemina quedam, in quæ fere abeunt dimidiae. Jam vero quum singulæ bracteæ extendantur tum secundum longitudinem, quum secundum latitudinem lineaes 34, ex singulæ patibunt in planitiem lineaes quadratas 1156, adeo ut universæ in plano inter se connexæ composituræ sint superficiem 3155880 linearum quadratarum; cui si saltem tertiam partem addideris, quæ ad minimum abiit in resemina, compieries opifices ex uncia auri efficere 4207840 lineaes quadratas; cuius superficie amplitudo quum basim cubi aurei unciaæ pondo (quæ basis erat li-

²² nearum quadratarum 26 —) superet partibus 159092,

⁴⁹ adparet ipsum cubum, qui, ut ante diximus, lineaes non amplius $\frac{1}{7}$ in altitudinem habet, in 159092 lamellas quadratas esse divisum.

118. Horum non sunt dissimilia, quæ Edmundus Halleius per subtilissimos computus constituit. Is ostendit unum auri granum in 10000 partes oculo satis visibilis posse secari, adeoque, quum in digito cubico auri contineantur grana 4761, sequitur digitum cubicum auri dividii posse in partes oculo visibilis 47610000. Præterea idem Halleius computavit crassitatem illius lamel-

lamellæ aureæ, quæ super argentea fila ab artificibus inducitur, invenitque crassitatem istam sumptam toties, quoties numerus 124500 continet unitatem vix digitum unum cœnstituere; hoc est si digitus unus dividatur in partes æquales 124500, crassities illius lamellæ vix unam harum partium adæquabit, quæ tenuitas prodigiosa sane est. Adcedit quod instrumenta, quibus instrumentis ad hæc conficienda utuntur artifices, crassiora sint, ruditerque elaborata; id quod majorem rei, quæ de agitur, admirationem conciliat.

119. Denique corpora odorifera subministrant etiam argumentum summæ subtilitatis, ad quam materia naturaliter potest pervenire. Hoc argumentum uberrime tractatum est à plerisque magni nominis Philosophis; sed juvabit & nos etiam nonnulla de eo scripsisse. Adneceamus autem hic calculum exhalationum fumosarum ab exiguo incensi thuris granulo egredientium, amplique cujusdam cubiculi singula quasi puncta (quod odor ubique præsens testatur) occupantium. Pono itaque cubiculum patere in longitudinem pedes 20, totidem pedes patere in latitudinem, in altitudinem vero attoli ad pedes 15: universum ejus spatium 6000 pedibus cubicis definietur. Pono insuper unius pedis longitudinem 500 semina papaveris, aut his minutiora alia capere posse; pes cubicus unus comprehendet ejusmodi seminum 12500000; totum vero cubiculum, quod sex mille pedes cubicos complectitum continebit eorum seminum 75000000000, non computatis spatiolis inter granula seminum æquali numero interjectis. Denique pono in unico spatio tali, quod unius semini papaveris æquale est cum interjecto vacuo proximo saltem mille particulas fumosas contineri; harum omnium numerus in cubiculo contentarum foret 750000000000, hoc est 750 billionum; quæ omnes tamen uno exiguo thuris granulo antea concluſe fuerant, atque contentæ.

120. Sed fatendum est hæc, aliaque hujusmodi, quæ passim adferri solent ad hoc argumentum illustrandum, id tantum valere, ut suadeant naturam attenuare

nuare quidem particulas materiæ in immensum, non vero eas in infinitum dividere: credibileque est Deum hoc in re quosdam limites constituisse, quos natura prætergredi nequeat. Nam ordo constans universi, quo regenerantur semper eadem ex corporibus dissolutis, cumque iisdem proprietatibus eo spectare videtur: etenim si materia actu divideretur in infinitum, futurum esset, ut nova produc̄ta illico existerent in natura, quod non fit. Sed fatendum est etiam deficere hac in re nobis experimenta, quæ controversiam istam digimere valeant.

CAPUT SEPTIMUM

Infinita materiæ divisibilitas argumentis Geometricis ubertas confirmatur. Consecaria quædam hujus doctrinæ illustriora proponuntur.

121. **A**d infinitam materiæ divisibilitatem adstruendum consueverunt jamdudum Philosophi ad argumenta geometrica configere: quorum morem nos imitati, plures hoc Capite congeremus demonstrationes, ex quibus invictissime sequitur materiam divisibilem esse in infinitum. Nempe demonstrabimus, idque multiplicititer, datam quamvis lineam rectam secari posse in partes infinitas; hoc enim ostendo, eo ipso demonstratum esse arbitror, quodcumque corpus secari posse in partes infinitas, tum secundum longitudinem, quum secundum latitudinem, ac profunditatem: etenim longitudo, latitudo, ac profunditas corporis per lineas rectas designantur.

122. Et *primo* ostendemus rectam lineam A B (Fig. 5.) secari posse in partes infinitas ex eo, quod *Geometrae* demonstrant non omnes lineas commensurabiles ipsi esse quum tamē, si esset limes quidam divisionis, ultra quem limitem progredi non licet, opor-

oporteret omnes lineas commensurabiles esse inter se. Atque ut hujus argumenti vis fiat manifesta, adver-
tendum est quantitates incommensurabiles communiter
adpellari illas, quas nulla alia minor quantitas metitur. Sint quantitates A, & B, sitque tertia alia quantitas C;
si tertia ista quantitas metiatur adcuratissime tum quan-
titatem A, quum quantitatem B, dicentur quantitates
illæ commensurabiles inter se; quod si quantitas C me-
tiatur quidem unam ex duabus quantitatibus A, & B,
at vero non metiatur alteram, neque fieri possit, ut in-
veniatur ulla alia tertia quantitas, quæ utramque me-
tiatur, dicentur quantitates A, & B incommensura-
biles. Jam si super data linea recta AB describatur qua-
dratum ABCD, & ducatur diagonalis AC, demonstrat
Euclides Prop. 118. Libri X. Elementorum, diagonalem
AC incommensurabilem esse lateri AB. Aut etiam, si
centro A radio AB describatur circumferentia circu-
li BCD, ostendunt *Geometrae*, circumferentiam istam
incommensurabilem esse eidem radio AB.

123. Ex eo autem, quod linea recta AB est incom-
mensurabilis tum diagonali AC, quum circumferen-
tiae BCD, facile erit ostendere ipsam rectam AB secari
posse in partes infinitas. Si enim fieri potest, recta AB
divisibilis sit in partes numero finitas, veluti in 100, in
1000, in 10000, aut in partes quasvis alias, numero
tamen finitas. Quis quis id contendit, statuat oportet
partes istas numero finitas, in quas dividitur recta AB
& quales esse inter se, & hoc amplius esse minimas. Nam
primo, si æquales non essent, posset ex majoribus abscindi
pars æqualis omnium minimæ; id quod divisionem pro-
telo duceret. Et secundo, si minimæ non essent, ulterius
possent secari, quod quidem hypothesi adversatur. Sume
nunc unam ex istis partibus minimis, atque ea utere, tan-
quam mensura tum diagonalis AC, quum circumferen-
tiae BCD in lineam rectam extensæ: & jam, siquidem
pars ista adcuratissime metiatur diagonalem AC, aut
etiam circumferentiam BCD, quoniam eadem pars
metitur etiam rectam magnitudine datam AB, effet data
recta AB commensurabilis diagonali AC, aut circum-
ferentiae BCD, quod quidem absurdum est; quod si ve-

eo supradicta pars adcuratissime non metitur lineas BC, & BCD, aliquid supersit necesse est, quod minus erit parte ipsa: unde eadem pars non erit absolute minima. Atqui minima esse ponebatur; itaque falsum est rectam AB dividere tantum posse in partes numero finitas.

124. Secundo demonstrabimus, datam rectam AB divisibilem esse in partes numero infinitas, si quidem ostendere possimus in recta AB plures semper capi posse partes, quam quæ per datum numerum designantur: illum enim numerum adpellamus *infinitum*, qui major est quovis numero *adsignabili*. Id autem fiet ratione sequenti. Adjungatur ad punctum A (Fig. 6.) recta linea AC datum quemvis angulum CAB constitutus cum recta AB, atque in ea capiantur partes 1, 2, 3, 4, 5, &c. numero majores iis, quæ per datum numerum designantur; id quod semper facere licet. Nam si adjuncta linea AC brevior est, quam ut designandarum partium numero sat esse possit, protrahenda est ulterius, donec longitudinem requisitam adipiscatur. Designatis partibus istis, quarum novissima sit 5C, jungatur recta BC, perque puncta divisionum 1, 2, 3, 4, &c. agantur totidem rectæ parallelæ ipli CB. Jam rectæ istæ, ut potè parallelæ, nunquam convenient inter se; quare transeant oportet per totidem puncta diversa lineæ rectæ datae AB; adeoque quot partes designatae sunt in linea AC, totidem enascentur in data AB. Atqui in recta AC sumptæ sunt partes numero majores iis, quæ per datum numerum designantur; itaque etiam in recta AB continebuntur partes numero majores iis partibus, quæ per datum numerum designantur; adeoque recta AB divisibilis erit in partes infinitas.

125. Tertio lineæ rectæ datae AB ducatur utcumque parallela CD (Fig. 7.) atque in ea ulterius si opus est producta sume partes C1, 12, 23, 34, &c. numero majores iis partibus, quæ per datum quemvis numerum designantur, sitque 4D pars novissima. Jam, siquidem CD æqualis prodeat datae AB, quemadmodum in recta CD continentur partes numero majores iis partibus, quæ designantur per datum numerum datum, ita etiam in recta æquali AB

con-

continebuntur partes numero maiores iis, quæ per datum numerum designantur; ideoque recta AB divisibilis erit in partes infinitas. Quod si rectæ AB, CD prodeant inæquales, junge CA, DB, easque produc donec convenienter in puncto E, à quo ad puncta divisionum rectæ CD age totidem lineas rectas, quæ secabunt rectam datam AB in totidem punctis diversis; adeoque quot partes continentur in recta CD, totidem partes exurgent in data AB: atqui in recta CD sumptæ sunt partes numero maiores iis partibus, quæ per datum numerum designantur; itaque etiam in data AB continebuntur partes numero maiores iis partibus, quæ per datum numerum designantur: adeoque recta AB divisibilis erit in partes infinitas.

126. *Quarto* ducta per punctum A recta quavis linea (Fig.8.) CAD, agatur ei per punctum B parallela EBF, in qua, initio facto à puncto B, capiantur partes B₁, 1₂, 2₃, 3₄, 4F, &c. numero maiores iis partibus, quæ per datum numerum designantur, sicut earum partium novissima 4F. Deinde sumpto in recta CA puncto quovis C jungantur rectæ C₁, C₂, C₃, C₄, &c. Rectæ istæ secabunt necessario rectam AB in totidem punctis diversis, atque adeo dispescent ipsam in tot partes, quot designatae sunt in linea recta BF. At vero in hac linea recta BF designatae sunt partes numero maiores iis partibus, quæ per datum numerum designantur: ergo etiam in recta AB continebuntur partes numero maiores iis partibus, quæ per datum numerum designantur; ideoque recta AB divisibilis erit in partes infinitas.

127. *Quinto*, eductis ex punctis A, & B, (Fig.9.) lineis perpendicularibus AX, BC, quarum prior AX sit longitudinis infinitæ, altera vero BC æqualis fit datae AB, describatur alymptotis AX, AB hyperbola æquilatera CM transiens per punctum C. Hanc curvam, ostendunt Geometra magis, atque magis accedere ad utramque asymptoton AX, AB, neque tamen cum ipsis unquam convenire; ex quo facile est colligere rectim AB secari posse in partes infinitas, sive, quod eodemredit, non dari in recta AB partes adeo minimas, quæ ulterius dividi

non possint. Si enim fieri potest, sit AP una ex istis partibus atomis: fiat ut AP ad AB, ita BC ad quartam proportionalem AX: deinde ex punto P erigatur ordinatim applicata PM, & conjugatur XM. Et quoniam, ex constructione, rectangulum PAX æquale est rectangulo ABC; estque, ex natura hyperbolæ, rectangulum APM æquale eidem rectangulo ABC, erunt rectangula duo PAX, APM æqualia inter se; ideoque quum ipsa habeant eamdem altitudinem AP, erunt bases AX, & PM æquales: ex quo facile est colligere rectas XM, & AP esse etiam æquales. Itaque quum AP ponatur esse minima, erit XM pariter minima; ideoque hyperbola quum devenit ad locum M, nequit amplius accedere ad asymptoton AX; atqui ostenditur à Geometris, ipsam magis, atque magis in infinitum accedere ad asymptoton; ergo falsum est dari in recta AB partes minimas, sive partes atomas.

128. Longus essem, si omnia, quæ præsenti argu-
mento exornando inserviunt, vellem hic congerere.
Potius dicam, materie in infinitum divisibilitatem con-
secatarium esse ejus doctrinæ, quæ vulgatissima jam est
apud recentiores Geometras, quæque agit de infinitis
infinitorum, atque infinitesimorum ordinibus. Nempe
demonstrant recentiores Geometra respectu quantitatis
cujusvis finitæ a constitui posse seriem quantitatum b,
c, d, e, f, g, &c. in infinitum infinite decrementum, qua-
rum prior b sit infinitesima primi generis, hoc est contine-
natur in quantitate finita a infinites, secunda c sit in-
finitesima generis secundi, hoc est contineatur in quan-
titate b infinites; tertia e sit infinitesima generis tertii,
atque ita deinceps in infinitum: unde non modo evin-
citur materiam esse divisibilem in infinitum, sed eam
infinityes in infinitum esse divisibilem.

129. Ne autem quis credat, infinitos istos infinite-
simarum gradus esse chimæricos, lubet eos per seriem
angulorum contactuum parabolicorum illustrare. De-
monstrant Scriptores Conici, ut in circulo, ita quoque
in parabola parametro quantunvis minima descripta,
in locum ipsa, & tangente ad verticem comprehensum
nul-

nullam cadere posse linea rectam. Veluti (fig. 10.) si AM sit parabola *Conica* parametro quantumvis minima descripta, ostensum est multifariam à *Geometris*, impossibile esse, ut inter locum tangentem AC, & parabola AM comprehensum cadere possit illa linea recta, quamvis maxime ea accedat ad tangentem AC. Hinc autem inferre licet, quod quantumvis diminuatur angulus rectilineus acutus CAO, semper tamen is major sit angulo contactus parabolico CAM: adeoque, quod *angulus quivis acutus rectilineus infinite maior sit angulo contactus parabolico*, sive, quod eodem redit, *angulus contactus parabolicus infinite minor sit quovis angulo acuto rectilineo.*

130. Sed demonstrari etiam potest quod, si AM sit parabola *cubica* quamminima parametro descripta, in qua abscissæ AP sint in ratione triplicata correspondentium ordinatarum PM, inter locum tangentem ad verticem AC, & parabola AM comprehensum nulla cadere possit parabola *Apolloniana* quantumvis magna parametro descripta: ex quo infertur angulum contactus parabolæ *Apollonianæ*, quantumvis in infinitum diminutum, semper quidem majorem esse angulo contactus CAM parabolæ *cubicalis* AM; atque adeo *angulum contactus parabolæ cubicalis esse infinite minorem angulo contactus parabolæ Apollonianæ*, qui & ipse infinite minor est quovis angulo acuto rectilineo. Pariter si AM sit parabola *quadrato-quadrata*, quantumvis minima parametro descripta, in qua abscissæ AP sint in ratione ordinatarum correspondentium quadruplicata, demonstrari potest inter locum tangentem AC, & hac parabola comprehensum nullam cadere posse parabolam *cubicalem*, quantumvis magna parametro descriptam, in qua abscissæ servent rationem triplicatam ordinatarum correspondentium; ex quo etiam infertur *angulum contactus parabolæ quadrato-quadraticaæ esse infinite minorem angulo contactus parabolæ cubicalis*, quem ostensum est esse infinitesimam ordinis secundi respectu anguli rectilinei. Hac autem ratione nihil vetat, quin progrediamur in infinitum describendo semper alias, atque alias

figuras parabolicas, quorum anguli contactus infinite à se invicem differant.

131. Habetur ergo series contactuum in infinitum progredientium, quorum quilibet posterior est infinite minor priore. Sed possunt inter duos quoslibet angulos descriptæ seriei interseri anguli innumeri, qui se se quoque superent infinite. Sed & inter duos quosvis ex hisce angulis potest series in infinitum pergens angulorum intermediorum interponi, quorum quilibet posterior sic infinite minor priore. Quin etiam, possunt dari anguli innumeri angulo contactus parabolæ *Apollonianæ*, ac proinde angulo contactus circulari (uterque enim horum angulorum in eodem ordine subsistit) infinite majores, qui tamen sint anguis retilineo infinite minoris: atque sic progredi licebit in infinitum, absque eo, quod natura hac in re, ut *Newtoni* verba usurpem, *limitem agnoscat*.

132. Cæterum, quemadmodum ostensum est datam quamvis lineam divisibilem esse in infinitum, ita quoque demonstrari potest superficiem quamvis datam secari posse in partes infinitas. Repræsentet enim parallelogrammum ABCD (*Fig. 11.*) superficiem datam: producatur latus DC in infinitum versus E, in quo post infinitum intervallum concipe punctum E: tum junge BE, eique aetam intellige per punctum A parallelam AF. Quo facto exurget parallelogrammum infinitum ABEF, quod quidem magnitudine æquale erit dato parallelogrammo ABCD: atqui parallelogrammum longitudinis infinitæ ABEF nihil vetat, quin dividatur in partes infinitas: ergo etiam parallelogrammum ABCD secari potest in partes numero infinitas.

133. Atque his argumentis satis, ut arbitror, ostensum est materiam divisibilem esse in infinitum. Supereft, ut quedam consequentia illustriora hujus præclarissimæ doctrinæ in medium adferamus. Primum esto illud: *ex data quavis materia quantitate quantumvis minima formari posse sphæram concavam, sive intus vacuam, cuius semidiameter sit data recta aequalis*. Id quod facile intelligimus fieri posse, modo animadver- tamus

tamus crassitatem superficie, quæ sphæram complectitur attenuari posse in infinitum. Quod si data sphærae semidiámetro, dataque materiæ quantitate definire cupiamus crassitatem superficie sphæricæ, id quidem obtinebimus calculo sequenti. Esto a^3 data pars materiæ, b semidiámetro sphærae datæ, & x semidiámetro concavitatis; erit $b - x$ crassitas superficie: fiat ut radius r ad circumferentiam c , ita semidiámetro data b ad

$$\frac{b}{c}$$

quartum proportionalem —, qui designabit circumferentiam maximæ circuli sphærae conficiendæ. Ea autem ducta prius in diametrum $2b$, tum vero in sextantem ejusdem diametri $\frac{1}{3}b$ habebitur totius sphærae

$$\frac{2b^3c}{3}$$

$$\frac{2x^3c}{3}$$

soliditas —: atque ita quoque erit — soliditas

$$\frac{3r}{3}$$

$$\frac{3r}{3}$$

concavitatis: quarum quidem soliditatum differentia

$$\frac{2b^3c}{3} - \frac{2x^3c}{3}$$

— ponenda est æqualis datæ materiæ quantitatæ a^3 : ex qua æquatione insertur $x^3 = b^3 - \frac{3ra^3}{2c}$, sive

etiam $x = \sqrt[3]{b^3 - \frac{3ra^3}{2c}}$; adeoque $b - x$, quæ, uti diximus, est crassitas quæ sita erit $b - \sqrt[3]{b^3 - \frac{3ra^3}{2c}}$.

134. Secundum esto: data quavis materiæ quantitate quantumvis exigua, & dato spatio quovis finito utcumque ampio, fieri posse, ut quantitas illa materia per totum spatiū ita diffundatur, itaque ipsum adimplat, ut nullus superficies sit in eo porus, cuius diameter datans lineam excedat. Sit enim datum spatiū cubus, cuius latus sit recta quævis data AB, materiæque particula data sit b^3 , recta autem, qua pororum diametri non majores esse debent sit p. Dividi intelligatur recta data AB in partes æquales ipsi p, quarum numerus finitus erit, quem de c AB ponatur esse infinite magna, nec re-

Et a p infinite parva; sitq; numerus iste n, hoc est sit $n^3 p = AB$; adeoque erit $n^3 p^3 =$ cubo rectæ AB, sive etiam spatio dato. Concipiatur item spatium datum cubicum divisum in totidem cellulas cubicas, quarum singulæ latera æqualia sint ipsi p; eritque numerus cellularum n^3 : tum dividi intelligatur materiae particula data b³ in partes, quarum numerus sit n^3 , & in unaquaque cellula collocentur singulæ hujusmodi particulæ, qua ratione materia b³ per omne illud spatium diffundetur. Quibus ita peractis unaquaque ipsius b³ particula in sua cella locata in flanda est in sphærā concavam, cuius diameter æqualis sit data rectæ p; id quod fieri posse modo demonstratum est. Ita fiet ut singulæ sphæræ proximas tangent, dataque materiae particula b³ datum spatium ita adimpleat, ut nullus sit in eo porus superstes, cuius diameter superet datam rectam p.

125. Et tertium denique: posse inveniri duo corpora mole æqualia, quorum materiae quantitates sint utcumque inæquales, pororum tamen summa, sive spatia vacua inter particulas elementares jacentia, æqualia sint inter se. Nam quemadmodum in cellulis spatiū cubicū, cuius latus erat recta AB, collocatae sunt sphærulæ concavæ latitudinis p, quarum numerus erat n^3 , materiae autem quantitas unde sphærulæ elaboratae sunt erat b³, ita in iisdem cellulis nihil vetat, quin collocentur tot idem sphærulæ ejusdem latitudinis elaboratae ex materiae quantitate longe minori; quod quum sit, pororum inter sphærulas jacentium summae æquales manebunt. Id tantum inde accidet, ut crassities posteriorum sphærularum aliquanto minor evadat, & consequenter concavitas earum tanto major reddatur. Quapropter quamvis quantitas materiae in auro vicies millies circiter superet quantitatem materiae in aere, attamen fieri potest, ut spatia inter particulas auri vel absolute vacua, vel materia subtili tantum repleta sint fere æqualia spatiis inter particulas aeris vel vacuis, vel in materia tantum subtili repletis. Quod quidem ut contingat, nihil aliud supponendum est, quam ut particulae corporum componentes in spheras concavas elaboratae sint.

CA-

CAPUT OCTAVUM.

De nonnullis affectionibus materiae, quæ vires passim appellantur.

136. **P**erdixit nos ordo ad earum materiae affectionum tractationem, quæ vires passim nuncupantur, quales sunt *vis inertiae*, *vis attractionis*, sub qua *repulsionis vim* comprehendimus, *vis gravitatis*, & *vis elasticæ*. Affectiones istas quum supra leviter adtingisset, dixi videri quidem illas esse in censu proprietatum universalium materiae, sed, si *inertia vim* excipias, eas neutiquam adparere, quod essentiales sint eidem materiae. Eximo autem de illarum numero *inertia vim*. Etenim materia, si vera fateri volumus, non alia ratione intelligi potest, nisi iners, & otiosa: ex quo fit, ut *vis inertia* ad proprietates materiae essentiales revocanda sit, quemadmodum à nobis supra præstitum est.

137. Est autem inertia, ut supra demonstravimus, *vis quædam materiae insita*, qua agente fit, ut unumquodque corpus proprium sibi statum tueri, atque conservare nitatur. Veluti corpus quiescens perseverat in quiete, donec ab externa vi constituantur in motu. Similiter corpus motum durat in motu, donec à resistentia, & occurso oppositorum corporum sistatur. Præterea corpus recta descendens versus Tellurem numquam defleget à semita sua, dummodo omnem vim, atque impetum externum amotum supponamus. Denique corpus certa figura donatum conservabit sibi figuram illam in æternum, quando nemo eam evertere initiat. Quorum omnium, horumque similium caulam investigantes comperiemus, ea oriri ex *inertia* materiae. Et quoniam *inertia* pertinet ad materiam eodem modo, quo ad eam pertinent soliditas, atque extensio, facile intelligimus *inertia vim proportionalem esse materiae quantitati*, in tantum ut aucta, vel diminuta quantitate *materiae augeatur etiam, vel minatur proportionaliter vis*.

vis inertiae. Atque inde ratio petenda est, quare difficultus, etiam in vacuo, depellantur è quiete corpora majora, quam corpora minora; aut etiam, quare difficilis sic listere corpora majoris magnitudinis, quam, cæteris partibus, corpora minoris magnitudinis; nempe quia in prioribus ob majorem materiæ quantitatem, major est etiam vis inertiae, sive vis conservandi se quum in quiete, tum in motu. Et quamquam, ut inferius constabit, omnia corpora quiescentia à quacumque vi moveri possint in vacuo, tamen dubitari nequit, quin major vis postuletur in eodem vacuo ad movendum cum æquali velocitate corpus majoris ponderis, quam ad movendum corpus ponderis minoris.

138. Sequitur vis, quæ dicitur *attractionis*: de qua, deque cæteris viribus, de quibus hic agere proposui ita dicam, ut eas habere locum in natura ex phænomenis demonstrem, de earum vero legibus, atque causis nihil certi adhuc constituam. Hujusmodi vim attrahentem cognovit primus omnium *Isac Newtonus* in corporibus magnis Universi, scilicet in Sole, in Cometis, inque Planetis universis quum primariis, tum secundariis. Nam quum Planetæ omnes primarii, atque Cometæ Orbibus suis Solem perpetuo cingant, inde intellexit *Newtonus* Solem trahere ad se corpora Planetarum, & Cometarum. Deinde quum Luna moveatur circa Tellurem, satellites Jovis moveantur circa Jovem, & satellites Saturni circa Saturnum, hinc deduxit Lunam attrahi à Tellure, satellites Jovis à Jove, satellites vero Saturni à Saturno, quos tamen omnes delatos circa Solem à Tellure, Jove, & Saturno, triaque veluti systemata cum his Planetis constituentes ab ipso pariter Sole attrahi demonstravit. Denique hujusmodi attractionem reciprocam esse docuit, neque tantum Solem trahere ad se globos Planetarum, atque Cometarum, sed & vicissim ab illis attrahi ostendit, demonstravitque etiam Planetas omnes, atque Cometas se invicem trahere. Quæ omnia cursim hic adtigisse sat habeo: commodius enim de iis differetur *Lib. II.*, quem corporum cœlestium disputationi integrum destinavi. Tantum hic adpotabo

notabo hanc vim consideratam in corpore, versus quod alia urgentur, adpellari *attractionem*, consideratam vero in corporibus, quæ urgentur versus illud dici *gravitatem*. Veluti, quum Planetæ omnes primariae tendant ad Solem, si quidem hanc eorum propensionem consideremus tanquam manantem è Sole, *attractionem* vocabimus: at vero nunc upabimus eam *gravitatem*, si ipsis Planetis inherentem, ac veluti insitam effingamus. Unde deinceps cum summo viro *Isaco Newtono*, & Planetas *gravitare* in Solem, & Planetas *attrahiri* à Sole promiscue dicemus.

139. Sed præter hanc attractionem, quæ locum habet in corporibus magnis Universi, aliam attractionem obtinere intellexit *Newtonus* in omnibus corporibus terrestribus, quam deinde captis innumeris variorum generum experimentis primum in Britannia, deinde vero in Hollandia, aliisque regionibus sapientissimi quique viri confirmare conati sunt. Hæc vis in nonnullis corporibus manifestissima est, ut in magnete, ferro, chalybe, atque arena: in aliis est quidem manifesta, sed necesse est antea, ut ea consilio aliquo excitetur, quemadmodum postea adnotabitur. Generaliter autem ea vis evanescit in distantia corporum paulo majori, neque se manifestat, nisi vel in ipso corporum contac^tu, vel in exiguo admodum intervallo: id quod initio admonere necessarium duxi, ne quis innumera corpora ex adverso posita ne levissimæ quidem attractionis signum præbere videns, hanc de universali corporum terrestrium attractione doctrinam irrideat, atque contemnat. Audiamus quæsto *Isacum Newtonum* ita de hujusmodi vi differentem in *Quæstionibus*, quas ad calcem *Librorum Opticorum* adposuit. *Attractiones gravitatis, virtutisque magneticae, & electrica ad satis magna se extendunt illa quidem intervalla, adeoque etiam sub vulgi sensu, notitiamque ceciderunt.* At vero fieri potest, ut sint præterea alia, que tam angustis finibus continentur, ut usque adhuc omnem observationem fugerint. Et fortasse attractione electrica ad hujusmodi exigua intervalla extendi potest, etiam si non excusat sur frictione.

140. At-

140. Attractionem autem revera locum habere in omnibus corporibus terrestribus, id quidem constabit, si experimenta hic memorentur, ex quibus experimentis vis ista attractrix manifestissime intelligitur: quæ experimenta, ut ordine aliquo recenteantur, placet ea ad classes tres revocare. Nempe quum omnia corpora terrestria vel *dura* sint, vel *liquida*, ostendendum est *primo* dari attractionem inter corpora dura, & corpora dura. *Tum* demonstrandum est dari attractionem inter corpora liquida, & corpora liquida. *Denique* ostendendum est attractionem obtinere etiam inter corpora dura, & corpora liquida. Atque ut ab eo experimentorum genere ordiamur, quod attractionem corporum durorum ad corpora dura respicit: *primo* vulgus ipsum non ignorat ferrum, & magnetem attrahi ab alio magnete: quæ quidem corpora, postquam in unum coiere, separari nequeunt, nisi vis præpollens attractioni magnetis adhibetur. Præterea magnes trahit ad se arenam illam, qua passim utimur ad scripturarum litoras exiccandas, trahitque etiam chalybis scobem. *Secundo* duo specula vitrea pura, siccissimaque sibi imposita cohærent, seque mutuo attrahunt; si enim ea avellere coneris, non mediocrem resistentiam persenties: id quod olim *Galileus* quoque nostras observavit in *Dialogo I. Mechanico*. Idem accidet, si experimentum haud quidem instituatur cum duobus speculis vitreis, sed cum duabus laminis planis lapideis, lateritiis, aut metallicis. *Tertio*, si globus unus plumbeus alteri globo plumbeo imponatur, deinde vero comprimantur aliquantulum, ut latitudinem superficiem sibi comparent: qua parte se in mutuo attingunt, illac attractionis vi fortissime cohærebunt; quod quidem novissime in *Brittania* deprehensum est. *Quarto* globi cerei, vitreique intus cavi aquæ innatantes in vase non penitus pleno, feruntur sponte versus latera vaseis, à quibus attrahuntur. Ad hæc iidem globi aquæ innatantes se petunt in medio: quæ quidem æque contingunt in aperto aere, ac in vacuo *Boyliano*; ne quis fortasse ab aeris pressione ea fieri arbitretur.

141. Atque hoc loco advertendum est, dari quædam cor,

corpora, in quibus corporibus nulla cognoscitur sensibilis attractio; at vero si ea, terendo, incalescant, manifestissime vim istam demonstrent: quæ quidem vis in hujusmodi corporibus adpellari consuevit *electricitas*. Sic cera obsignatoria, sulphur, colophon, cæmentum, succinum, adamas, gemmæ quæcumque pellucidæ aliquantulum adtritæ, & calefactæ videntur trahere ad se corpora levissima palearum, filamentorum, arenarum, plumarum, aliaque hujus generis. Insuper tubus cavus vitreus utrinque apertus, aut etiam clausus (id enim experimento nihil officit) tempestate serena in loco puro perficitus aliquantulum, ut incalescat, attrahit ad se corpora plurima levia, ut lamellas metallicas, plumas, fuliginem, aliaque id generis, idque in distantia aliquot pollicum. In qua tubi vitrei attractione res plane mirabilis, vixque fidem repertura adnotata est. Nempe si extremitas altera tubi manu una detineatur, deinde vero altera manu fricitur tubus adminiculo alicujus panni, incipiatque frictio ab ea parte tubi, quæ manu tenetur, & fiat versus partem contrariam, electricitas aut plane nulla, aut vix sensibilis excitatur. Contra vero si frictio fiat versus partem tubi, quæ manu tenetur, magna vis electricitatis cooriri deprehenditur.

142. Sed multa sunt, quæ hic diligenter adnotare operæ pretium est. *Primo* si tubus ex utraque parte clausus intus aere careat, is eodem modo perficitus vix attrahet aliquid, nisi in exiguo admodum intervallo. *Secundo* electricitas excitatur non modo in tubis cavis intus aerem continentibus, verum etiam in cylindris vitreis solidis, qui quum adtriti sunt, & calefacti eadem corpora ad se trahunt, quæ à tubis vitreis, de quibus modo loquuti sumus, attrahuntur. *Tertio* electricitas ad longissima intervalla propagatur, interjecto tamen aliquo medio idoneo. Veluti si tubi alicujus extremitati adjungatur virga cujuscumque longitudinis, deinde perfricto tubo a moveatur extremitas virgæ corporibus levibus supra memoratis, ea agitari videbuntur; id quod electricitas vim à tubo per virgam propagatam suisse arguit. *Præterea* si tubi extremitati funiculus adligi-

Igitur, sique sive recta extendatur, sive transversa ~~se~~
pies inflectatur, ita tamen ut mediocriter tensus sit; im-
mo si huic præcipuo funiculo plures alii variis in locis
conjugantur, qui una cum illo rete quoddam consti-
tuant, calefacto tubo, observabitur electricitatis vim
propagari per omnes retis funiculos ad longa interval-
la. Sed ut experimentum succedat, necesse est funicu-
los lineos esse non sericos: si enim serici sunt, vis elec-
trix haud propagabitur: quin immo si rete, de quo
sermonem habuimus intextum sit ex funiculis, quo-
rum alii serici sint, alii vero linei, vis electrica abrum-
petur quo loco serica fila incipiunt. Denique adnotan-
dum est vim electricam per corpora animantium etiam
propagari: nam si pedibus alicujus infantis admoveatur
tubus attritu fortiori calefactus, vis electrica tubi à pe-
dibus ad capitis verticem serpet; id quod à capillorum
motu, atque agitatione cognoscitur.

143. Venio nunc ad attractionem, quæ obtinet in-
ter corpora liquida, & corpora liquida, quæ tamen,
si veritati consulendum est, à priori illa attractione,
quam inter corpora dura locum habere diximus, nihil
differt; nam liquidorum partes exiguae, sive minima ele-
menta & ipsa etiam sunt dura. Manifestat autem se isthęc
attractio quin in multis, tum in eo præcipue, quod
duæ guttae cujuscumque fluidi statim ac se invicem le-
viter contingunt, in unam guttam majorem coalescunt:
quod quidem observatur non modo in fluidis naturali-
bus, veluti aqua, oleo, vino, & cæteris, verum etiam in
fluidis artificialibus, veluti in metallis, quæ ab ignis vi
fluiditatem sibi compararunt. Neque vero ad hoc phæ-
nomenon explicandum advocanda est pressio aeris:
quia illud æque observatur contingere in loco aere de-
stituto, ac in loco qui aere plenus est.

144. Præterea vis attractrix fluidorum optime col-
ligi potest à figura singularium guttarum, quas ad sphæ-
ricitatem semper se componere deprehenditur. Id quam-
quam in mercurii particulis apertissimum sit, tamen nō
minus clare conspicitur in guttis aquæ, olei, vini, cæte-
rorumque liquorum. Atque hic quoque frustra advocabi-
tur

tus pressio aut aeris, aut alterius materiae subtilissimae. Sit enim gutta oblongior *acbd* (Fig. 12.): manifestum est pressiones in superficies *ad*, & *cb* minores esse pressionibus in superficies *ac*, & *bd*: modo ab omni parte gutta æqualiter prematur, id quod pressionum leges suo loco explicandas postulant: itaque ut gutta oblongior *acbd* ab aere undique pressa rotunditatem sibi possit comparare, oporteret pressiones majores à minoribus superari, quod est absurdum. Contra vero, attractione advocata, quo major est numerus particularum se mutuo trahentium inter duas particulas, eo majori vi è invicem pertinet: unde motus partium guttae non desinet, nisi distantiae inter puncta opposita sint ubique æquales, hoc est, nisi numerus particularum se se mutuo trahentium non sit major in uno loco, quam in alio: id quod in sola figura sphærica locum habere manifestum est.

145. Atque hoc loco prætereunda non est attractio, quæ locum habet inter aerem, & corpora reliqua fluida, quæ quomodo deprehensa sit paucis explicabo. Et primo quidem dubitandum non est, quin omnia corpora fluida magnam in se contineant aeris quantitatem; si enim ea ad ignem ebulliant, aer intus hospitans magna copia sub forma bullularum foras ejicitur. Præterea in vacuo *Boyliano* omnia corpora fluida ebulliunt, alia magis, alia minus, magnamq; bullularum quantitatem, ac veluti spumam in superficie ostendunt; id quod ab aere foras egrediente oriri putandum est: utraque autem ratione fluida ab aere purgari solent. Jam vero extinto æstu fluidorum, sive ab igne, sive in vacuo excitato, si ea aere penitus iam purgata rursus aperto aeri exponantur, paulatim aerem bibent; qui quidem aer ad maximam altitudinem descendet, totamque fluidi quantitatem inficiet: id quod intelligitur ex eo, quod in vacuo *Boyliano* inclusa, vehementer rursus ebullire incipient: quod quidem non fieret, si aerem non sorbuerint. Sed notandum est, in hac aeris attractione idem deprehendi, quod in saluum dissolutione observatum esse supra demonstravimus: nempe quemadmodum sales usque ad certam mensuram dissolvuntur in data aquæ

quan-

quantitate, reliqua eorum portione integra, fixaque manente; ita etiam data aquæ, vel alterius fluidi quantitas attrahit ad se, ac veluti bibit certam aeris portionem, quam ubi sorbuit, veluti jam satura, bibendi finem facit. Simile quid in sale tartari observatur, qui postquam aquæ, pro quantitate sui, certam portionem ex aere exhaustus, deinceps non amplius imbibit; id quod ex eo oriiri credendum est, quia sal, post quam aqua saturatus est, à vi illa attrahente deinceps deseritur.

146. Supereft ut exempla aliqua attractionis, quæ locum habet inter corpora solida, & corpora liquida hic congeramus. Et primo aquæ omnes, aceta, spiritus, olea tenuia quæcumque infusa in vasculum vitreum purum, siccumque attrahuntur ad ejus latera, altiusque adscendendo his adhærent. Inde fit, ut superficies suprema fluidorum in vasis contentorum concava sit; nam versus medium depressiora sunt, versus latera sunt sublimiora. Secundo, si corpus solidum purum, non pingue immergatur alicui fluido, & deinde extrahatur, fluidum ei adhæredit; immo si paulatim extrahatur propter cohesionem fluidi cum superficie corporis inferiori accidet, ut ipsum fluidum sequatur solidum jam extractum, aliquantulumque suspendatur: neque decidendo, se jungat se à solido, nisi quum tantum fluidi suspensum est, ut gravitas ipsius superet vim solidi attractricem. Atque huc fortasse referendum est experimentum Boylianum supra memoratum de argento vivo, quod subsistit in barometro ad altitudinem 50, 60, vel 70 pollicum, vel etiam ad altitudinem majorem, ita scilicet si prius ab aere omni diligentissime fuerit depurgatum, & in tubum cauta manu infusum, adeout partes ejus sint usquequaque contigæ & sibi invicem, & vitro. Atmosphæra enim pondere suo argentum vivum sursum in tubum propellit usque ad altitudinem 28, vel 29 pollicum; itaque alia causa efficiens id deinceps altius elevabit, non quidem in tubum sursum premando mercurium, ut Hugenius censuit, sed efficiendo ut partes ejus & vitro, & sibi invicem adhærescant. Etenim si quo pacto partes ejus vel interjectis bullulis, vel suc-

cuti-

cutiendo vitrum, disjungantur, corruit continuo argentum vivum omne usque donec haud amplius 28, vel 29 pollices in altitudinem habeat.

147. Atque his quidem congrua sunt, quæ sequuntur itidem experimenta. Si duæ planæ, & politæ laminæ vitreas (puta bina speculi politi fragmenta) ita componantur, ut earum facies sint inter se parallelæ, & parvo admodum interjecto intervallo disjunctoræ, inferiora autem ipsarum extrema in aquam intingantur; aqua inter eas continuo adscendet; quantoque minori intervallo interjunctoræ sunt vitrorum facies, tanto majorem ad altitudinem se interserens adscendet aqua. Similiter inter bina marmora plana, & polita adscendit aqua, quando eorum latera polita inter se sunt parallela, & exiguo admodum interjecto intervallo disjunctoræ. In his autem experimentis positum est, quum laminas vitreas, tum marmora fuisse parallela: qua in hypothesi ipsa rapiunt aquam ad eamdem ubique altitudinem: adeoque aqua sublata terminatur linea recta, quæ parallelæ est horizonti. Sed fac nunc laminas supradictas vitreas jungi ad latus unum, separari vero ad latus oppositum: ita ut ex iis ita constitutis efformetur angulus: & iam si inferiora ipsarum extrema in aquam eodem modo intingantur, ea sua sponte adscendet intra laminarum hiatum angularem; ibi altius, ubi laminæ fibi sunt propiores; ibi humilius, ubi specula sunt à se remotiora; adeoque aqua sublata haud quidem terminabitur hoc casu linea recta, quæ horizonti sit parallela, sed potius terminabitur linea curva, hyperbolæ speciem referente.

148. Præterea si duæ planæ, politæque vitri lamellæ sic constituantur, ut altera earum jaceat parallela horizonti, altera autem ei ita superimponatur, ut earum extremitates unæ se inter se contingant, angulumque circiter 10, aut 15 minutorum conficiant; deinde vero super lamina horizontali statuatur gutta aliqua sive olei, sive aquæ, sive vini, sive alterius liquoris: utique gutta ista continuo eam se in partem, qua parte binæ laminæ se se contingunt, moveri incipiet, motuque ferri perget perpetim accelerato, usque dum ad ipsum vitrorum

concursum perveniat : etenim bina vitra guttam attrahunt , et si ciuitque ut ea illuc feratur , quo attractiones vergunt . Quod si dum gutta prorepit , vitrorum intersea extremitas illa , qua se contingunt , & quo versum gutta fertur , elevetur : jam inter vitra sursum versus ad repet gutta , et si non tanta velocitate : quum hoc casu superanda sit ab attractione vis gravitatis guttae , quae in plano inclinato jam se se manifestat : & pro eo ac vitrorum extreum illud , quo se se contingunt , magis , magisque elevatur , gutta tardius usque , & adhuc tardius adiendet , & tandem plane quiescat , deorsum nimirum delata tantum à gravitate , quantum ab attractione sursum versus . Ad hæc tubuli vitrei angustissimi , quoꝝ Capillares adpellant , sive regi , sive utcumque inflexi , si in fluidum aliquod stagnans intingantur , magno impetu rapient illud ad non mediocrem altitudinem , quæ quidem altitudo major erit , vel minor non modo pro majori vel minori angustia tuborum , verum etiam pro fluidorum qualitate . Nam idem fluidum ad majorem altitudinem attrahitur à tubo angustiori , quam à tubo magis ample ; & ab iisdem tubis ad majorem altitudinem extolluntur quædam fluida , ad minorem alia . Neque vero putandum est adscensum fluidorum in tubos fieri in aliqua majoris , vel minoris gravitatis specificæ ratione inversa , in tantum ut fluida leviora altius rapiantur , graviora ad minorem altitudinem subsistant . Nam omnium liquorum , urina & spiritus salis Ammoniaci altissime adscendunt , quamquam ipsi non sint omnium levissimi : mercurius vero ad nullam prorsus altitudinem adscendit in tubos capillares , imo potius descendit aliquantulum . Quæ omnia experimenta haec tenus descripta æque procedunt sive in vacuo , sive in aperto aere capiantur ; ut hinc inferre liceat ea ex atmosphære pondere , & pressu nullo modo pendere .

149. Porro si amplius tubus vitreus cineribus subtilissimis cribro succretis , & arte compressis repleatur , tubique extremitas una in aquam stagnantem intingatur , aqua in cinereum lente subrepet ; adeo ut septem , aut quatuordecim dierum spatio usque ad altitudinem

30, aut 40 pollicum in tubo supra aquam stagnantem descendat. In tantam autem altitudinem attollitur aqua actione earum (olummodo particularum cineris, quæ sunt in ipsa aquæ adscendentis superficie: quæ enim intra aquam sunt particulae cineris, ex aquam tam deorsum, quam sursum attrahunt: quare cineris particularum actio valde fortis est. Verumtamen quoniam cineris particulae non sunt adeo densæ, compaquaeque, ac particulae vitri, ideo earum actio aliquanto languidior est, quam particularum vitri. Itaque quum argentum vivum suspensum teneatur à vitro usque ad altitudinem 60, aut 70 pollicum (non excepta tamen altitudine 28 pollicum, ad quam mercurius adtollitur à pondere atmosphærae), profecto necesse est vim attrahicem vitri, aquam ad altitudinem amplius 60, vel 70 pedum suspensam posse retinere: à qua tamen altitudine subtrahenda est altitudo pedum 32, quæ à gravitate atmosphæra proficiscitur.

150. Longum esset, si omnia experimenta, quæ ad hoc attractionis argumentum spectant, recensere hic adgrederer: itaque nonnulla tantum, eaque luculentiora adtulisse sat habeo. At vero temperare me non possum, quin addam hic aliquid, ex quo aeris ad corpora solida attractio manifesto evincitur. Paretur globus cereus, cui admixtum sit tantum plumbi, vel alterius cuiuscumque metalli, ut ejus gravitas specifica tantillo sit major gravitate specifica aquæ; id quod intelligetur extardissimo ejusdem globi per aquam descensu. Vel etiam comparetur ovum specifica gravitate sua gravitatem aquæ specificam paululum superans; quod quidem obtinebitur, si educto foris albumine, & quidquid reliqui est in ovo, immittatur deinde in ipsum tantum aquæ, quantum satis sit, ut ovum tardissime descendat per aquam vase aliquo contentam. Quibus ita paratis institui possunt sequentia duo experimenta, ex quibus aeris ad corpora solida adhæsio inferri potest. *Primum* experimentum est hujusmodi. Imponantur aquæ in vasculo aliquo stagnanti globus cereus, & ovum, de quibus modo verba fecimus, idque fiat cauta ac diligentia ma-

nu, ne aqua vehementius agitur, quod experimentum interturbare posset. Quanquam ista corpora aliquantum graviora sint aqua, tamen, si experimentum rite, & diligenter fiat, accidet, ut ea aquæ innatent, neque demergantur; id quod oriri putandum est ex aere superne tum globo, quem ovo adhærescente. Et quamvis, ut suo loco ostendetur, vera hujus phænomeni causa sit, quod volumen tum globi quum ovi nonnihil augeatur ab aere illo, qui ipsa contingit superne; quod quidem facit, ut ea specificie leviora evadant: attamen id non eveniret nisi aer ipsiis superne adhæresceret. Idem contingit si acus, adhibita omni majori diligentia, atque sedulitate, statuatur super aquæ superficiem horizontaliter; ea enim innatabit aquis; id quod ab ipso *Aristotele* olim observatum est.

151. Alterum experimentum, quod institui potest hac in re ita se habet. Curandum est, ut globus ille cereus, quem aqua tantillo graviorem esse diximus, descendat per aquam, ipsiusque vasis fundum petat. Tum vero scyphus vitreus inversus immittendus est in aquam, dandaque est opera, ut recta, & æqualiter descendat super globum cereum in fundo vasis quiescentem. Et quoniam aer inclusus in scypho soliditate sua prohibet, ne aqua in ipsum scyphum ingrediatur, inde fiet, ut scypho ad fundum ipsum demisso, aqua, quæ antea globum undique complectebatur, arceatur ab ipso, ilque ambiatur deinceps ab aere intus in scypho contento. Tum scyphus paulatim educendus est ab aqua, quod dum fit, aqua rursus ad complectendum globum adfluet. Et iam adhibita in hoc negotio omni diligentia, accidet ut quum scyphi, dum educitur, ora inferior ad altitudinem globi pervenit, ipsiusque globi apex tantum tangitur ab aere in scypho contento, globus fundum deferat, seque sursum proripiat, quasi attractus ab aere, qui ipsum superne contingit. Et quamquam hic etiam vera causa hujus phænomeni sit incrementum voluminis ab aere factum, ut suo loco dicetur, tamen hoc incrementum non aliunde, nisi ab aere globo superne adhærescente oriri credendum est.

152. Ex

152. Ex experimentis hactenus memoratis satis ostensum arbitror, non esse adeo absurdam sententiam eorum, qui statuunt particulas materiae terrestris vi quadam attrahente esse donatas. Hæc vis fortasse ab impulsu aliquo extrinseco, qui nemini adhuc innotuit, profiscitur. Sed fieri etiam potest, ut ad ipsas particulas ab origine pertineat, neque aliunde ipsis adveniat. Quod quidem si verum est, habenda erit attractionis vis pro *Naturæ lege universalis* singulis corporibus à Deo optimo maximo rerum omnium Opifice indita, qua omnia corpora agunt in se mutuo ad se accedendo, absque externo ullo impulsu. Non defuere autem qui *Newtonum* reprehenderent, quod constituta attractione, qualitates occultas *Scholasticorum* à *Naturali Philosophia* jam eliminatas, rursus in eam revocare studuerit. Non defuere etiam qui tanto Viro id vitio verterent, quod attractionem, eique ad finem gravitatem, tamquam affectiones corporum essentiales reputaverit; quæ quidem ei objecta sunt non modo à nostratibus, aliiisque exteris, sed & à nonnullis pariter Philosophis Brittannis: de quo graviter ipsem conqueri solebat; scilicet quod intelligebat eos non recte mentem suam fuisse adsequutos. Sed jure ne, an injuria id fecerint, constabit ex illustrioribus quibusdam locis, quæ hic excipiunt ad verbum tum ex libris suæ *Philosophia naturalis*, quum ex libris *Opticorum*. In definitione VIII. Principiorum Philosophie hæc habet. *Voces autem attractionis, impulsus, vel propensionis cuiuscumque in centrum indifferenter, & pro se mutuo promiscue usurpo, bas vires non physice, sed mathematice tantum considerando.* Unde caveat lector, ne per hujusmodi voces cogite me speciem, vel modum actionis, causamve, aut rationem physicam alicubi definire, vel centris, (quæ sunt puncta Mathematica), vires vere, & physicè tribuere, si forte aut centra trahere, aut vires centrorum esse dixeris. Initio autem Sectionis XI. Libri I. sic scribit. *Qua de causa jam pergo motum exponere corporum se mutuo trahentium, considerando vires centripetas tanquam attractiones, quanvis forte, si physicè loquamur, verius di-*

cantur impulsus. In mathematicis enim iam versamur, & propterea, missis disputationibus physicis, familiari uenimur sermone, quo possumus a lectoribus mathematicis facilius intelligi. In Scholio vero Prop. LXIX. ejusdem Libri I. ita loquitur. Vocem attractionis hic generaliter usurpo pro corporum conatu quocumque accedendi ad invicem, sive conatus iste fiat ab actione corporum vel se mutuo potentium, vel per spiritus emissos se mutuo agitantium, sive is ab actione ateris, aut aeris, mediique cujuscumque sive corporei, sive incorporei (media hæc incorporea improbanda sunt) oriatur corpora innatantia in se invicem utcumque impellentis. Denique Libro III. Optices questione XXXI. hæc habet. Hanc vocem attractionis ita hic accipi velim, ut in universum solummodo vim aliquam significare intelligatur, qua corpora ad se mutuo tendant, cuicunque demum causa attribuenda sit illa vis. Nam ex phænomenis naturæ illud nos prius adoceros oportet, quanam corpora se invicem attrahant, & quanam sint leges, & proprietates istius attractionis, quam in id inquirere par sit, quanam efficiente causa peragatur attractio.

153. Cæterum in particulis materiæ terrestris habet etiam locum repulso, quemadmodum innovuit per experimenta. Ego in ipso hujus capituli vestibulo sub attractionis vi repulsionem comprehendis; id quod effecti ea de causa, quia exploratum habebam attractionem in natura interdum excipi à repulsione, ut suo loco ostendam. Nam quemadmodum in Algebra, ubi quantitates affirmatiæ evanescunt, & desinunt, ibi negatiæ incipiunt; ita in Mechanicis, ubi attractio definit, ibi vis repellens succedere debet. Porro repulsiones manifesto adparent primo in aquis & oleis, quæ non permixta sibi innatant, mixta se extricant. Secundo in mercurio & ferro, quæ, quando prope sunt, se extrudunt. Tertiæ in aqua cum lampadum sicca fuligine. Quarto in plurimis pulveribus, in primis resinarum, qui non facile milcentur cum aqua. Quinto in arena ipsa, quæ in aquam injecta ei innatæ rete veluti efformans. Denique repulsionis aliquid videmus in muscis, aliisque animalibus,

libus, quæ siccis pedibus supra aquam incedunt, quamquam foveas manifestas ibi impriment.

154. Dicendum nunc est de *gravitatis vi*, sive de illa corporum terrestrium affectione, qua en fibi *ipſis relicta*, *versus Terram perpendiculariter descendunt*. De hac vi notabimus primo, eam proprie non dirigi ad Telluris superficiem, sed potius ad locum aliquem Telluris internum, &, si fortasse Tellus sphærica est, proprie ad ipſius centrum. Nam, altissima fossa in Tellure excavata, pergunt corpora gravia descendere; in cavernis vero, & speluncis gravia haud quidem tendunt sursum ad Telluris superficiem, sed tendunt deorsum. Notabimus secundo, hanc gravitatis vim esse speciem quandam *attractionis* è Telluris corpore manantis; quasi dicas globum Telluris attrahere ad se corpora terrestria circumiecta. Et denique notabimus omnia corpora sensibilia esse gravia: nam aerem ipsum, quamquam, sit corpus tenuissimum, gravitare in Terram, supra demonstratum est.

155. Neque hic audiendi sunt Scholastici, qui non nullis corporibus terrestribus, ut lapidibus, aquæ, oleo, metallis, aliisque gravitatem, quibusdam aliis, præcipue vero flammæ, fumoque levitatem adscribunt, ea indueti ratione, quod viderint corpora ita nisi sursum, contra quam cætera faciunt, quæ tendunt deorsum. Nam si fumus, & flamma nituntur sursum, id oriri putandum est à majori aeris gravitatione. Aer enim, qui quum fumo, tum flamma specificè gravius est, ambiens undequaque corpora ita, quia majorem habet conatum descendendi deorsum, propellit ea corpora sursum. Confirmat hanc rem id, quod in vacuo *Boyleiano* jamdudum observatum est, in quo quum aut nullus aer, aut nonnihil tenuissimus superstes sit, fumus haud quidem sursum, sed deorsum descendere videtur. Eamdem rem confirmat etiam id, quod in dies observatur in aqua, in quam si vi corpus compegeris, quod minorem habeat gravitatem specificam, veluti lignum, ceram, globum vitreum intus cavum, ea corpora, statim ac subi ipsi relicta sunt, enatant ad summum, non

quod levia sint, sed quod major sit aquæ, quam horum corporum vis descendendi deorsum; aut etiam, ut *Newtonus* ipse loquitur, quia corpora ista à Telluris gravitate minus sunt attracta, quam eß aqua ipsa.

156. Favent nobis in hoc negotio Cartesiani, qui sumo flammæ, cæterisque corporibus terrestribus gravitatem non denegant. At materiam nescio quam subtilem ipsi commenti sunt, cui omnem gravitatem detrahunt, immo eam adhibent ad cæterorum corporum gravitatem explicandam. Id num vere sit constitutum neque experimentis cognosci potest, neque fortasse rationibus ullis. Attamen si res æstimanda est ex tertia philosophandi regula, dicendum eset omnia corpora gravia esse: scilicet, quia gravitatem experti sumus in singulis corporibus, quæ sunt circa res. Sed de hac re alibi erit tractandi locus.

157. Supereft elasticitas, sive ea corporum proprietas, per quam compressa, statim se in pristinum statum restituunt. Hanc vim pro parte ex corporum poris pendere supra adnotatum est, non quod porositas sit causa efficiens elasticitatis, sed quia sublatis poris de corporibus, ea quemadmodum comprimi non possent, ita nec elastica vi possent esse donata. Jam compresso corpore aliquo elasticò, si ad inertiae vim adteridas, quæ adfæcio est essentialis materiæ, illud necesse est eum sibi statum conservare, in quo à comprimente vi fuit constitutum; adeoque, etiam cessante compressione, nullus in particulis compressi corporis motus subsequi deberet ad antiquum statum recuperandum. Itaque si videmus corpora elastica ad pristinas formas redire, advocanda erit vis, quæ & inertiae eorum obsistat, & id, quod à comprimente vi factum est, tollat, ac destruat. Hæc vis fortasse, aut attractio est, aut repulso; aut utraque simul: nihil enim vetat, quin eodem in corpore ambæ parites concurrant. Nempe, quemadmodum supra demonstratum est ab attrahente vi proficiunt, ut guttae liquorum ad sphæricitatem se componant; ita etiam ab eadem vi attrahente, aut etiam à vi repellente oriri potest, ut, turbata aliquo modo corporis figura, rursus ea restituatur.

in

in pristinum. Quod quidem si verum est, quemadmodum magnam veri speciem præferre videtur, eo magis adducor, ut credam, elasticitatem adfectionem esse omnium corporum universalem: etenim quemadmodum omnes omnium corporum particulæ aut se attrahunt, aut se expellunt, ita necesse est, ut, turbato per compressionem præsenti corporis statu, adeoque excitata in ipsius particulis aut vi attrahente, aut vi repellente, subsequatur in eo vis illa, quam elasticitatem adpellamus.

158. Cæterum quemadmodum varii sunt gradus attractionis, atque repulsionis, ita etiam varii esse debent gradus elasticitatis. Et quidem si corpus qua vis compressum fuit, eadem vi se restituat, illud perfecte elasticum erit, adeoque vis comprimens, & vis elasticæ æquales erunt inter se. Quod si vero corpus minori vis se restituat, ac fuit compressum, illud erit imperfecte elasticum, eoque imperfectior erit elasticitas, quo minor erit vis in corpore se restituendi: ideoque tunc vis comprimens elasticam vim superabit. Nunquam tamen accidet, ut elasticæ vis superet vim comprimentem: hoc est nunquam accidet ut vis, quæ est in particulis compressi corporis se restituendi superet vim à qua ipsæ fuerint compressæ.

159. Quamquam autem corporum elasticæ vis à vi attrahente, vel repellente proficiscatur, non hinc tamen credendum est vim elasticam in iis corporibus esse majorem, in quibus major est vis attrahendi. Nam in magnete magna est quidem vis attractionis, quamquam elasticitas sit mediocris. Neque mirum: enim vero corpora prius est ut compressi possint, deinde vero ut restituantur; hoc est prius est ut sint compressibilia, deinde vero ut sint elasticæ: itaq; si non multum ea compressi possunt, tunc etiam si magna sit vis attractionis, tenuis tamen erit elasticitas; id quod contingere credendum est in magnete, qui ægre patitur ut figura, fluctusque suus præsens turbetur: quod quidem commune est ei cum cæteris lapidibus.

CA:

CAPUT ULTIMUM.

De Formis rerum materialium : ubi quid sentiendum sit de Elementis exponitur .

160. Alterum essendi principium diximus esse Formam . Per formam intelligunt Philosophi id , per quod materia certum atque determinatum esse sibi conciliat . Ab ipsa fit, ut species corporum distinguantur inter se : nam aurum ex. gr. & argentum convenienter inter se in materia , quæ una , eademque est in utroque metallo , omnisque eorum differentia oritur ex ipsis formis : usque adeo , ut si liceret argento formam suam detrahere, deinde vero ei formam auri concedere, argentum in aurum transmutaretur . Quis ergo non rideat Scholasticorum stultitiam , atque demen-tiam , qui materiæ cœlestis naturam longe diversam esse arbitrantur , ac naturam materiæ terrenæ , illamque suapte natura, incorruptibilem esse statuunt , hanc autem in dies corrumpi , atque mutari contendunt ?

161. Quoniam autem corporum differentiæ speci-ficæ oriuntur ex formis , fit hinc , ut quot sint corporum species , tot etiam sint formæ . Unde formæ , ut recte notat Jacobus Rhoaultius Gallus , non sunt argumentum , de quo eodem modo , ac de materia possit disputari . Etenim quum materia sit communne rerum substratum , non potest intelligi quid sit substratum istud in ligno , quin similis intelligatur , quid sit illud in igne , atque in cæ-tisis rebus . At quum forma rei sit id , per quod ea est id , quod est , quodque eam ab omni alia re distinguit , non si cognita sit ligni forma , utique & ignis , aut alterius rei à ligno diversæ forma cognita erit . Itaque in hac de formis disputatione , nisi ad singularia deveniatur , nihil prorsus actum censeri debet . Nos interea hic de for-mis generatim agemus , formarum singularium naturam suo loco persequuturi .

162. Atque hic statim se se nobis offerunt Schola-stici

fici, qui censem formam esse, *quid substantiale*, quod additum materie singularia corpora componit. Horum sententia, materia in se spectata est substantia incompleta, atque inepta ad determinatum aliquod constituentum: itaque ad complementum compositi requirunt substantiam aliam, quam *formam* vocant, quæ addita materiae, sive communi substrato eam determinat, atque ad hanc potius, quam ad aliam corporum speciem revocat. *Scholastici* ergo in singulis compositis duas distinguunt substantias diversas, quarum substantiarum alteram dicunt esse *materiam primam*, omni prorsus attributo destitutam, in quam detraheatis formis abeunt composita, alteram vero dicunt esse *formam* per quam ea evadunt singularia. Inde lucem accipit vulgatissima materiae definitio ab *Aristotele* olim tradita, atque in Scholis passim recepta, nempe quod sit *neque quid, neque quale, neque quantum, neque quidquam eorum, quibus ens denominatur*: adeo ut, hac definitione recepta, ea parum absit à nihilo. Arbitrantur enim ista omnia non à materia, sed potius à forma proficiisci.

163. Ut autem suadeant *Scholastici* formas corporum veras esse substantias exemplum hominis adducunt. Homo est *quid compositum ex corpore, & anima rationali*, quorum utrumq; est vera substantia: atqui vera hominis forma est *anima rationalis*; itaque in homine forma est *quid substantiale*. Quod si in homine forma est *quid substantiale*, cur non & in rebus etiam materialibus sit vera substantia? Sed, ut præterea argumenta ducta ab exemplo ut plurimum esse infirma, respondeatur animam esse quidem formam hominis, at vero non esse formam corporis humani, quod suam sibi propriam, atque peculiarem habet formam: lapsique sunt *Scholastici* in hunc errorem ex eo, quod crediderint functiones corporis vitales, quales sunt *motus cordis, circulatio sanguinis, respiratio, nutritio, aliisque*, ita ab anima proficiisci, ut idcirco corpus olim istis muniiatur obeundis ineptum evadat, quod deseratur ab anima: quum potius dicendum fuisset ideo animam commorari in corpore, quod corpus ad munia ista obeunda esset aptum,

aptum, ideo vero separari à corpore, quod ad ea factum esset ineptum. Etenim experientia notum est mortem non impendere, neque animam avelli à corpore, nisi accepto vulnere, aut corpore aliquo alio modo corrupto, vitiatoque; nec umquam accidit, ut anima ex integrō, atque incorrupto corpore discederet, aut corpus propter animæ discessum vitiari inciperet.

164. Revera ergo anima est forma hominis, sive ejus compositi, quod corpore conitat & inente, atque errant *Scholastici* dum inde colligere conantur corporum formas esse veras substantias. Hujus autem opinio-
nis levitatem quum jam dudum cognovissent sagacio-
res Philosophi, in eam abierunt sententiam, ut crederent
formam corporum generatim sp̄. Statam nihil aliud es-
se, nisi certam affectionum, aut accidentium conge-
riem, sive etiam varios extensionis solidæ modos. Hos
extensionis solidæ modos, ex quibus formæ oriuntur,
communiter quinque statuunt. *motum, quietem, figuram, situm, & magnitudinem* particularum corpora
constituentia, asseruntque formas rerum materialium
nihil aliud esse, nisi istorum accide. itum complexum,
quatenus rei constituenda, certique actionibus exercen-
tis accommodatus. Neque hic opponat aliquis recensi-
tas adfectiones esse meros modos, seu accidentia, nec
proinde iis mediantibus explicari posse rerum essentialia-
les diversitates: nam respondetur eas esse quidem acci-
dentes materiæ in genere consideratae, sed esse essen-
tiales relate ad corpora singularia, & propterea nihil ob-
stare, ut ab iis singularum corporum specierum essen-
tialis differentia proficiatur.

165. Ut enim docetur in *Logicis*, *accidens* certo mo-
do consideratum potest etiam haberi, ut *essentialis* ali-
cujus rei differentia: veluti pelluciditas est quidem ac-
cidentalis corpori in genere spectato, verum eadem
pelluciditas est *essentialis* propetas aeris, aquæ, vitri,
chryſtalli, &c. Sic etiam rotunditas propetas est acci-
dentalis corporis in genere considerati; sed relate ad
corpora rotunda tenet locum differentia, sive proprie-
tatis *essentialis*. Neque id mirum; nam ipsa *essentialia*
attric-

attributa possunt certo modo abire in accidentia. Licet id animadvertere in soliditate, quæ respectu corporis est proprietas essentialis, respectu substantiae est accidens. Licet etiam idem intelligere ex laterum numero ternario, qui in figuris triangularibus obtinet locum differentiae, in figura vero in genere spectatis tanquam accidens debet existimari.

166. Ex quinque autem affectionibus modo recentis primas tenet motus, de quo fuse Sectione sequenti. Huic succedit quies, eaque si Cartesio credimus est *quidam in rerum natura positivam, nec sola motus privatio*; quod utique suo quoque loco erit discutiendum. Sequitur figura, quæ est *extensionis solidæ certa quadam determinatio*, eaque aut est exterior, ut globi cerei figura, quam is exuere potest citra suæ naturæ dispendium, vel est *intima & partium insensibilium, ex quibus res quæque constat, configuratio, quæ ad naturam, atque essentiam rei quodammodo pertinet*. Neque enim alia ratione ferrum à cera distinguitur, quam quod insensibilium, quibus cera constat, partium alia fit figura, aliis sit situs, quam earum, ex quibus ferrum componitur. Priorem speciem proprię figuram, alteram *configuracionem* vocant *Physicali*. His succedit *situs*, cuius nomine intelligimus *cujusvis particulas inter alias particulas positionem*. Denique *magnitudo* est particulae *cujusvis major moles, vel minor*.

167. Hactenus omnes fere Philosophi, saltem coordinatores convenienter inter se: vulgatum est enim apud ipsos formas rerum materialium non aliunde esse repetendas quam ex *magnitudine, figura, situ, motu, atque quiete* partium, ex quibus qualibet materiae portio constituitur. Quemadmodum enim ex varia viginti quatuor litterarum dispositione infinita propemodum vocabula exurgunt, pari modo ex diversa partium magnitudine figura, motu, quiete & situ omnia mundi corpora oriuntur; & pro ut partes ad se invicem accedunt, aut removentur, aut novum ordinem sortiuntur, res diversas procreant, ac fingunt. Quid enim aliud aquæ accidit, dum diaphana esse desinit, dum dura fit, dum fra-

fragilis, uno verbo dum in glaciem abiit, præter variatum partium ordinem, ac complexum? quid tritici granis, quum in farinam molarum concussu convertuntur præter motum? Sunt tamen nonnulli qui circa figuras instarum partium, circa motum, atq; magnitudinem philosophari conati sunt. Inter hos principem locum tenet Renatus Cartesius, qui partes corporum elementares, ex quibus scilicet ipsamet corpora coalescunt, revocavit ad *classees tres*: unde tria enata sunt *elementa, primum, secundum, & tertium*, quæ passim *Elementa Cartesiana* vocantur. Elementa autem, pro ut intelliguntur à Physicalis, sunt *corpora quædam formis simplicissimis instruta*, ex quorum concretione enascuntur *corpora alia formis magis composita* refert a.

168. Primum elementum statuit Cartesius esse *materiam quandam subtilissimam vobementer, ac summopere agitatam, fluidam, nullius figurae tenacem, sed qua ad corporum adjacentium figuram facile se accommodet*. Ex hoc elemento arbitratur pro maxima parte constitui Solem, Stellas fixas, ignem, omniaque corpora lucida. Secundum elementum cenlet Cartesius esse minutissimos quosdam globulos, continentes inter sua interstitia magnam primi elementi copiam, sed ipsos etiam, ad instar materiæ subtilis, meatus corporum repletos. Hos globulos Cartesius durissimos posuit: at Mallebranchius ad lucis phænomena explicanda fluidos, atque elasticos esse finxit. Denique tertium elementum docet esse materiam quandam crassiorem ex particulis irregularibus, atque ramosis constantem, ex quo tertio elemento formatam esse ait terram, aquam, aerem reliquaque corpora mixta.

169. Sed opere pretium est etiam originem horum elementorum, qualem Cartesius effinxit, hoc loco cognoscere. Universam materiæ massam, rudem, atque informem à Deo creatam, statuit hic vir præclarissimus in infinitas exiguae particulæ à Deo ipso fuisse divisam, neque omnes fortasse æqualium magnitudinem, neque omnes ejusdem figuræ, dummodo tales affuman-
tus, à quibus nulla vacui suspicio oriri possit: nam va-
cuum

cuum *Cartesius* ne Deo quidem ipso volente fieri posse docuit. Deinde posuit singulas istas particulas variis modis à Deo circa sua contra fuisse commotas: quibus positis quæ inde fieri debuisse arbitratur, hæc sunt. *Primum* necesse fuit ut angulatæ, eminentes, & implicatae istarum particularum partes abrumperentur. Itaque quum initio valde esset minutæ, procedente tempore eo usque minutiores illæ, teretioreisque evaserunt, ut tandem in rotunditatem tornarentur: ex quo duo materiae genera diversa coorta sunt, quorum alterum fuit pulvis ille tenuissimus, qui est globolorum quasi intertrimentum, & hoc est *primum elementum*: alterum vero fuerunt ipsi globuli, sive ipsæ particulæ in rotunditatem tornatae, & hoc est *secundum elementum*. Tum quoniam necessario accidit, ut quædam materiae particulæ vel separatim, vel conjunctim figuræ abnormes, perplexas, & impeditas haberent, adeoque à particulis tum *secundi* quum *primi elementi* quam longissime abessent, datus est locus *tertio elemento*, quod ex particulis irregularibus, atque crassioribus constare dictum est.

170. Jam quod sit judicium nostrum circa ista tria elementa *Cartesiana* breviter est indicandum. Et quidem dari in rerum natura materiam quandam subtilissimam summopere agitatam, id non *Cartesius* modo, sed & *Plato*, & *Aristoteles*, & *Veteres* fere omnes agnoverunt, neque nos ei bellum indicere suscipimus, eo magis quod *Cartesiani* ope ipsius multa explicant naturæ phænomena, quorum nulla alia ratio vel probabilis adferri potest. Atque ut aliqua exempla hic adducam, quærunt *primo Cartesiani*, cur castanea, sal non contritus, multaque alia corpora dura igni imposita non sine fragore disrumpantur, & crepitent. Respondent castaneæ partes crassiores à particulis subtilissimæ materiae, ex qua ignis constituitur, per occultos ejus meatus subeuntis, commoveri, inque omnes partes agitari: ex quo motu fit, ut cortex cum fragore disrumpatur. Ad hæc quum aer intra castaneam delitescens à particulis subtilissimis ignis agitatus majorem sibi comparet vim elasticam, is nitens explicare se in majus spatum, undique

undique corticem urget, eumque cum fragore findit, ac lacerat.

171. Quærunt secundo cur vitrea vasa in fornace recens elaborata, atque aeris frigido statim exposita frangantur. Respondent meatus vasorum vitreorum exteriores citius præ frigore constringi, quam meatus interiores: etenim quum in cavitate eorumdem vasorum magna vis caloris maneat collecta, ea potis erit efficerre, ut meatus interni maneat aperti, quum tamen meatus externi, qui ab aperto frigidoque aere tanguntur, statim obcludantur. Itaque materia subtilis per meatus latiores, qui sunt ab interiori parte ingressa, summo cum impetu in partes vitri solidas impingit, quæ quum ei exitum intercludant, coguntur ab ipsis subtilis materiæ impetu diffilire, atque in pulverem comminui. Præcaverunt autem sibi ab isto incommmodo artifices removendo vasa vitrea recens elaborata paulatim à fornace: hac enim ratione meatus undique ex æquo clauduntur, ideoque iterum materiæ subtili æquilater patens, atque apertum præbent.

172. Ope ejusdem materiæ subtilis explicari quoque posse autumant illustre illud phænomenon *lacryma vitrea*, quod philosophos omnes excitavit, atque commovit. Ejus figura est, qualis in *Schemate 13.* describitur, ad instar longioris olivæ collum habentis retortum, ut sunt recipientia *Chrysicorum*. Quod autem in hac lacryma deprehenditur ita se habet. Craffa ejus pars adeo dura est, ut mallei ictus absque fractura substineat: at si collum ipsius, vel digitis ipsis, frangatur, tota disrumpitur abiens in pulverem minutissimum: necesse autem est collum frangere: nam si ejus apex tenuissimus fecetur, lacryma haud quidem frangitur. Ut explicit *Cartesiani*, quomodo in hujusmodi lacryma vitrea exposita phænomena contingent, præmonent eam adhuc candentem in aquam tepidam mergi à Vitrariis, ad hoc ut refrigeretur; qui aquam potius tepidam hoc in negotio adhibent, quam frigidam: nam, experiundo, compererunt vitrea vasa candentia in aquam frigidam immissa statim frangi, atque in partes comminui. Inde vero

vero id fieri colligunt, ut quoniam primo refrigerantur partes exteriores lacrymæ, deinde vero ipsius partes interiores: contraiores sint meatus exteriores, quam interiores, qui multo magis hiantes erunt. Quibus prænotatis, hanc esse phænomeni causam arbitrantur. Collo à lacryma absciso, confestim materiae subtilis partes crassiores in lacrymam irruunt, omnesque ejus recessus interiores perrumpunt: sed quum ad partes ejus exteriores, quæ scilicet sunt prope superficiem lacrymæ, quæque minus porosæ sunt, deventum est, quia excursus ipsarum modo cohibetur à solidarum partium objectu, necesse est lacrymam rumpi, atque in pulverem abire: at vero quum ejus pars crassior satis dura sit, atque compacta, poterit mallei quales quales ictus absque fratrione substinere. Accedit figura ipsius lacrymæ: ea enim quum sit undique fornicata, majus lacrymæ robur adjunget contra mallei ictus. Sunt tamen magni nominis Philosophi, qui contendunt explicari posse hunc effectum sola tensione partium, quæ apice effracto, tanquam ruptæ chordæ, se undique retrahant.

173. Nolo hic exquirere, an horum phænomenon causæ à nobis prolatæ verissimæ sint; non enim eo consilio illa hic retuli, sed potius, ut paucis ostenderem, qualis esset Cartesiana in physicis ratiocinandi ratio. At siue verae sint, siue falsæ, existentiam alicujus materiae subtilis Cartesianis non contendimus. Num autem ipsa nullius figuræ sit tenax, motumque omnem suum perpetuo possit conservare, quemadmodum ponit Cartesius, id quidem neque probabile est, neque ulla certa ratione evincitur. Concedimus etiam adesse ingentem materiae subtilis quantitatem, cujus omnes particulae & sphæricæ sunt, & diversarum magnitudinum, quam secundum elementum à Cartesio adpellari vidimus: nam per ipsam lucis propagatio felicissime explicatur; quamquam hujus materiae existentia nullis invictis rationibus possit suaderi. Denique dari tertium quoddam genus materiae admodum irregulare, & minus subtile, ex quo corpora mixta enata sunt, id neque etiam contendimus Cartesio. Sed advertendum hic est, particulas istas

irregularēs ex aliis minoribus particulis inter se mutuo implexis , atque has rursus ex aliis compositas esse , absque eo quod fortasse deveniatur ad partes aliquas minimas absolute solidas , hoc est omnino poris delitutas . Quod si alicui placeat partes istas solidas , hoc est omnino poris destitutas in corporibus imaginari , ego ipsi minime adversabor : id quod si verum erit , ita de elementis erit sentiendum . Particulae omnium minima , & absolute solidae erunt elementa *prima compositionis* ; moleculae ex pluribus hisce particulis simul coalescentibus ortae cum poris intermixtis erunt elementa *secunda compositionis* : moles ex pluribus moleculis coeuntibus conflatæ erunt elementa *tertiæ compositionis* , & sic deinceps donec tandem deventum sit ad particulas , ex quibus corporum sit ultima complicitio , quæ quidem elementa dicuntur *ultima compositionis* : atque in ea elementa sit *prima corporum resolutio*.

174. Concludamus igitur , diversas formas , sub quibus eadem materia adparet , nonnili ex particularum mutata figura , magnitudine , & textura proficiisci . Sed notandum est , materiam ex mutatis formis neque augeri , neque minui , sed eamdem semper permanere . Si enim augeretur , augmentum omne esset ex nihilo ; sin minueretur , decrementum abiret in nihilum : absurdum est autem quidquam naturaliter existere de nihilo , aut abire in nihilum . Dicendum est ergo Deum initio rerum certain materialis quantitatē creasse , eamque semper permanere eamdem , quamquam non sub iisdem formis . Ex gr. credibile est non eamdem perpetuo manere quantitatē in aeris , vel aquæ ; sed si aeris , vel aquæ quantitas augetur , diminuetur vicissim corpus alterius naturæ : quod si diminuitur , augebitur corpus naturæ diversæ , sic ut collectio omnium corporum semper maneat eadem , ac invariata sine ullo summa incremento vel decremente .

SE.

SECTIO SECUNDA.

De motu, unico fiendi principio.

175. **E**xplícato utroque *effendi* principio, *materia* nempe & *forma*, institutæ tractationis ordo nunc postulat, ut ad *motum*, unicum fiendi principium, transeamus. Est sane motus, omnium affectionum, quibus corpus gaudet, longe nobilitima; quoniam ab ipso proficiuntur non modo quidquid ornamenti, atque pulchritudinis cernitur in natura, verum etiam omnis generatio, & corruptio, quæ in ea accidit in dies. Quod minus mirandum est, li Aristoteles pronunciaverit, *ignoratus motu, naturam pariter ignorari*. Id quum ita sit, postulamus, ut liceat nobis esse aliquanto longioribus, accuratiōibusque in hoc argumento persequendo.

CAPUT PRIMUM.

De Motu Natura, deque variis ejus speciebus: ubi obiter de Quietē.

176. **M**otus nihil aliud est, nisi *continua*, & *successiva loci mutatio*: quæ definitio evadet apertissima, dummodo quid sit locus, accuratius explicetur. Vulgo Philosophi locum distinguunt in *internum*, & *externum*: Internum locum vocant *spatium*, quod à locato corpore *occupatur*: externum vero dicunt esse *superficiem concavam corporis ambientis*, & *locum continentis*. Veluti quando pisces quiescit in media aqua, ea pars spati, quæ occupatur à pisce, & ex qua ipse arcet omnem aquam, dicitur locus internus: at vero superficies aquæ undique piscem complectens, sive superficies illa, quæ aquæ, & pisci est communis, appellatur locus *externus*.

G 2

177. Sed

177. Sed nobis rectius videtur, locum distinguere in *absolutum*, & *relativum*, atque illum quidem referre ad spatium immobile, & infinitum, hunc vero referre ad corpora circumambientia. Locus absolutus est ea pars spatii immobilis, qua occupatur à corpore: veluti ea pars spatii immobilis, atque infiniti, in qua constituitur Tellus nostra, dicitur locus absolutus Telluris. Locus vero relativus est, qui à sensibus nostris ex situ ad alia corpora definitur; veluti est locus, quem quis sedens in navi occupat in ea; sive enim navis quiescat, sive moveatur, idem perpetuo futurus erit ejus locus relativus; quum eamdem semper servet distantiam ab omnibus partibus navis, in qua quiescere fingitur. Intelligere id licet exemplo ejusdem Telluris, de qua modo loqui sumus. Nam si cum *Copernico*, ejusque *seculatorebus* effingamus Tellurem moveri circa Solem ab occasu in ortum, iam locus absolutus Telluris continenter mutabitur; at locus relativus centri Telluris, sive illius puncti, à quo omnes rectæ lineæ ad superficiem Telluris cadentes sunt æquales inter se, manet ubique idem, atque immutatus.

178. Inde autem intelligere primum est, locum absolutum eumdem semper esse *magnitudine*, & *figura* cum loco relativo, sed non tamen eumdem cum illo *numero* manere. Nam in prædicto navis exemplo, locus absolutus hominis in ea sedentis, & locus relativus ejusdem hominis, quiescente navi, sunt unum & idem *numero*, *magnitudine*, & *figura*: at navi de uno loco in aliud translata, locus hominis absolutus nunc erit unus, nunc aliud non quidem *magnitudine*, & *figura*, quæ duo manent semper eadem, sed *numero*; locus vero relativus ejusdem hominis, qui à situ partium navis invariato dependet, erit semper unum, & idem. Non dissimiliter, si iterum cum *Copernicanis* effingamus, Tellurem moveri circa Solem, spatium, quod intra parietes alicujus cubiculi continetur, semper manebit idem *magnitudine*, & *figura*, sed haudquaquam numero: sedificium enim per partes spatii immobilis cum ipsa Tellure continuo transfertur; adeoque et si non mutetur locus

locus relativus ædificii per continuum motum Telluris, mutatur tamen locus absolutus.

179. Hac loci distinctione sic constituta, dicimus generaliter motum fieri per *translationem corporis de loco in locum*: ita tamen, ut si corpus transfertur de loco relativo in locum relativum, dicatur moveri *relative*, quod si vero transfertur de loco absoluto in locum absolutum, dicatur transferri *absolute*: ex quo quidem proficiuntur *prima* motus divisio in *absolutum*, & *relativum*. Ex. gr. homo sedens in navi, atque eundem in ipsa retinens locum relativum, relative non moveatur, & si navis ipsa interea remis, aut vento impulsa feratur versus aliquem locum; quo casu tamen quemadmodum navis movetur absolute, ita homo ipse sedens in navi absolute movetur. Contra si homo moveatur in navi ab ortu in occasum eadem prorsus velocitate, qua vicissim ipsa remis impulsa fertur ab occasu in ortum; jam is, quia mutat indesinenter locum relativum in navi, procul dubio movebitur relative: sed quia non mutat locum absolutum; (nam ob duplum motum hominis æqualem, & contrarium alterum ab ortu in occasum, alterum ab occasu in ortum facile intelligitur, futurum, ut homo in eadem spatii immobilis parte perpetuo permaneat) absolute homo ille non movebitur: quemadmodum plusquam satis manifestum est.

180. Fieri autem potest, ut corpus moveatur eodem tempore & absolute, & relative: ut accidit homini in quiescente navi utcumque deambulanti; is enim moveatur relative respectu navis, absolute vero relate ad spatium. Accidit etiam interdum, ut corpus videatur moveri relative versus partem aliquam, quamquam ipsum revera absolute moveatur versus partem oppositam. Finge navim moveri ab ortu in occasum cum 100 gradibus velocitatis, sed finge etiam hominem stantem in navi impellere corpus ab occasu in ortum tantum cum 70 gradibus velocitatis. Jam quis quis versabitur in navi, videbit corpus tendere versus ortum cum velocitatis gradibus 70; quamquam si verum volumus,

ipsum moveatur versus occasum cum 30 gradibus velocitatis. Dixi *quis quis versabitur in nave:nam si alius extra navem existens motum corporis spectet, is procul dubio videbit illud tendere verius occulum cum 30 gradibus velocitatis; qui etiam videbit corpus recta descendere versus maris superficiem, siquidem navis moveatur versus occasum cum 100 gradibus velocitatis, corpus autem dejectum sit versus ortum etiam cum 100 gradibus velocitatis.*

181. Quapropter, ut rectum de motu corporis judicium feratur, habenda erit ratio & motus ejus absoluti, & motus relativi. Ut si Terra quiescit, quemadmodum Tychonici sentiunt, corpus, quod relative quiescit in nave, movebitur vere, & absolute ea velocitate, cum quae navis movetur absolute in Tellure. Sin Terra etiam movetur, ut Copernicus sententiae fautoribus persuasum est, verus & absolutus corporis motus orietur partim ex Terra motu vero in spatio immoto, partim ex navis motu relativo in Tellure. Denique si corpus etiam moveatur relative in nave, orietur verus motus ipsius partim ex vero motu Telluris in spatio immoto, partim ex relativis motibus quum navis in Terra, tum corporis in nave: ex quibus duobus simul conjunctis proficiuntur motus relativus corporis in Tellure. Recte Cartesius, atque apposite: *ut si quis ambulans in nave horologium in pera pesset, ejus horologii rotula unico tantum motu sibi proprio movebuntur, sed participabunt etiam ex alio, quatenus adjuncta homini ambulanti, unam cum illo materia partem componunt; & ex alio, quatenus erunt adjuncta navigio in mari fluctuanti, & ex alio, quatenus adjuncta ipsi mari, & denique ex alio quatenus adjuncta ipsi Terra, siquidem Terro tota moveatur; omnesque hi motus revera erunt in rotulis istis.*

182. Hæc est, uti dixi, prima, ac potissima motus divisio. Sequitur huic valde adfinis secunda motus division in *communem*, & *proprium*. Et quidem si corpus se ipsum transferat: (sive id oriatur ex vi quadam intrinseca, ut homo, qui recreationis ergo deambulat; sive oriatur ex vi externa ad corpus ad�icata, ut lapis

pro-

projectus) illud quidem dicetur motu proprio moveri. At vero quando corpus unum transfertur ab alio, tunc dicitur moveri motu communi; cuius motus quum multis in rebus, tum præcipue habemus exempla in homine rheda, vel etiam navi delato. Ex quo intelligere primum est, fieri posse, ut corpus simul & moveatur motu proprio, & moveatur motu communi: nempe si homo deambulet in navi, quæ interea temporis deferatur à ventis. Quin immo possunt motus duo, quibus motibus idem corpus agitur, habere quascumque directio-nes, etiam oppositas. Atque hac ratione Ptolemaici, Tychonicique duplēcēm in cœlestib⁹ corporib⁹ motū alterum ab ortu in occulum, alterum ab occasu in ortum conciliant; quod nos suo loco explicabimus.

183. Sequitur *tertia* motus divisio in *æquabilem & inæquabilem*. Motus æquabilis, qui etiam uniformis dicitur, est ille, in quo *æquales spatii partes temporibus quibusvis æqualibus describuntur*; veluti si corpus singulis temporis particulis æqualibus singulos pedes pertranseat: hoc casu spatium percursum augetur æquabiliter cum ipso tempore, usque adeo ut in tempore du-
plo spatium sit duplum, in triplo triplum, atq; ita dein-
ceps. Motus vero inæquabilis, qui etiam variabilis ad-
pellatur, est ille, in quo *inæquales spatii partes æqualibus temporibus describuntur*; quæ quidem partes inæquales si continuo, augeantur, motus variabilis erit *accelera-
tus*, sin minuantur, erit *retardatus*: veluti si corpus, descendendo prima temporis particula describat pedem unum, secunda particula temporis æquali describat pedes tres, tertia quinque, quarta septem &cæt. (ut accidit gravibus cadentibus è quiete remota resistentia aeris), dicetur ipsum moveri motu inæquabili accele-
rato. Vicitim si corpus, ascendendo, prima temporis particula describat pedes quinque, secunda particula æquali pedes tres, tertia etiam æquali pedem unum, (ut accidit gravibus sursum projectis, contra vim gra-
vitatis nitentibus), eo casu ipsum dicetur moveri motu inæquabili retardato. Patet autem in motu quum ac-
celerato, tum retardato spatium minime augeri in ra-

tione temporis, sed priori casu augeri in ratione temporis majori, in casu secundo augeri in minori temporis ratione : hoc est priori casu in tempore duplo spatium descriptum est plus quam duplum , in posteriori vero casu in tempore duplo spatium descriptum est minus quam duplum.

184. Sunt qui ad expositas tres divisiones adjungunt quartam , dicendo, omnem motum vel esse rectum, vel curvum : in qua divisione, siquidem intelligunt quædam corpora moveri per lineas rectas , quædam alia per lineas curvas,nihil reprehendendum habemus: nam revera corpora gravia inter descendendum, saltem ad parenter, describunt lineas rectas, corpora vero coelestia moventur in lineis curvis in se redeuntibus. Quod si vero id volunt, dari quosdam motus suapte natura curvos, tunc falsam esse divisionem contendimus: nam omnis motus natura sua rectilineus est ; id quod quamquam suo loco plenissime demonstrandum sit , tamen paucis hic attingere lubet.

185. In motu primo loco consideranda se se offert directio, sive plaga versus quam corpus movetur . Itaque si corpus movetur de loco A (Fig.14.) ad locum B per lineam rectam AB , hæc recta AB designabit tum spatium à corpore in dato tempore descriptum , quum directionem motus ipsius . At si corpus de loco A perget ire ad locum B per lineam curvam ACB , erit quidem linea curva ACB spatium à corpore percursum , sed eademmet minime designabit directionem motus ejusdem corporis ; quum hoc casu directio motus non sit unica , sed multiplex , immo infinita : in quovis enim lineæ curvæ ACB loco corpus diversam habet directionem, quam si determinare vis, ducenda tibi erit ad punctum illud , in quo puncto scire vis directionem motus corporis,tangens. Qua ratione si CX tangat lineam curvam ACB in loco C , dicemus directionem motus corporis in loco C esse lineam rectam CX.

186. Erunt fortasse , qui quærant , unde accidat, ut in loco C directio motus corporis sit secundum rectam CX , & tamen corpus perget moveri per semitam cur-

curvilineam CB. Id oritur ex eo, quod corpus in loco C urgetur vi aliqua tendente ad plagam Z, sive vis ista oriatur ab attractione manente à loco Z, sive etiam ab impulsu urgente corpus versus eundem locum. Intelligere id licet exemplo lapidis horizontaliter projecti, qui neque horizontaliter movetur, neque recta descendit versus Tellurem, sed per semitam obliquam, & curvilineam ad eamdem contendit: et si enim lapis motu horizontali impulsus sit, tamen vis gravitatis continuo agens in lapide, jugiter retrahit illud de cursu horizontali, & semitam curvilineam cogit inire. Aliud erit, si corpus dejiciatur secundum lineam, qua perpendicularis sit ad Telluris superficiem: tunc enim, quia vis gravitatis agit secundum eamdem lineam perpendiculararem, corpus recta descendet, neque unquam ex ea deflectet. Sed hac de re alibi fusi.

187. Motus natura sic explicata, facile erit intelligere naturam quietis: nam quum motus, & quies sine toto cœlo diversa, profecto conditio quietis erit prorsus contraria motus conditioni. Itaque quemadmodum generaliter motus est *translatio corporis de loco in locum*, ita quies erit *permanentia corporis in eodem loco*; & quidem si corpus permaneat semper in eodem loco relativo, corpus quiescat *relative*; sin vero permaneat semper in eodem loco absoluto, corpus quiescat *absolute*. Quapropter poterit corpus relative quiescere, sed moveri absolute, ut accidit homini, qui sedet in navi, dum ipsa remis, aut velis impellitur. Vicissim poterit corpus moveri relative, quamvis quiescat absolute: veluti si quis ambulet in navi versus partem unam eadem prorsus velocitate, qua navis fertur in oppositam: nam ob duplicum hominis motum æqualem, & contrarium alterum proprium, alterum communem fiet, ut is in eodem loco absoluto semper consistat.

188. De quietis definitione satis convenient. Ultrum vero quies sit *mera motus privatio, an quid positivum*, acriter disputatum est inter Philosophos. *Cartesius Principiorum Parte II.* contendit id, quod quiescit habere ex quiete vim nonnullam ad resistendum sis omnibus, quæ

quæ eam possint mutare. Ad quod suadendum usus est vulgari illa observatione, quod nō minori ferme vi opus sit ad navigium in aqua stagnante quietens impellen-dum, quam ad idem navigium, dum movetur sistendum. Huic *Cartesii* sententiæ subsci*pi*lit, ut semper consuevit, *Silvanus Regis*, qui motum æque adpellari posse cessationem quietis, ac quietem cessationem motus arbitratus est. Nec multo aliter *Perraultius*, qui docuit omnia corpora quietentia natura sua nō otui resistere, indeque fieri, ut libræ utrinque magnis ponderibus oneratae æquilibrium non facile tollatur, quod corpora quiescentia eo magis motui obstant quo' sint graviora. Contra *Mallebranchius*, compluresque alii contendunt quietem esse quid negativum, adeoque habendam esse tanquam meram privationem motus, quam senten-tiam nos ultro sequimur.

189. Nam quod adfert *Cartesius*, non minori vi opus esse ad navigium in aqua stagnante quietens impellen-dum, quam ad idem, dum movetur, sistendum, id qui-dem verum est; sed falsum est id oriri ex quiete navi-gii, sive potius ex quadam vi, quam quies ipsa navi-gio conciliat. Si enim immensam vim adhibere cogimur ad commovenda navi-gia in aqua stagnante quiescentia, id ex eo proficiisci arbitrandum est, quod ea undique aqua coerceantur, ex qua aqua ortum trahit magna illa vis resistentiæ, qua persentitur in iisdem navi-giis per-trahendis, aut impellendis. Quod si nullam ab aqua resistentiam navi-gio inferri supponas, procul dubio ip-sum à quavis vi, etiam quamminima, è quiete deturbabitur: id quod innotuit ipli met *Galileo*, quum dixit cor-pus in vacuo à quavis vi impelli posse. Non ergo ex quiete, sed potius ex resistentiâ corporum circumambien-tium oritur, quod corpora quiescentia viribus impel-lentibus obstant, atque relucentur. In vacuo autem corpora quiescentia, si nituntur in sua quiete perseverare, id ex inertia materiæ oriri supra demonstratum est: quam inertiam dictum est etiam proportionalem esse materiæ quantitati; id quod constat ex eo, quod major proportionaliter vis postuletur ad movenda cum pari veloci-

velocitate corpora majoris magnitudinis, quam ad mouenda corpora minoris magnitudinis.

190. Fortasse adversarii ita hanc nostram responsionem eludent. Si verum esset difficultatem omnem, atque vim, quam in commovendis navigiis quiescentibus experimur, oriri ex resistentia aquæ, profecto quemadmodum in dato navigio eadem est prorsus resistentia exercita ab aqua, ita quoque eadem in dato navigio commovendo difficultas experiri semper deberet; Atqui major difficultas persentitur in commovendo navigio exonerato, quam in commovendo eodem navigio, quando mercibus onustum est: quare aliunde, quam ex aquæ navigium ambientis resistentia prefata difficultas repetenda esse videtur. Hic primum responderi potest eodem argumento ostendi posse difficultatem illam non oriri ex quiete navigii: etenim quemadmodum quies non suscipit magis & minus, ita eodem prorsus modo dicendum est quiescere navigium, sive illud exoneratum sit, sive mercibus onustum: quare si difficultas penderet ex quiete, utroque casu eadem experiunda foret difficultas. Tum respondetur falsum esse resistentiam ab aqua exercitam adversus navigium eamdem esse, sive ipsum ponatur exoneratum, sive ponatur mercibus onustum. Contra enim arbitramur resistentiam longe majorem esse in secundo casu, quam in primo, coque esse majorem, quo magis navigium onustum est: etenim quo majus est onus navigii, eo major portio ipsius in aqua demergitur. Hoc autem dum sit, profecto majorem resistentiam pati debet navigium ab aqua ambiente, quum magis demersum est, quam quum minus est demersum. Accedit inertia, que quum proportionalis sit materiæ quantitati, major erit vis ipsius in navigio onusto, quam in navigio exonerato.

191. Quarum rerum veritas luculentius constabit ex sequenti questione. Quæritur unde fiat, ut corpus quantumvis magnum, si fune suspensum sit, levi mouento buc illuc impellatur: quum tamen si idem corpus planu aliquo incumbat, agerrime de loco suo deturbetur. Nempe id accidit, quia quando corpus suspensum est, supe-

superanda est tantum resistentia aeris circumambientis: at vero quando idem corpus piano innititur, non modo superanda est resistentia aeris, verum etiam superandum est quidquid resistentiae oriatur ex contactu corporis cum piano. Quo circa quanto major est contactus, sive quo major est superficies corporis, quæ tangitur à piano, eo major erit resistentia, adeoque majori vi opus erit ad corpus de loco suo deturbandum.

192. Quod autem dictum est à Perraaltio corpora quiescentia suapte natura motibus resistere, id universaliter acceptum minime verum est: corpora enim natura neque motum adfendant, neque quietem; at vero quæ corpora semel motum acceperunt, ea in motu perseverare nituntur in æternum; quemadmodum quæ corpora semel in quiete posita fuerunt, semper quiescera contendunt, non quidem suopte ingenio, sed potius ob vim inertiae, qua donantur, ex qua vi pendet Lex Naturæ suo loco explicanda. *Corpus onus perseverare in statu suo quiescendi, vel movendi uniformiter in directum, nisi à viribus externis inde deturbetur.* Itaque quod inde colligit libræ utrinque magnis ponderibus oneratae æquilibrium non facile tolli, non ei acceptum est referendum, quod corpora propter quietem habeant vim ad resistendum, sed potius quia multo major à gravioribus ponderibus resistentia oriatur eo in loco, quo in loco trutina examini jungitur: quemadmodum attenuatus consideranti manifestum fiet.

193. Temperare autem me non possum, quin hoc loco *Mallebranchium*, eumque sequutum *Joannem Clericum carpam*, qui ad suadendum quietem esse modum corporis negativum, motum vero esse positivum corporis modum, manifesta usi sunt petitione principii. Quietuscatur, inquiunt, globus, deinde desinat Deus velle, ut is quiescat, neque aliud præterea; quid futurum? globus adhuc quiescet: quare autem? quia non satis est Deum velle globum quiescere, ad hoc ut is moveatur, sed necesse est pariter, ut statuat versus quam plagam ei tendendum sit, & hoc amplius cum quanta velocitate: adeoque, ut globus moveatur, non sufficit voluntas Dei

pris

privativa, sed requiritur ipsius positiva voluntas. Per-
gunt: moveatur globus, deinde desinat Deus velle, ut
is moveatur; quid futurum? non movebitur amplius,
quia hic sufficit voluntas Dei privativa: sed quoniam
non ostendunt, quare hic sufficiat voluntas Dei privati-
va principium petere videntur. Revera vis, seu conatus,
quo corpora quum quiescentia, cum mota persistunt in
eo, quo cœperunt statu est mera *inertia* materiæ, de qua
supra loquuti sumus: ideoque si fieri posset ut Deus ni-
hil vellet, quæ corpora aetu moventur, non idcirco de-
finerent moveri; sicuti è converso, quæ corpora aetu
quiescunt, non ideo à quiete cessarent.

CAPUT SECUNDUM.

De velocitate corporum quovis modo motorum.
De motu corporum aquabili, deque spatiis
ab iisdem corporibus percursis.

194. **Q**uum motus complura sint accidentia, præ-
cipuum tamen locum sibi vindicat *velocitas*,
de qua idcirco primo loco agendum nobis
est. *Velocitas* est *relatio, quam habet spatium ad tempus*:
si enim duo corpora pertransirent idem spatium tempo-
ribus diversis, illud dicere solemus majori velocitate
processisse, quod minori tempore metam adsequutum
est, illud vero, quod tempore diuturniori ad eamdem
metam pervenit, tardius incessisse dicimus. Veluti si ex
duobus equis ab eodem carcere simul profectis, alter ali-
quanto citius, alter aliquando tardius ad eundem locum
pervenisse ponantur: nam qui oxyus, majori celerita-
te, qui tardius minus celeriter cucurrisse dicendus est.
Contra si duo corpora eodem prolsus tempore emetian-
tur spatia inæqualia, illud, quod majus spatium de-
scriptum, velocius, quod vero minus spatium peragravit
minus velociter incessisse pronunciamus.

195. Ex quo intelligere primum est, in conceptu
velocitatis duplum alium conceptum contineri, alte-
rum

rum quidem *spatii*, alterum vero *temporis*, in tantum, ut eodem manente tempore, si spatiū descriptū augeatur, vel minuatur, etiam velocitas motus proportionaliter augeatur, vel minuatur; eodem vero manente spatio percurso si tempus augeatur, vel minuatur, vicissim velocitas minuatur, vel augeatur in eadem ratione. Quapropter quārentibus quid sit velocitas, respondendum est, esse relationem, quam habet spatiū descriptū ad tempus interea elapsū, adeoque ejus mensuram haberi si spatiū descriptū dividatur per tempus in descriptione spatiī consumptum. Veluti si mobile A descripsit pedes 20 in tempore quatuor secundorum scrupulorum, & mobile B descripsit pedes 40 in tempore quinque scrupulorum secundorum: velocitas quidem mobilis A erit graduum 5, velocitas vero mobilis B erit graduum 8; hoc est vis incedendi in mobili A erit ad vim incedendi in mobili B ut 5 ad 8. Hoc eo valet, ut credamus spatiū descriptū à mobili A in quavis temporis parte esse ad spatiū descriptū à mobili B in eadem parte temporis ut 5 ad 8. Sed advertendum hic est id locum habere, quando corpora móventur æquabiliter, sive quando eorum vis incedendi neque intenditur, neque remittitur; nam si intenditur, velocitas augeatur oportet; si remittitur, opus est velocitatem sensim imminui, quorum utrumque non convenit cum velocitatis definiendæ ratione, de qua haec-nus loquuti sumus.

156. Ut res manifestius adponere hic luhet exemplum corporum gravium, quæ vel descendunt deorsum, vel sursum projecta sunt. Priori casu velocitas gravis descendens jugiter crescit: nam sumptis temporis particulis æqualibus, spatia descripta semper magis, atque magis sunt majora: posteriori casu velocitas gravis adscendentis perpetuo decrescit, usque donec penitus extinguitur; nam sumptis hic etiam particulis temporis æqualibus spatia percursa magis, atque magis evadunt minora: quapropter utroque casu absurdum est velocitatem definire per relationem, quam habet spatiū descriptū ad tempus in descriptione consumptum:

ptum: neutro enim casu spatum increvit aequabiliter. Quid ergo hic agendum? Deveniendum est quum ad spatia quamminima, tum ad particulas temporis quamminimas, quibus particulis spatia illa descripta sunt. Quamquam enim velocitas corporis descendens, aut adscendentis continuo mutetur, tamen adeo exigua est mutatio, quam illa subit in temporis particula quamminima, ut instar nihili habeat: adeoque velocitatis mensura nihil aut addat, aut detrahatur. Itaque velocitas motus variabilis est *relatio quam habet spatium quamminimum ad tempus minimum interea elapsum*; adeoque ejus mensura habetur si spatium quamminimum descriptum dividatur per tempus in descriptione spatii consumptum. Ubi advertendum est velocitatem ita definitam esse illam, cum qua corpus describit spatium infinite parvum, quod comparatur cum tempore interea elapsu; idque ea de causa hic admoneo, quia corporis, quod variabili motu movetur, velocitas indolenter mutatur. Inde autem intelligere pronunt est methodum, quae ad definiendam velocitatem motus variabilis adhibetur, generaliorem esse ea, qua utimur ad definiendam velocitatem motus aequabilis, usque adeo, ut illa traduci possit ad motum aequabilem, at vero haec ad motum variabilem applicari non possit. Unde generaliter pronunciari potest, quod velocitas cuiusvis motus sive aequabilis, sive variabilis sit *relatio, quam spatium infinite parvum habet ad tempus interea descriptum*, cum hoc tantum discriminare, quod in motu aequabili relatio isthac maneat semper eadem, in motu vero variabili continuo immutetur.

197. Hac præmissa velocitatis notione, ostendenda sunt modo nobis *quinq[ue] Theoremeta*, quae in motu aequabili corporum locum habent. *Primum Theorema* est. *Si duo corpora aequali velocitate ferantur, spatia descripta erunt in ratione temporum: usque adeo, ut si tempus sit duplum, aut triplum, etiam spatium descriptum duplum sit, vel triplum. Secundum Theorema est. Si duo corpora moveantur aequali tempore, spatia descripta erunt in ratione velocitatum: usque adeo, ut si velocitas dupla*

dupla sit, vel tripla , etiam spatium descriptum sit duplum , vel triplum . *Tertium*, si duo corpora ferantur in aequalibus velocitatibus, tempora vero motuum fuerint in aequalia, spatia descripta erunt in ratione composita ex directa ratione temporum, & directa ratione velocitatum. *Quartum* Theorema ita se habet. Si velocitates, quibus corpora moventur, fuerint reciproce ut tempora, quibus motus peraguntur , spatia descripta erunt aequalia . Et *quintum* denique . Si spatia descripta fuerint aequalia, velocitates motum temporibus descriptionum reciproce respondebunt.

198. Nam primo, si A, & B sint corpora, quae feruntur eadem velocitate, manifestum est spatia ab ipsis descripta in fine quicunvis temporum aequalium aequalia esse inter se : quod si alterum eorum, impedimento obiecto , medio in cursu retineatur , alterum autem in motu perseveret, facile intelligetur hunc in alio tempore aequali spatium aequale emensurum esse , duplum in tempore duplo, triplum in triplo, subduplum in subduplo, & generaliter emensurum esse spatium , quod sit ad spatium prius ab utroque corpore percursum, quemadmodum est tempus subsequens ad tempus prius : ex quo deinde colligitur spatia à corporibus aequalibus velocibus descripta esse in directa temporum ratione. Secundo si corpora A, & B diversis cum velocitatibus lata eodem tempore moveantur , non dubium est quin illud majus proportionaliter iter sit confectum, quod ocyus fertur, usq; adeo, ut iter confectum futurum sit duplum, vel triplum, si velocitas motus dupla, vel tripla fuerit: & generaliter iter confectum ab uno corpore futurum sit ad iter ab alio corpore emensum , quemadmodum est illius velocitas ad velocitatem istius : adeoque corpora A, & B eodem tempore describent spatia in directa ratione velocitatum. Tertio si corpora A, & B diversis cum velocitatibus lata in aequalibus temporibus moveantur , spatia descripta erunt coniunctim ut tempora , & velocitates : nam si velocitates sint aequales, spatia percursa erunt in ratione temporum, si vero tempora aequalia fuerint, spatia descripta erunt in ratione velo-

velocitatum : itaque, inæqualibus existentibus tum velocitatibus , quum temporibus , spatia descripta erunt conjunctim ut tempora, & velocitates. Qua ratione spatiū descriptū à corpore , quod duplo celerius fertur in tempore duplo majori erit quadruplū ; & spatium descriptū à corpore , quod quadruplo celerius fertur in tempore etiam duplo majori erit octuplo majus : & generaliter, si velocitas unius corporis fuerit ad velocitatem alterius ut m ad 1, tempus vero motus illius corporis fuerit ad tempus motus istius ut n ad 1 : erit spatium à priori corpore descriptum ad spatium percursum à posteriori corpore ut mn ad 1.

199. *Quartum* Theorema est : si velocitates duorum corporum A, & B fuerint inverse ut tempora, quibus eorum motus peraguntur , spatia descripta erunt æqualia : nempe si velocitas corporis A fuerit ad velocitatem corporis B vicissim ut tempus , quo corpus B in motu perseverat ad tempus, quo corpus A perseverat in motu , quantum spatii emetitur corpus A , tantumdem emetetur corpus B : id quod facile intelligetur , modo ad superiora Theorematata animus referatur . Etenim quanto spatium descriptum à corpore A est majus, vel minus spatio descripto à corpore B ratione velocitatis , tanto vicissim , ratione temporis , spatium descriptum ab eodem corpore A erit minus vel majus spatio descripto à corpore B ; adeoque , æquatis utrinque spatiiorum mensuris , prodibunt spatia descripta ab utroque corpore æqualia inter se. *Denique* si spatia descripta à duobus corporibus A, & B æqualia fuerint, facile intelligetur, velocitates eorumdem corporum esse reciproce ut tempora, quibus in motu perseverant; scilicet velocitas corporis A erit ad velocitatem corporis B , ut est tempus , quo corpus B in motu perseverat ad tempus , quo corpus aliud A perseverat in motu ; nam in hac hypothesi ostensum est modo, spatia descripta à corporibus A, & B æqualia esse inter se.

200. Quapropter si duo corpora A, & B æquabili motu lata utcumque moveantur , per hancen ostensa Theorematata definiri poterit spatiiorum descriptorum

proprio, modo velocitatum, atque temporum proportiones non ignorentur. Nam *primo* si velocitates fuerint reciproce ut tempora, spatia descripta ex *Theoremate quarto* erunt æqualia. *Secundo* si velocitates sint ut *m* ad *1*, tempora vero ut *1* ad *n*; spatia descripta, quæ ex *tertio Theoremate* rationem habent compositam ex ratione velocitatum, & ratione temporum, erunt inter se ut *m* ad *n*; nam ratio *m* ad *n* componitur ex rationibus *m* ad *1*, & *1* ad *n*. *Tertio* si tempora sint æqualia, velocitates vero sint inter se ut *m* ad *1*, spatia descripta, quæ ex *secundo Theoremate* sunt in ratione velocitatum, erunt quoque ut *m* ad *1*. *Quarto* si velocitates sint æquales, tempora vero descriptionum fuerint ut *n* ad *1*, spatia descripta, quæ ex *primo Theoremate* sunt in ratione temporum, erunt quoque ut *n* ad *1*. *Denique* si spatia descripta fuerint æqualia, tunc ex *quinto Theoremate* velocitates temporibus reciproce respondebunt. Sed ulterioris data ratione, quam habent inter se spatia descripta, si quidem detur præterea ratio temporum, colligetur ratio velocitatum; quod si vicissim detur ratio velocitatum, colligetur ratio temporum: Nam quum spatia descripta sint conjunctim ut velocitates, & tempora, erunt velocitates ut *spatia descripta directe*, & *tempora inversæ*: & similiter tempora erunt ut *spatia descripta directe*, & *velocitates inversæ*: adeoque datis rationibus tum spatiorum, quum temporum, siquidem directa spatiorum ratio componatur cum inversa ratione temporum, habebitur ratio velocitatum: datis vero rationibus spatiorum, & velocitatum, siquidem directa spatiorum ratio componatur cum inversa ratione velocitatum, habebitur ratio temporum.

201. Cæterum solent Philosophi *Mechanici* spatia velocitates & tempora per longitudines linearum designare; quod quum faciunt, non tam ipsa spatia, velocitates, & tempora, quam eorum proportiones describere censendi sunt. Itaque si aliquando nos eorum consuetudinem sequuti dicemus rectas *AB, DE* (*Fig. 15.*) designare velocitates mobilium *A, & D*, nil aliud intellectum volumus, quam ut, quæ ratio intercedit inter rectas *AB, DE*, eadem

eadem intercedat inter velocitates mobilium A, & D. Et similiter si aliquando tempora , quibus temporibus corpora A,& D perseverarunt in motu, designemus per rectas AC, DF, non tam tempora ipsa , quam rationem temporum tunc designabimus, ita scilicet ut, quæ ratio intercedit inter rectas AC, DF, eadem prorsus intercedat inter tempora, quibus motus peracti sunt . Idem dictum esto de spatiis, quorum rationes designantur interdum per rationes linearum : quamquam nihil prohibet, quin spatia absolute exprimantur per longitudines linearum: quum spatum descriptum nihil aliud sit, quam alicujus itineris longitudo. Sed advertendum est, in motu æquabili: designatis quum velocitatibus, tum temporibus per longitudines linearum rectarum, spatia designari per quedam parallelogramma rectangula . Nempe si rectæ AB, DE designent velocitates mobilium A,& D,& rectæ AC, DF, quæ ad priores normaliter insistunt, designent tempora motuum , confectis rectangulis CAB, FDE, spatia descripta designabuntur per ista duo rectangula : nam quemadmodum ex tertio Theoremate spatia descripta rationem habent compositam ex ratione velocitatum , & ratione temporum , ita rectangula CAB, FDE rationem pariter habent compositam ex ratione velocitatum AB, DE, & ratione temporum AC, DF.

202. Atque hæc quidem spatiorum designandi ratio per areas rectangulares non solum in motu æquabili locum habebit, verum etiam habebit locum in motu variabili , dummodo ad elementa spatiorum, & temporum deveniamus. Sumantur tempora AP, Ap, AQ in linea recta indefinita AX , (Fig. 16.) velocitates autem motus variabilis in fine eoruindem temporum acquisitæ designentur per lineas rectas perpendicularares PM, pm, QN, quarum extremitates tangent lineam AMmN ; hoc est ponamus corpus grave recta descendere versus superficiem Telluris, & post quævis tempora AP, AQ adquisisse velocitates , quæ sint inter se , ut perpendicularares PM, QN . Hic quia velocitates mutantur indefinenter , absurdum est spatia descripta temporibus AP, AQ designare per rectangula APM, AQN , nempe per produc-

ex temporibus, & velocitatibus orta . At sumpto tempore infinite parvo P_p , quia tunc velocitatis mutatio tantilla est, ut tuto contemni possit, nihil vetat, quin spatiū descriptum tempore infinite parvo P_p , quod spatiū & ipsum etiam est infinite parvum, designetur per rectangulum Ppm factum ex tempore & velocitate, sive etiam per spatiū $Ppm M$, quod à supradicto rectangulo ad sensum non differt; & similiter eodem ratione ostendetur spatiū descriptum in tempore infinite parvo Qq designatum iri per areolam $Qqn N$: adeoque componendo spatiū descriptum tempore AP designabitur per aream APM, spatiū vero descriptum tempore AQ designabitur per aream AQN: etenim, divisio tempore AP, vel AQ in partes infinite parvas, spatia his temporis partibus infinite parvis percurſa erunt totidem areolæ, quarum omnium ſumma est area APM, vel AQN.

CAPUT TERTIUM.

De Momento, sive de quantitate motus: ubi de juxta virium aestimatione.

203. **V**is apud Philosophos Mechanicos est facultas, sive potentia, qua vel motum in corpus inducit, vel remoto obſtaculo induceret; eamque post doctissimum Leibnitium diſtinguit in vivam, & mortuam. Vivam adpellant illam, qua actu inducit motum in corpus, ut est gravitas in corpore descendantē: mortuam vero illam esse dicunt, qua actu quidem caret effectu, sed quae, remoto obſtaculo, adiferet corpus ad motum, ut est eadem gravitas in corpore ſubtentato, quod corpus quiescit usque donec ſubſinetur; at remoto ſubtentaculo ſiatim descendere incipit deorsum.

204. Jam quoniam effectus vis est motus aut jam iridens in corpus, aut, remoto obſtaculo, inducendus, parat quantitatem vis estimari debere ab ipso in otu vel induendo, vel inducendo: nam axioma est metaphysicum pallim

passim receptum : *causas effectibus adæquate esse proportionales.* Qua ratione si duæ sint vires, quæ agant in duo corpora diversa, atque motus generent in illis: liquidem motus geniti æquales sint, vires ipsæ æquales erunt; si vero sint inæquales, vires quoque erunt inæquales, eamque rationem habebunt, quam ipsi motus habent inter se. Sed id verum est, modo tempora, quibus temporibus vires egerint, sint æqualia, & vires etiam neque auctæ sint, neque imminutæ, sed in eodem statu permanescerint. Nam ad hoc ut causæ effectibus sint adæquate proportionales, postulatur tum causarum identitas, quum temporum æqualitas; & quoniam, si tempora sunt inæqualia, effectus rationem habent compositam ex ratione causarum, & temporum, erunt motus geniti conjunctim ut vires, & tempora; adeoque vires solæ erunt ut motus geniti directe, & tempora, quibus geniti sunt inverse ut clarius infra demonstrabitur.

205. Quum autem vires sint inter se ut motus geniti directe, & tempora, quibus geniti sunt inverse, manifestum est, ad obtinendam virium rationem, dividendos esse motus genitos per tempora; adeoque nisi prius innotescat ratio definiendæ motus quantitatis, omnis circa virium estimationem conatus erit inutilis. Principio autem distinguendi sedulo sunt motus corporum à velocitatibus eorumdem corporum. Nam si duo corpora inæqualia moveantur velocitatibus æqualibus, motus eorum haud quidem erunt æquales, sed illud corpus majorem motum habebit, quod majorem continet quantitatem materiæ. Vice versa, si duo corpora inæqualia motus æquales habuerint, velocitates eorum non idcirco erunt æquales, sed illud majori velocitate feretur, quod minorem continet quantitatem materiæ. Itaque quoniam, positis æqualibus velocitatibus corporum inæqualium, eorum motus sunt inæquales, positis vero æqualibus motibus eorumdem corporum inæqualium, velocitates prodeunt inæquales, concludendum est motus corporum, & velocitates eorumdem corporum res esse toto cœlo diversas.

206. Et sane per motum, sive momentum intelligi-

mus vim sive impetum, quem corpora extra quietis statum posita facere pressunt contra obstatula objecta: adeoque ad definiendam quantitatem motus attendendum est & ad velocitatem cum qua corpus movetur, & ad massam, sive quantitatem materiae ipsius corporis. Sint enim duo corpora A, & B æquales materiae quantitates habentia, eaque ferantur contra obstatulum oppositum æquali velocitate. Hic utrumque corpus eundem impetum faciet adversus obstatulum; neque enim quidquam causæ est, cur unum altero majorem vim facere debeat, quum & massæ, & velocitates æquales ponantur: quod si impetus æquales sunt, æquales pariter erunt motus, sive motuuntur quantitates. At, manente massarum æqualitate, fac corpus A velocius ferri, corpus vero B ferri segniss: tunc impetus corporum A, & B facti contra obstatulum minime æquales erunt, sed major erit impetus corporis A, quod velocius movetur, eoque major erit, quo major est velocitas, cum qua ipsum fertur in obstatulum. Et quoniam impetus, & motus unum idemque sunt, sequitur motus, sive quantitates motuum duorum corporum A, & B, quorum massæ sunt æquales, esse inter se, ut sunt velocitates eorumdem corporum. Quod si, manente æqualitate velocitatum, ponantur massæ corporum A, & B inæquales, neque etiam impetus facti ab ipsis contra obstatulum erunt æquales, sed major erit impetus corporis, quod majorem continet materię quantitatem, eoque major erit, quo major est quantitas materię: unde tum impetus, quum motus corporum æque velocium erunt in ratione massarum.

207. Habemus ergo Theorema duo, quorum primum pertinet ad momenta corporum, quorum massæ sunt æquales, velocitates sunt inæquales, alterum vicissim pertinet ad momenta corporum, quorum velocitates sunt æquales, massæ vero sunt inæquales. Primum Theorema est. Momenta, sive motus quantitates corporum, quorum massæ sunt æquales, velocitates vero sunt inæquales sequuntur rationem velocitatum; usque adeo, ut si velocitas unius corporis sit ad velocitatem alterius ut m ad 1, momentum illius sit ad momentum

tum istius etiam ut m ad 1. Secundum Theorema est: *Momenta, sive motuum quantitates corporum, quorum velocitates sunt aequales, massa vero utcumque inaequales sequuntur rationem massarum; usque adeo ut si massa unius corporis sit ad massam alterius corporis, quemadmodum se habet n ad 1, momentum illius sit ad momentum istius etiam ut n ad 1.* Ex quibus duobus Theorematibus consequitur modo tertium, quod ita se habet. *Momenta, sive quantitates motuum corporum, quorum tum velocitates, quam massa sunt inaequales rationem habent compositam ex rationibus velocitatum, & massarum; usque adeo ut si velocitas unius corporis sit ad velocitatem alterius ut m ad 1, massa vero sit ad massam ut n ad 1, momentum prioris corporis sit ad momentum posterioris ut mn ad 1.*

208. Ex hoc autem novissimo Theoremate facile erit mensuram tum velocitatis, quam quantitatis materiae pro unoquoque corporte deducere. Etenim quum momentum uniuscuiusque corporis moti sit conjunctum ut velocitas, & massa, sive quantitas materiae; erit primo velocitas ut *momentum directe*, & *quantitas materiae inverse*: sive diviso momento per quantitatem materiae velocitas prodibit. Et secundo erit quantitas materiae, ut *momentum directe*, & *velocitas inverse*; sive diviso momento per velocitatem prodibit quantitas materiae. Sed exinde sequitur etiam, quod si momenta, sive motuum quantitates duorum corporum fuerint aequales inter se, tunc *materiae quantitates sint in velocitatibus reciproca ratione*. Etenim, existentibus aequalibus momentis id, quod oritur multiplicando quantitatem materiae unius corporis per ejus velocitatem aequale erit ei, quod oritur multiplicando quantitatem materiae corporis alterius per ejusdem velocitatem; quapropter quantitas materiae prioris corporis erit ad quantitatem materiae corporis posterioris, ut se habet vicissim velocitas istius ad velocitatem illius.

209. Possunt ergo duo corpora A, & B aequalia habere momenta, et si tum quantitates materiae, quam *velocitates* ipsorum sint inaequales: nempe si, quantum

alterum alteri mole præstat , tanto vicissim velocitas velocitate sit minor . Finge ex. gr. massam corporis A duplam esse vel triplam massæ corporis B; sed finge vicissimi velocitatem corporis A subduplam esse , vel sub-triplam velocitatis corporis B: hoc casu momenta corporum A , & B erunt æqualia . Etsi enim momentum corporis A , ratione molis, duplum sit, vel triplum momenti corporis B, tamen quia etiam momentum corporis B, ratione velocitatis, duplum est, vel triplum momenti corporis A, erunt momenta ipsorum æqualia inter se. Et generaliter si massa corporis A fuerit ad massam corporis B ut n ad 1 ; velocitas autem corporis A fuerit ad velocitatem corporis B ut 1 ad n , erit momentum , sive quantitas motus corporis A æquale momento corporis B . Etenim quum momenta , sive motuum quantitates rationem habeant compositam ex rationibus massarum, & velocitatum , erunt prædictæ quantitates motuum in ratione composita ex rationibus n ad 1 & 1 ad n , sive etiam erunt inter se ut numerus n ad numerum eundem n : adeoque in ratione æqualitatis.

210. Quoniam autem mensuram momenti ingreditur velocitas , inde fit , ut in motu æquabili , in quo velocitas non mutatur , momentum semper maneat idem : in motu vero variabili , in quo velocitas sensim mutatur , momentum etiam continuam mutationem patiatur, ita scilicet , ut augeatur , vel minuatur in ratione , in qua augetur , vel minuitur ipsa velocitas . Ex quo intelligimus primo , quare lapis ex aliqua altitudine demissus eo majori vi subiectum pavimentum feriat , quo ex majori altitudine decidit ; nempe quia lapis eo magis acceleratur , quo majus debet spatium decidendo emetiri . Intelligimus secundo , quare lapis sursum projectus eo minori vi teclum feriat , quo major fuerit tecti altitudo ; nempe quia lapis contra vim gravitatis contendens , eo magis retardatur , quo majus debet spatium adiicendendo percurrere . Denique intelligimus , quare globus ferreus è tormento bellico explosus eo minori vi op̄i solitum obstaculum percutiat , quo obstaculum longius abfuerit : nempe quia motus globi eo magis retardatur

datur à resistentia aeris, quo majus spatum per ipsum aerem describit. Adparet autem ex dictis *vis* sive *impetum*, sive *motum*, sive *momentum* (hæc enim omnia unum idemque sunt) alicujus corporis tripliciter augeri posse. I *ex aucta velocitate*; cujus rei habemus exemplum in globis ferreis, quos tormenta bellica vi pulveris pyræ explodunt contra mœnia oppidorum obfessorum, qui globi magno impetu ipsa mœnia feriunt ob magnam velocitatem, cum qua fetuntur. II *ex aucta quantitate materiae*; cujus rei habemus exemplum in arietibus, atque aliis machinamentis bellicis, quæ apud veteres obtinebant; ea enim, quamquam tardissime incederent, tamen immensam molem habebant, adeoque ad quassanda mœnia magnum usum præstabant. III *ex aucta tum velocitate, quum materia quantitate*, quo quidem casu impetus evadit immensus, quum incrementum duplici ex causa adveniat momento, ex velocitate scilicet, & ex massa.

211. Venio nunc ad æstimationem virium, quæ motum in corpora inducunt. In ipso hujus capitinis veribulo dictum est, vires motrices esse inter se, ut sunt *motus geniti directe, & tempora, quibus geniti sunt inverse*: quod nunc explicandum est. Et ante omnia advertendum hic esse arbitror, tempora in æstimatione virium sumenda esse quamminima. Non enim summam virium, quæ dato tempore finito egerunt in corpus, mensura nos comprehendere volumus, sed tantum æstimare satagimus vim illam, quæ in brevissimo, minimoque tempore egit, motumque induxit in corpus. Et quoniam in tempore quamminimo vis, ut ut potentissima effingatur, velocitatem infinite parvam producit in corpore, erit motus genitus ab eadem vi etiam infinite parvus: unde quum vis sit ratio, quam habet motus genitus ad tempus, in quo genitus est, instituenda erit comparatio duarum quantitatum infinite parvarum, quarum altera est motus genitus, altera vero est tempus quamminimum; qua comparatione instituta quantitas vis obtinebitur.

212. Hæc est generalissima virium mensura, quam tamen

tamen ad speciales quosdam casus aptare non inutile fortasse erit. Et *primo* si tempora infinite parva ponantur æqualia, erunt vires motrices ut *soli motus geniti directe*; si vero motus geniti ponantur æquales, erunt vicissim vires motrices *reciproce ut tempora*, usque adeo ut si tempus unum duplum, vel triplum sit temporis alterius, vis è converso subdupla sit, vel subtripla alterius vis. *Secundo* quum vires sint ut motus geniti directe, & tempora inverse, sive etiam ut *massæ*, & *velocitates directe*, ac *tempora inverse*, siquidem in *massæ* ponantur æquales, erunt vires ut *velocitates directe*, & *tempora inverse*: adeoque si velocitates sint ut tempora inverse, erunt vires ut *quadrata velocitatum directe*. Denique si *massæ* ponantur inæquales, velocitates vero sint reciproce ut tempora, vires quæ generaliter sunt ut *massæ*, ac velocitates directe, & tempora inverse, erunt ut *massæ*, & *quadrata velocitatum*. Quod novissimum velim sedulo à lectoribus adnotetur: ex eo enim pendet enodatio quæstionis, quæ magnis motibus agitata est inter Viros celeberrimos: scilicet utrum vis æstimanda sit ex massa & velocitate simplici, an vero ex massa, & quadrato velocitatis: de qua quæstione breviter, atque dilucide dicendum nobis modo est.

213. Et quidem quum vis apud Philosophos Mechanicos sit *facultas*, sive *potentia*, quæ *motum in corpus inducit*, corpora autem, quæ moventur & ipsa etiam prædicta sint *facultate*, sive *potentia movendi alia corpora*, ad quæ offendunt, dicendum est in corporibus motis adesse vim aliquam, quam supra *impetum* etiam adpellavimus. De hac vi qualitum est, an ejus quantitas æstimanda sit ex massa & velocitate simplici, ut universa pene Mathematicorum cohors sentire videtur, an vero ex massa, & quadrato velocitatis, ut Leibnitius primus omnium constituit, & post eum complures alii arbitrati sunt. Mihi verilimilius videtur vim, sive impetum corporis moti æstimandum esse ex massa, & velocitate simplici, quam ex massa, & quadrato velocitatis. Intelligo enim impetum corporis augeri ex massa; intelligo etiam augeri ex velocitate simplici; at non video,

deo, unde nam desumi debeat velocitatis quadratum, quod ad dimetiendam vim adversarii adhibent.

214. Sed operæ pretium est expendere præcipuarum rationum momenta, quæ Leibnitium ejusque sectatores impulerunt ad constituendum, vires corporum vivas (nam de viribus mortuis convenient, eas æstimandas esse ex massa, & velocitate simplici) esse in ratione composita ex ratione simplici massarum, & duplicata velocitatum. Potissimum Leibnitii argumentum erat istud, quod corpora gravia decidendo ex quiete adquirerent vim, qua vis sursum projecta, (remota aeris relistentia, atque remoto omni alio impedimento) ascendere possent ad eandem præcise altitudinem. Argumentum vero, quo usi sunt ejus sectatores, petebatur ex sequenti experimento. Nempe quod idem grave corpus decident ex quiete, atque offendens ad obstaculum horizontale argilla vel molli creta conformatum, fossas ibi excavaret, quæ adcuratissime essent in ratione altitudinum, unde grave corpus decidisset: usque adeo, ut si ipsum decidisset semel ex altitudine quatuor pedum, iterum ex altitudine pedum sexdecim, fossa posterior quadruplo major esset fossa priori. At quoniam ex his argumentis non statim liquet, quare vis ejusdem corporis nunc velocius, nunc segnius concitati æstimanda sit ex quadrato velocitatis, paucis id est explicandum. Sed prius scire oportet, velocitatem corporis gravis è quiete cadentis augeri in ratione temporis, & præterea augeri in subduplicata ratione spatii percursi; id quod à Galilæo nostrate primum inventum est; à nobis vero suo loco demonstrabitur. Itaque corpori gravi è quiete decidenti ea accedent velocitatis incrementa, ut in tempore duplo, duplam sibi comparet velocitatem, in triplo triplam, atque ita deinceps. Præterea quum velocitates, atque tempora sint in ratione subduplicata spatiorum descriptorum, inde fit ut spatium descriptum in tempore duplo sit quadruplum, in triplo sit nonuplum, post quorum spatiorum descriptionem velocitas etiam dupla, aut tripla sit.

215. Quibus ita præmissis, facile intelligetur, quomodo Leibnicius ex eo, quod corpora è quiete deciden-

tia

tia comparant sibi vires, quibus viribus ea sursum projecta ad eamdem præcise altitudinem possunt adscendere, deduxerit vires ipsas æstimandas esse ex massa, & quadrato velocitatis. Finge enim corpus aliquod descendere prius ex altitudine a , tum vero ex alia altitudine $n^2 a$, quæ ad priorem altitudinem sit ut n^2 ad 1. Velocitas adquisita à corpore in priori descensu erit ad velocitatem sibi comparatam in posteriori descensu ut 1 ad n : etenim velocitates adquisitæ sunt in subduplicata ratione altitudinum. Itaque si vires sint inter se ut 1 ad n^2 , procul dubio ex æstimandæ forent ex quadrato velocitatum. Et quoniam ipsis viribus corpus sursum projectum ad easdem præcise altitudines adscendit, vires erunt, ut ipsa altitudines, sive spatia percursa: etenim axioma est *metaphysicum* ut *causæ effectibus sint adæquate proportionales*; hic autem virium effectus sunt spatia percursa: unde quum spatia sint inter se ut 1 ad n^2 , erunt etiam vires ut 1 ad n^2 , adeoque in duplicata ratione velocitatum. Non dissimiliter, quando corpus decidit è quiete nunc ex una, nunc vero ex alia altitudine, effectus virium sunt fossæ excavatae in obstaculo argilla, vel molli creta constrato; itaque vires erunt in ratione fossarum. Atqui constat experientia fossas esse adcuratissime in ratione altitudinum, unde corpus decidit: altitudines autem sunt, ut quadrata velocitatum adquisitarum: quare vires ejusdem corporis nunc ex una, nunc ex alia altitudine prolapsi æstimandæ sunt ex duplicata ratione velocitatum.

216. Quainquam speciosa ista argumenta videantur, facile tamen erit eorum vim convellere. Respondeatur enim *causas effectibus esse adæquate proportionales* tunc tantum, quando tempora, quibus temporibus causæ egerint, sunt æqualia: nam si tempora inæqualia sint, eo casu *effectus rationem habebunt compositam ex causis, & temporibus*, adeoque causæ erunt ut effectus directe, & tempora inverse. Itaque in argumento Leibniziano, in quo tempora, quibus temporibus corpus redit ad easdem altitudines sunt inæqualia, vires erunt ut altitudines directe, sive ut quadrata velocitatum directe,
& temp,

& tempora inverse. Atqui tempora sunt ut ipsæ velocitates: ergo vires erunt ut quadrata velocitatum directe & ipsæ velocitates inverse. Quapropter, quia componendo quadrata velocitatum directe, cum iplis velocitatibus inverse prodit ratio velocitatum simplex, manifestum est vires adquisitas à corpore decidendo ex altitudinibus diversis esse in ratione simplici velocitatum. Atque ita etiam, quia tempora, quibus temporibus fossæ excavantur à corpore delapoſo nunc ex una, nunc ex alia altitudine sunt inæqualia; erunt vires ut fossæ directe, si ve etiam ut quadrata velocitatum directe, & tempora inverse: atqui tempora hic sunt in ratione velocitatum (nam quo major est velocitas, eo majus tempus postulatur, ad hoc ut ea extingatur): ergo vires erunt ut quadrata velocitatum directe, & ut ipsæ velocitates inverse; adeoque vires erunt in ratione simplici velocitatum.

217. Pari felicitate solvuntur reliqua argumenta, quæ hic adferri solent, quæ argumenta ego non profero: Elementa enim tantum *Philosophia Naturalis* conscribere proposui; adeoque brevitati consulendum est. Quoniam autem vis corporis vel *viva* est, vel *morta*, quælibet est quam rationem habeat vis mortua ad vim vivam? Ad hanc quætionem probatissimi quique autores respondent, vim vivam infinitam esse præ vi mortua, & lectu digna sunt, quæ hac de re habent *Galilæus*, *Torricellius* & *Borellus*, qui omnes dedita opera probare conati sunt quum experimentis, cum rationibus *vim percussionis* infinitam esse, si cum *simpli* pondere, vel *gravitate corporum* eam conferre velimus: id quod constabit etiam hoc unico arguento. Scilicet quum vis corporis non modo minuatur ex diminuta velocitate, verum etiam minuatur in ratione ipsius velocitatis: si quidem supponamus velocitatem diminutam esse in infinitum, hoc est si supponamus corpus quiete, etiam vis diminuta erit in infinitum: quæ quum in vim mortuam tunc abeat, adparet vim mortuam infinites minorem esse vi viva. De hac autem re quum nulla sit controversia inter viros doctos, nihil addo. Id tantum admonebo *Philosophos* adcuratius loquutus.

126 PHILOSOPHIAE NATURALIS
ros fuisse si vim percussionis , & gravitationem corporum quantitates heterogeneas , adeoque comparationis incapaces pronunciafissent ; quemadmodum Cartesius de hisce virium speciebus loquutus est, qui ait, quod vis ea, quæ ponderi ad aliquam altitudinem attollendo sufficit duas semper dimensiones habeat : illa vero , quæ substantiando ponderi in quolibet hujus altitudinis puncto sufficit numquam plures dimensiones habent , quam unam ; ita ut hæ vires perinde differant inter se , ac superficies à linea , proptereaque rationis incapaces sint . Hoc idem de vi percussionis , & de gravitate corporum dicendum est ; illa enim est vis viva , hæc vero est vis mortua ; illa est quantitas, ut ita dicam, unius dimensionis , hæc vero est quantitas duarum dimensionum.

C A P U T Q U A R T U M .

De Naturæ Legibus Newtonianis ; ubi de vi centrifuga , deque virium , motuumque quum compositione , tum resolutione .

218. **N**aturæ legem vocant Philosophi , regulam universalissimam , quæ in omnibus rerum naturalium vicissitudinibus , atque commutationibus locum babet . Et quoniam omnis naturæ vicissitudo proficiuntur à motu , inde fit ut naturæ legum exercitium præcipue in motionibus corporum se manifestet . De his naturæ legibus quum multa Philosophi disputationes , tandem Newtonus omnia , quæ antea de isto argumento dicta fuerant, ad tria præcipua capita revocavit ; quæ quidem *Leges Naturæ Newtonianæ* hodie passim à Philosophis vocantur.

219. *Prima lex est . Corpus omne perseverat in statu suo quiescendi , vel movendi uniformiter in directum , nisi quatenus à viribus impressis cogitur statum illum mutare . De hac lege quamquam plura superius variis in locis*

locis attigerimus, multa tamen adhuc supersunt dicenda. Primo autem memoria repetendum est, materiae à natura inesse vim quamdam, quam *inertiam* vocavimus, ob quam vim fit ut singula corpora conentur conservare sibi eum statum, quo in statu aeterno sunt constituta. Id quod variis exemplis suo loco illustrare curavimus: nunc ea adducenda sunt, quae proprie spectant ad prælens argumentum. Corpus quiescens numquam desinet quiescere ex se ipso, sed ad hoc ut constituatur in motu, necesse est externam vim intervenire. Contra corpus, quod movetur numquam desinet moveri, si omnium circumstantium corporum resistentiam amotam supponamus. Neque hic audiendi sunt Peripatetici, qui docent *corpora mota suapte natura quietem adfectare*, sive etiam *ex motu ad quietem tendere*, ea præcipue individuali ratione, quod videant lapidum projectorum motum sensim languescere, ac tandem omnino deperire. Si enim lapides projecti aliquando desistunt à motu, id quidem duplice causæ imputandum est. I, quia à gravitate ipsa deorsum propulsi tandem in Terram impingunt. II, quia aer eorum motui obsistit: nam si in vacuo lapis projectus esset, & præterea si is omni gravitate destitueretur, procul dubio ejus motus nunquam languesceret, sed foret in æternum duratus.

220. Seposita autem tum gravitatis, quum resistentiae consideratione projecta non modo moveri debent in æternum, sed recta, & æquabiliter moveantur oportet. Initio enim procul dubio moventur per lineam rectam: quod si initio cursus rectilineus est, ob vim inertiae, quæ facit, ut corpora conservent sibi semper eum statum, in quo constituta sunt, projecta perpetuo persisterent in eo cursu, neque unquam de semita rectilinea exorbitabunt. Quod autem æquabiliter moveri debeant, id fit ex eadem vi inertiae: nam fit motus acceleretur, vel retardetur, opus est novam vim advenire, quæ motui illi vel proposit, vel officiat: quam tamen nos remotam supponimus. Quo circa quærentibus quietem ne magis corpora naturaliter adpetant, an motum, respondebimus ad utrumque esse proorsus indifferentia; id tan-

tantum ea contendere, ut si semel quiescant, in æternum quiescant: sin vero semel posita sunt in motu, ut moveantur perpetuo. Potius dicendum est corpora, quæ moventur naturaliter affectare, ut moveantur per lineam rectam, & æquabiliter; *motus enim curvilineus, & inæquabilis haud est naturalis, sed violentus.*

221. Et quidem motum inæquabilem esse violentum adeo manifestum est, ut probatione non egeat: si enim motus languescit, id sit ab occurso corporum obſistentium; sin vero augetur, id oritur ab impulsu aliquo novo, qui aliquid motui pristino adjungit. Quod vero etiam motus curvilineus sit violentus, id utique intelligemus, si ad linearum curvarum constitutionem sedulo animum referamus. Consideremus itaque circuli circumferentiam (nam quod de ea dicimus, idem nullo negotio ad reliquas omnes curvas aptari potest), atque in ea intelligamus primo descriptum triangulum regulare, tum quadratum, postea pentagonum, deinde exagonum, tum vero decagonum, denique chiliogonum, omnia tamen regularia. Manifestum est omnium jam descriptarum figurarum triangulum maxime deflectere à circuli ambitu; nam aliquanto plus ad eum accedit quadratum, aliquanto magis pentagonum, adhuc aliquanto magis exagonum, adhuc multo magis decagonum, atque multo quidem magis chiliogonum. Quod si figuram regularem in circulo inscriptam intelligamus ex infinitis lateribus constantem, quorum tamen singula sint quamminima, jam declinatio ejus à circumferentia circuli erit nulla; adeoque circuli, aliarumque curvarum perimetri haberi possunt tamquam figuræ rectilineæ laterum infinitorum, quorum laterum singula sint infinite parva.

222. Finge nunc corpus in circuli circumferentia moveri: & jam ipsum revera movebitur in figura rectilinea infinitorum laterum, quorum singula sunt infinite parva. Itaque si prima temporis particula corpus describit unum ex ipsis lateribus, deinceps, omni vi externa seposita, moveri æquabiliter debebit, ob vim inertiarum, in eodem illo latere ulterius producendo, quod latus

latus circulum contingit. Quocirca si cernimus corpus aliquod revolvi in circuli circumferentia , dicendum est adesse vim aliquam perpetuo agentem in corpus , quæ ipsum retrahit de cursu rectilineo , atque gradatim in reliqua polygoni latera flebit. Intelligere id licet exemplo lapidis funda circumacti , qui quidem idcirco describit circuli circumferentiam , quia à funda cohibetur , ac de cursu rectilineo perpetuo retrahitur : nam , funda remissa , lapis nequaquam pergit moveri in circumferentia circuli , sed recta abit versus cœlum secundum lineam , quæ tangit circumferentiam illam in loco , in quo lapis è funda excusus est . Idem erit si corpus moveatur in alia quavis linea curva (qui motus unde originem trahat , id quidem suo loco discutietur): etenim cessante vi illa externa , unde motus curvilineus proficisciatur , ipsum movebitur secundum lineam rectam , quæ contingit orbem curvilineum in loco , in quo vis externa agendi finem fecit: id quod supra etiam adnotatum à nobis est.

223. Unde modo *conatus* corporum *centrifugi* , sive *vis recedendi à centro* causa intelligitur. In corporibus , quæ moventur in lineis curvis adesse vim recedendi à centro motus experientia apertissime demonstrat. Nam si super mola pistriensis circulariter mota consti- tuantur corpuscula aliqua , ea postquam in gyrum agi cœperunt , desilient , atque à centro molæ per lineas tan- gentes recedent. Idem accidet si super eadem mola aqua guttatinæ decidat; observare enim licebit aquæ particu- las versus eam partem , versus quam rota movetur per lineas rectas tangentes diffundi , atque à centro motus recedere . Oritur vis ista centrifuga , uti demonstratum est , partim ex eo quod viæ curvilinearæ componuntur ex infinitis lineolis rectis longitudinis quamminimæ; par- tim etiam , quia corpora , ob vim inertiaræ , pergunt semper ea via moveri , qua via cœperunt incedere . Ex iis autem , quæ dicta sunt , adparet conatum istum centri- fugum exerceri secundum lineas rectas , contingentes orbes curvilineos , in quibus orbibus corpora moventur: unde quantitas ipsius pendet ex deflexu tangentis ab

orbe . Itaque ubi tangens magis recedit ab orbe , ibi, si cætera paria sunt , major erit conatus centrifugus . Et quoniam tangens minus defleget à circumferentia circuli majoris , magis vero à circumferentia circuli minoris , inde fit ut , cæteris paribus , major sit vis recessendi à centro in circulo minori , quam in circulo majori . Quod si corpus moveatur in circulo infinito , sive etiam in linea recta , in quam utique migrat circulus infinitus , tunc quia deflexus tangentis ab ejus circumferentia est nullus , nullus pariter erit conatus centrifugus , sive vis recessendi à centro.

224. Secunda lex est. *Mutatio motus est semper proportionalis vi motrici impressæ , & fit semper secundum rem lineam secundum quam vis illa imprimitur.* In hac secunda lege de vi motrice disputatur , deque effectibus ipsius . Primo autem , quoniam à vi motrice generatur motus in corporibus , illud certum est , motum in corpore genitum proportionalem esse ipsi vi motrici , usque adeo , ut si vis aliqua certum motum generet in corpore , dupla vis duplum , tripla vis triplo generabit : & generaliter vis una , quæ sit ad aliam vim ut numerus m ad 1 generabit motum , quæ erit ad motum genitum ab alia vi ut idem numerus m ad 1 . Sed ut id verum sit , postulatur æqualitas temporum : nam si tempora sint inæqualia , tunc motus geniti erunt ut vires generantes directe . & tempora etiam directe , adeoque vires solæ erunt ut motus geniti directe , & tempora inverse .

225. Advertendum autem est , hic per motum intelligi velocitatem duæ in massam , quemadmodum *Superiori Capite* demonstratum est . Itaque eadem vis in corpore majori minorem velocitatem producet , in minori vero corpore majorem velocitatem excitabit , eritque velocitatum ratio eadem cum ratione inversa massarum . Etenim quum eadem vis producere debeat eamdem motus quantitatem in duobus corporibus , necesse prefecto erit ut velocitas unius sit ad velocitatem alterius , ut hujus quantitas materiæ ad illius materiæ quantitatem . Quinquam ergo verissime dictum sit à *Galilæo* corpus quantumvis magnum à parva quavis vi in

in vacuo moveri posse, nihilominus velocitas in corpore prægnandi excitata erit adeo tenuis, ut vix sensibilis sit, neque ejus motus adpareat, nisi longo post tempore. Cæterum quemadmodum vis motrix generat motum in corpore, ita directio vis motricis directionem motus constituit; nam directio motus eadem prorsus est cum directione vis motricis. Quapropter si corpus urgeatur à vi motrice sursum deorsum, ipsum movebitur sursum deorsum; si urgeatur ad latus, movebitur ad latus. Denique secundum quam partem ipsum impulsum sit, secundum eam partem movebitur.

226. Hæc genus supposui corpus, in quod egit vis motrix, fuisse in quiete: videamus nunc quid eventum sit, si corpus, quod actu movetur, medio in cursu à nova vi urgeatur. Hic tres casus sedulo sunt distinguendi. *Primus* casus est, si directio vis motricis conspirat cum directione motus corporis. *Secundus* casus est, si directio vis motricis adversatur directioni motus corporis. *Tertius* denique casus est, si directio vis motricis neque conspirat, neque adversatur directioni motus corporis, sed datum cum illa angulum constituit. In priori casu nulla directioni motus accedit mutatio; pergit enim corpus ad curatissime moveri secundum illam plagam, versus quam antea tendebat, sic tamen, ut motus augeatur; eritque incrementum motus ad motum priorem ut nova vis ad vim illam unde prior motus genitus fuerat. In casu secundo motus ita mutatur, ut aliquando mutetur etiam directio. Si enim vis nova minor sit vi illa, unde prior motus profectus fuerat, motus quidem minuetur, sed nulla directioni mutatio accidet, eritque motus reliquus ad motum priorem, ut differentia vi rum ad vim priorem. Quod si vis nova priorem vim adæquet, eo casu corpus quiesceret. Tandem si nova vis superet vim priorem, eo casu non modo mutabitur motus, verum mutabitur etiam ejus directio; producetur enim motus versus plagam contrariam, eritque novus motus procreatus ad motum priorem etiam ut vi gium differentia ad vim priorem.

227. Supereft tertius casus, in quo positum est di-

rektionem vis motricis neque conspirare, neque adversari directioni motus corporis, sed datum cum ea angulum constituere; hoc casu corporis quidem motus ut plurimum, ejus autem directio semper mutabitur. Sit enim corpus A, quod dum movetur in recta AB (Fig. 17.) æquabiliter, excipiat à vi aliqua motrice impulsum secundum rectam AC, quæ contineat cum priori AB angulum CAB; sitque vis ista ad vim, unde prior motus profectus fuerat, ut AC ad AB. Compleatur parallelogrammum ACBD, jungaturque diagonalis AD: dico corpus A, postquam exceptit impulsum in loco A, secundum rectam AC, motum tri secundum diagonalē AD; foreque motum novum secundum directionem AD ad motum priorem secundum directionem AB ut ipsa diagonalis AD ad latus AB: id quod per ea, quæ supra demonstrata sunt, sic ostenditur.

228. Quoniam vires, quibus corpus urgetur, sunt ut latera parallelogrammi AB, AC; suntque motus eodem tempore geniti ut vires generantes; erunt motus geniti in corpore A à duabus viribus, ut se habent latera AB, AC, quæ etiam directiones eorumdem motuum designabunt. Atqui motus geniti in eodem corpore sequuntur rationem velocitatum; massa enim est communis: itaque velocitas prioris motus erit ad velocitatem posterioris motus etiam ut AB ad AC. Et quoniam in motu æquabili, quum tempora sunt æqualia, spatia percurſa sunt ut velocitates; erunt spatia percurſa à mobile A, causa ambarum virium, ut latera AB, AC: adeoque quo tempore mobile A actum vi priore pertransit æquabiliter spatiū AB, eodem tempore idem mobile actum vi posteriore pertransibit spatiū AC etiam æquabiliter. Si ergo ad vim priorem respiciamus, mobile A in fine certi temporis reperiatur in B, hoc est in aliquo lateris BD loco; quod si vero attendamus ad vim posteriorem, idem mobile in fine ejusdem temporis reperiatur in C, hoc est in aliquo loco lateris CD. Atqui impossibile est, ut reperiatur simul in duobus locis diversis; itaque opus est, ut reperiatur in loco, qui communis sit utriusque lateri, qui locus non aliud esse potest,

quam

quam punctum D; ea enim ratione corpus & utriusque vi obtemperabit, & ambobus motibus satisfaciet.

229. Itaque si corpus A urgeatur duabus viribus, quarum directiones, & quantitates designantur per latera AB, AC, non dubium est, quin completo parallelogrammo ABCD mobile in fine ejusdem temporis, quo vel aëtum priore vi reperitur in B, vel aëtum vi posteriore reperitur in C, perventurum sit ad angulum oppositum D. Sed quoniam ab A ad D infinitæ sunt viæ, una quidem recta, quæ est diameter parallelogrammi, cæteræ vero curvæ, videndum est per quam viam mobile ab A progrediatur ad D. Sumatur in latere AB quodvis punctum F, deinde fiat ut AB ad AF ita AC ad quartum proportionalem AG, & compleatur parallelogrammum AFEG. Et quoniam corpus A movetur per AB æquabiliter, erit spatium AB ad spatium AF ut tempus per AB ad tempus per AF; in motu enim æquabili spatia percursa ab eodem mobili sequuntur rationem temporum: & similiter spatium AC ad spatium AG erit, ut tempus per AC ad tempus per AG. Atqui ex constructione est AB ad AF ut AC ad AG, ergo erit etiam tempus per AB ad tempus per AF, ita tempus per AC ad tempus per AG; sunt autem tempora per AB & AC æqualia inter se, ergo tempora etiam per AF, & AG æqualia erunt; ex quo sequitur mobile A in fine temporis, quo vel aëtum priore vi reperitur in F, vel aëtum vi posteriore reperitur in G, perventurum esse ad angulum oppositum E parallelogrammi AGFE. Atqui angulus E est in diagonali AD; nam parallelogramma similia AGEF, ACBD quum habeant communem angulum in A, constituta sunt circa eamdem diametrum AED; itaque corpus versabitur in fine supradicti temporis in aliquo loco diagonalis AD; quumque eadem sic demonstratio de quovis alio tempore, sequitur viam descriptam à corpore A, occasione duarum virium, quarum directiones & quantitates designantur per latera AB, AC, fore ipsam diagonalem AD.

230. Jam quum tempora per spatia AB, AC, AD ostensa sint æqualia, velocitates mobilis A quum vel

urgetur priore vi tantum, vel quum urgetur tantum vi posteriore, vel denique quum urgetur ab utraq; vi simul erunt ut ipsa spatia percursa AB, AC, AD: nam in motu corporum æquabili, si tempora sumuntur æqualia, spatia descripta sunt ut velocitates. Quapropter motus ipsi proportionales erunt spatialis eodem tempore descriptis; nam massa est communis: adeoque vires ipsæ, quæ motibus sunt proportionales, erunt pariter ut spatia eodem tempore descripta. Ex quib; liquet diagonalem AD designare *primo* velocitatem compositam mobilis A ortam ex velocitatibus lateralibus AB, AC. *Secundo* designare motum compositum mobilis A ortum ex motibus lateralibus AB, AC. *Tertio* designare vim compositam ortam ex duabus viribus AB, AC, quæ egerunt in mobile A. Et denique designare directionem motus corporis A ortam ex directionibus AB, AC. Ex quo vicissim fit, si corpus A moveatur æquabiliter ab A ad D, atque circa rectam AD tamquam diagonalem descriptum sit quodvis parallelogramnum ACBD, *primo* velocitatem AD resolvi posse in velocitates laterales AB, AC. *Secundo* motum AD resolvi posse in binos motus AB, AC. *Tertio* vim AD resolvi posse in binas vires AB, AC. Denique directionem AD resolvi posse in binas directiones AB, AC. Quæ omnia vera pariter erunt, si super recta AD describatur quodvis triangulum ABD: etenim quum latera opposita AC, BD æqua-
lia sint inter se, velocitas, motus, vis, & directio sim-
plex, quæ omnia designantur per rectam AD, æquivale-
bunt velocitatibus, motibus, viribus, & directionibus,
quæ designantur per latera trianguli AB, BD.

231. Unde modo adparet veritas ejus, quod supra adnotatum est, nempe motum corporis à vi neque conspirante, neque contraria vexatum ut plurimum mutari non semper, directionem vero semper mutari. Nam quum diagonalis AD semper deflestat à lateribus parallelogrammi AB, AC, liquet directionem necessario mutari: at vero quum contingere possit ut diagonalis AD sit æqualis lateri AB, siquidem id accidat, eveniet ut quantitas motus corporis A, quæ, ante quam vis se-
cunda

eunda adveniret, designabatur per rectam AB , maneat eadem , atque immutata post illius vis interventum . Neque vero difficile erit , datis directione & motu corporis A, invenire directionem , & quantitatem vis, quæ agere debet in idem corpus A , ad hoc ut motus datus integer maneat . Repræsentet enim AB (Fig.18.) quantitatem , & directionem motus corporis A : centro A radio AB describatur circuli circumferentia BCD: deinde ducatur utcumque chorda BC , compleaturque parallelogrammum AECB ; quibus constructis repræsentabit AE directionem & quantitatem vis requisitæ . Nam juncta diagonali AC, liquet corpus A actum motibus lateribus AB AE describere debere eodem tempore diagonalem AC , quæ quidem æqualis est lateri AB : adeoque motus compositus AC æqualis est motui dato AB,

222. Cæterum Physici ad ostendendum , quod corpus actum duabus viribus, quarum directiones & quantitates designantur per latera AB, AC (Fig.19.) parallelogrammi ABCD , describere debeat diagonalem AD , solent vulgo ad motus communis commentum confugere . Supponunt enim corpus A moveri super regula AB æquabiliter ea velocitate , qua potis sit describere ipsam AB in tempore quovis m : deinde supponunt ipsam regulam AB deferri æquabiliter motu sibi parallelō ab A ad C ea velocitate , qua potis sit describere spatiū AC in eodem tempore m , ostenduntque mobile A revera motum iri per diagonalem AED . Finge enim regulam AB in fine temporis alicujus devenisse in situ ab , mobile vero devenisse ad locum regulæ E . Et quoniam tum motus regulæ , quum motus corporis super regula est æquabilis , erit primo ut AC ad Aa , ita tempus per AC ad tempus per Aa ; & secundo ut ab ad aE , ita tempus per ab ad tempus per aE : atqui tempus per AC est ad tempus per Aa , ut tempus per ab ad tempus per aE: nam quum tempora per AC, ab, tum tempora per Aa , aE æqualia sunt ; itaque ob æqualitatem rationum erit AC ad Aa , ita ab ad aE ; sive etiam AC ad Aa ita CD ad aE: ex quo facile est colligere locum E corporis reperiiri in diagonali AD: quoniamque eadem de-

233. Quamquam autem motus, & vis composita designentur semper per diagonalem parallelogrammi, cuius latera designant motus, & vires componentes, tamen quantitas motus, & vis compositæ pendet non modo ex quantitate motuum, & virium componentium, verum etiam ex quantitate anguli, quem virium, motuumque directiones constituant inter se. Etenim iisdem manentibus lateribus AB, AC diagonalis AD eo major est, quo minor est angulus CAB, eo vero est minor, quo major est idem angulus CAB. Itaque quum angulus CAB est quamminimus, tum motus, & vis composita est omnium maxima; vires enim tunc conspirant, adeoque primus casus obtinet; quum vero angulus CAB est omnium maximus, sive etiam quando recta AC jacet in directione cum AB, tunc motus, & vis composita est omnium minima; vires enim tunc sibi mutuo adversantur, adeoque in secundum casum disceditur. Sed quoniam quando angulus CAB est alicujus magnitudinis, semper latera AB, AC excedunt diagonalem AD, sive etiam semper motus, & vires componentes superant motum, atque vim compositam, videndum hic est, quid de motu, & vi reliqua fiat, destruantur ne illa, an potius maneant adhuc in natura, ut quidam *Philosophi* arbitrantur. Mihi videntur ea penitus deperire; id quod unde accidat paucis ostendendum est.

234. Sed ante omnia velim, ut letores sedulo considerent, tertium istum casum, in quo ponitur corpus urgeti duabus viribus ad se se mutuo inclinatis, ita à duobus jam expositis esse diversum, ut tamen nonnihil conveniat cum illis. Etenim vires agentes in corpus A secundum directiones AB, AC ejusmodi sunt ut partim conspirent, partim vero sibi mutuo adversentur: itaque, qua parte adversantur sibi, ea pars peribit; nam vires motusque contrarii se mutuo elidunt: qua vero parte conspirant, ejus partis tantum ratio erit habenda. Jam demissis super diagonali AD (Fig. 20.) perpendicularibus BF, CE, quemadmodum vis AB dissolvitur in vires binas AF,

AF, FB, & vis AC dissolvitur in vires binas AE, EC; ita ambae vires componentes AB, AC dissolvuntur in vires quatuor AF, FB, AE, EC, quarum virium duas AF, AE conspirantes sunt, reliquæ duas FB, EC sibi mutuo adversantur: nam priores tendunt ad eamdem plagam, posteriores vero diriguntur ad plagas omnino contrarias. Itaque quum vires FB, EC non modo sint contrariae, verum etiam sint æquales, se mutuo extinguent, adeoque nulla earum ratio habenda erit: at vires duas conspirantes AE, AF quum adæquent vim AD; sunt enim AE, DF æquales inter se: sequitur vires præcipuas AB, AC compонere non posse vim majorem vi AD: id quod de motibus etiam, & velocitatibus compositis pari jure adfirmandum est.

235. Ab hac doctrina longe abeunt Cartesiani, qui Magistro suo adsentientes, volunt motum in natura vere, & realiter numquam perire, quamquam iis, qui sensibilium rerum specie, atque imagine ducuntur contrarium adpareat. Cartesius enim docuit, Deum initio rerum certam motus quantitatem corporibus Mundanis indidisse, eamque integrum conservari, ita tamen ut ab unis ad alia transeat absque ullo summæ detimento: in quo quidem quam turpiter lapsus sit, ex his, quæ diximus adparet, clariusque adhuc inferius constabit. Audiamus Newtonum ita hac de re præclare differenter. Nam ex variis binorum motuum compositionibus manifestum est non semper eamdem esse in Mundo quantitatem motus. Etenim si duo globi virgula tenui conjuncti motu uniformi circa commune suum gravitatis centrum revolvant, interea ac centrum illud motu uniformi fertur in linea recta ducta in plano motus ipsorum circularis; utique summa motuum binorum illorum globorum, quoties illi erunt in linea recta à communi suo gravitatis centro descripta major erit, quam summa motuum ipsorum, quam erunt illi in linea, quæ fit ad liniam illam rectam perpendicularis. Quo quidem exemplo adparet motum & nasci posse, & perire.

236. Tertia lex, ita se habet. Actioni semper contraria, & equalis est reactio: sex corporum duorum actiones

in se mutuo æquales sunt, & in partes contrarias diriguntur; Hoc est per actionem, & reactionem æquales motus mutationes in corporibus in se invicem agentibus producuntur, quæ mutationes versus contrarias partes impinguntur. Sunt nonnulli, qui falsitatem hujus legis inde ostendi posse arbitrantur, quod, ea recepta, nullus unquam fieret motus in natura. Moveatur enim corpus A versus corpus quiescens B: & jam si reactio corporis B in A tanta est, quanta est actio ipsius A in B, nullus sequiturus erit motus in B; atqui videmus ipsum moveri: ergo falsum est actioni reactionem æqualem esse & contrariam. Sed in hujusmodi ratiocinatione nihil est, quod improbari non debeat. Isthæc enim naturæ lex non vult resistentiam vi motrici æqualem esse, & contrariam, sed reactionem actioni: quæ duo immane quantum distant inter se; id quod, nominibus expositis, perspicuum fieri. Per vim, ut supra demonstratum est, intelligimus quid quid potentia habeat corpus agendi in aliud per actionem vero eam hujus potentia partem, qua parte corpus unum agit in aliud. Ex quo sequitur actionem ad summum posse vim adæquare, scilicet si corpus totam suam potentiam impendat ad agendum contra aliud corpus, numquam tamen posse vim superare; usque adeo ut possit in corpore adesse vis, quamquam nulla sit actio. Veluti quis in vacuo brachium susque dejectet, aderit quidem in brachio jaestate vis, sive potentia agendi, quamvis nulla actu detur actio: nulla enim supponuntur esse corpora, contra quæ brachium, impingendo, agere possit. Quod si fingamus hominem brachio suo aerem verberare, tunc brachium non modo habebit facultatem agendi, verum actu aget contra aerem, eaque pars vis, qua parte aer pulsatur a brachio, actio adpellatur. Similiter resistentia corporis est Omnes id facultatis, quod ipsum habet ad reagendum, frue ad frangendum impetum corporis alterius: reactio vero est ea pars hujusmodi facultatis, qua parte actu corpus unum frangit impetum corporis alterius: ex quo inferatur etiam reactionem ad summum resistentiam adæquare posse, scilicet si corpus resistens totam suam facultatem

tem impendat ad reagendum contra corpus impingens ;
numquam tamen ea posse esse maiorem ; quemadmodum
plus quam satis manifestum est.

237. Quibus ita demonstratis certissimum est , ubi nulla est resistentia , ibi nullam pariter esse actionem . Sed manifestum est etiam , comparata vi cum resistentia , tria contingere posse . *Primum* est , si vis resistentiam supereret . *Secundum* si vis resistentiam adæquet . *Tertium* si vis resistentia sit infirmior . *Primo* casu vis non-nihil motus generabit ; tunc autem motus generabit , quantum proportionaliter correspondet excelsui vis motricis supra resistentiam . *Secundo* casu nullus motus generabitur : vis enim , & resistentia , quum æquales supponantur , se mutuo tollent . Denique *tertio* casu , in quo supponitur resistentiam vi præpollere , eo magis nullus sequetur motus ex parte vis . *Quocirca* si lex naturæ statuisset omnem resistentiam vi motrici æqualem esse , & contrariam , tunc procul dubio licuisset inferre , nullum in natura motum procreari posse . Nunc vero quum dicat reactionem actioni æqualem esse , & contrariam , falsa erit hujusmodi collectio . Pone enim vim resistentiae præpollere : tunc aliqua pars vis impendetur ad tollendam resistentiam , eaque pars erit actio ; quæ quidem ipsam resistentiam reagentem adæquabit ; reliqua vero pars vis ad motum in resistente corpore procreandum tota inserviet .

238. Sed audiamus quæsto Jacobum Hermannum , qui primus videtur hujus legis genuinum , verumque sensum apertissime exposuisse . *Circa notissimam naturæ legem , qua cuilibet actioni æqualis , & contraria dicitur esse reactio egregii nonnulli Viri barere videntur , existimantes nunquam motum sequi debere actionem , si huic æqualis semper , & contraria sit reactio . Nam si , ut in exemplo à celeberrimo Newtono inter alia adducto equus lapidem funi adligatum trahens aqua vi retrahitur in lapidem , quomodo , inquit , progrexi equus , lapidemque movere posset , si vis agens ab æquali , & contraria resistentia absorbetur tota , atque retunditur ? Sed bac objectio ab aqvocatione circa nomine vis , &*

actionis nata esse videtur, qua tamen duo adcurate debent distingui. Vis corporum non est actio ipsa: nam actio est applicatio vis cuiusdam subiecto habili, seu cui applicari potest; illi vero soli corpori applicari censetur, quod resistit, quod renititur, quod reagit. In rebus materialibus nulla est actio proprie sic dicta, ubi nulla est reactio: equus enim qui corpus nihil resistens post se trahit nihil trahere, vel non trahere, id est nil aliud agere, quam simpliciter incedere, censetur. In omni ergo actione corporea est collisio inter vim agentem, & renixum corporis patientis: applicatio vis agentis in corpore actionem subscipiente, hoc est actio ipsa aequalis est, & contraria renixui patientis, qui est ejus reactio; quia hic renixus, vel haec vis inertæ corporis patientis debet tolli ad hoc, ut corpus moveri possit ab agente. Non tamen ideo sequitur vim totalem corporis agentis totam impendi superandæ reactio patientis, sed ejus partem tantum: & hac pars vis totalis corporis, qua tollenda resistentia corporis patientis insumitur, ea est vis, à qua actio proprie manat; residuum enim ejusdem vis totalis, quum nullam habeat resistentiam, vel renixum absorbendum, in actionem minime influit. Idcirco quum actio quæcumque aequalis, & contraria dicitur reactioni corporis patientis, hoc aliud non significat, quam istud: in omni actione corporea tantum virium corpori agenti decidere, quantum corpus actionem subscipiens lucratum est: id quod nos exemplis illustrare curabimus.

239. Et primo supponamus corpus A impellere corpus quiescens B cum quadam vi sive motu, quem dicamus a : & jam si corpus A agendo in corpus B communicet ei motum c , corpus B viciissim reagendo contra corpus A dabit ei versus partem contrariam tantumdem motus; adeoque post occursum motus superstes in corpore A erit $a - c$, motus vero adquisitus à corpore B erit c ; summa autem motuum utriusque corporis erit $a - c + c = a$, quantus scilicet erat motus corporis A ante occursum. Secundo supponamus corpus A moveri cum quadam vi contra corpus B, quod nunc non quietescat, sed moveatur tardius versus eamdem plagam, sic ut

ut possit tandem à corpore insequente A percuti: sitque a motus corporis insequentis, & b motus corporis fugientis. Hic quoque, si corpus A agendo contra corpus B communicet ei motum c , corpus B vicissim reagendo in corpus A dabit ipsi versus partem contrariam tantumdem motus; adeoque post occursum motus superestes in corpore A erit $a - c$, motus vero corporis B erit $b + c$; summa autem motuum utriusque corporis erit $a - c + b + c = a + b$, quantus scilicet erat motus eorumdem corporum ante occursum. Denique supponamus corpora A, & B sibi mutuo obviam ire viribus, sive motibus a , & b . Et jam si corpus A agendo communicet corpori B partem c sui motus, corpus B vicissim reagendo dabit corpori A versus partem contrariam tantumdem motus: adeoque motus superestes in corpore A erit $a - c$, motus vero superestes in corpore B erit $b - c$; differentia autem motuum utriusque corporis erit $a - c - b + c = a - b$, quanta scilicet erat differentia motuum eorumdem corporum ante occursum ex quibus colligitur I, quod *occursus nihil prorsus addat, nihilque detrahatur de summa motuum corporum duorum, sive ea corpora utraque moveantur versus eamdem plagam, sive alterum quidem moveatur, alterum quiescat*: id quod ex primo, & secundo exemplo constat. II, quod *occursus nihil prorsus addat, nihilque detrahatur de differentia motuum corporum duorum versus partes oppositas motorum*; id quod ex tertio exemplo apertissime consequitur.

CAPUT QUINTUM.

De Causis, & legibus motus reflexi, refractique. Obiter de percussionis quantitate.

240. **V**Idimus Capite superiori corpus omne, quod movetur æquabiliter, & in perpetuum tendere moveri secundum rectam illam lineam, secundum

dum quam vis motrix egit in ipsum, sed vidimus etiam id locum habere tunc, quum gravitatis vim à corpore amotam supponimus, & præterea abstrahimus ab omni extrinseca vi, quæ motui corporis obesse possit, vel prodeesse. Videndum nunc, quid corporibus in motu constitutis accidere debeat, si à quelcente corpore objecto medio in cursu impediatur. Et quoniam impedimentum proficisci potest vel à corpore duro, atque impermeabili, vel à corpore molli, & permeabili, utrumque, quantum nostri instituti ratio fert, contemplantes, expendemus quam ab utroque impedimenti genere mutationem motus debeat subire.

241. Atque ut ab impedimento, quod motibus adferunt corpora impermeabilia ordinamus, ponamus primo corpus A cum data quadam vi incurtere in aliquod hujus generis corpus B prægrande, itaque magnum, ut commoveri nequeat; quam quidem hypothetum nihil vetat quin admittamus in physicis. Quamquam enim verum sit omne corpus in vacuo à quacumque vi moveri posse, tamen quando corpus quiescens immensam habet molem, tunc quia motus distribui debet tantæ quantitati materiæ, ejus velocitas minima, atque insensibilis evadet, adeoque post percussioneum corpus, quod quiescebat, physice perseverabit in quiete. Jam quoniam impedimentum corpori moto A objectum est insuperabile, profecto ipsum corpus A impendet totam vim suam ad agendum contra corpus immobile; ideoque quum actioni æqualis sit semper, & contraria reætio, corpus immobile, reagendo, omnem motum corporis A retundet, ac destruet. Ex quo fit ut post percussionem utrumque corpus & id, cui impedimentum objectum est, & id, à quo impedimentum originem habuit, quiescere debere.

242. Sed quoniam experientia quotidiana edocemur corpus A refilire interdum, atque reflecti ab objecto impedimento: (nam globus eburneus illisus parieti, retro refertur) videndum est, quænam sit causa hujus reflexionis, eo magis, quod Viri clarissimi non satis ea videntur convenire, Cartesiani igitur sic se habere arbitram-

bitrancit. Docent, ut supra etiam demonstratum est, eamdem semper motus quantitatem in rerum universitate esse superstitem; itaque quum motus perire non possit, nihil ei adversari, atque oblistere ajunt, sed oppositionem omnem volunt esse in directionibus. Si ergo corpus unum offendens ad aliud quiescens reflectitur, ajunt motum in corpore reflexo integrum permanere, sed ab impedimento tantum fieri mutationem directionis. Et similiter si corpus motum offendens ad aliud pariter in motu constitutum reflectitur, contendunt summam motuum utriusque corporis integrum manere post occursum, at vero post percussionem fieri mutationem directionis quandoque in ambobus corporibus, quandoque vero in uno corpore tantum. Illud addunt reflexionem accidere in punto temporis: si enim continget in tempore, corpora, quae reflectuntur, tantisper quiescerent, adeoque per legem Naturæ primam in æternum quiescere deberent.

243. Sed facile est hanc *Cartesianorum* sententiam labefactare. Primo enim falsum est eamdem semper motus quantitatem in rerum universitate esse superstitem. Nam quum momentum, sive quantitas motus sit vis illa, cum qua mobile tendit secundum suam directionem, si corpora duo sibi mutuo directe occurrent, vires secundum plagas contrarias impressæ erunt contrariae, adeoque, si æquales sunt, se se mutuo tollent, si vero inæquales, motus, qui est minoris efficaciae peribit, atque tantumdem etiam peribit de motu majoris efficaciae ob æqualitatem actionis, reactionisque. Tum falsum etiam est reflexionem accidere propter oppositionem directionum; interdum enim fit reflexio, etiam si nulla sit directionum oppositio. Velut si corpus A impingat in corpus B longe majus, quod tardius movetur versus eamdem plagam versus quam tendit corpus A: hic enim corpus A interdum reflectitur, etiam si ambo tendant versus eamdem plagam, hoc est etiam si vis omnis in utroque corpore existens dirigatur ad partem unam; intelligi autem non potest vim tendentem ad partem upam generare posse motum versus partem oppositam.

positam ; nam per *legem Naturæ secundam* motus omnis fit secundum lineam , secundum quam imprimitur vis . *Ad hæc* si motus motui non esset contrarius, multo facilius corpus motum in partem unam flecteretur , objecta manu, in partem oppositam, quam fisteretur, contra quam experientia edocemur: nam in priori casu manus objecta nihil motus exciperet, sed tantum mutationem directionis causaret; at vero in casu posteriori motus omnis impenderetur contra manuum oppositam . *Denique* si nihil motui esset contrarium omnia corpora prævalido obstaculo illisa deberent reflecti , quod tamen experientiae adversatur : nam plumbum, lutum, cera, & alia corpora elasticitatis fere expertia, si cadunt in pavimentum , non reflectuntur : quum tamen pilæ conflatae ex lana, vel plumis , globuli eburnei, marmorei , vitri , & alia ejusmodi corpora magna elasticitatis vi donata demissa in idem pavimentum fortiter inde resilire animadvertantur .

244. Falsa ergo est sententia *Cartesianorum* , quæ ponit reflexionem fieri per meram mutationem determinationis: quod quum Viri nasutissimi subodorassent, subtilius rem scrutati , compererunt veram reflexionis causam esse elasticitatem corporum congradientium . Eac enim corpus elasticum offendere ad aliud corpus immobile: hujus objectu illius superficies comprimitur introrsum , eaque compressio durabit eo usque , donec penitus extinguitur vis , quæ idem corpus promovebat . Sed, extincta ea vi , incipiet compressum corpus restituiri, atque redire ad formam pristinam, ut supra demonstratum est ; id quod fieri non potest , nisi ipsum corpus percutiens retro feratur ; ex quo reflexio proficitur . Subsequi autem debet reflexio, sive elasticitas sit in corpore percutiente , sive sit in corpore percusso , sive in ambobus simul: in primo enim casu motus versus partem oppositam ortum dicit à restitutione corporis percutientis ; in casu secundo nascitur à restitutione corporis percussi : in tertio denique ab utriusque restitutione originem trahit .

245. Quoniam autem in quibusdam corporibus elasticis-

Aicitas est perfecta, in aliis est minus perfecta, alia ratione reflectuntur corpora, quae gaudent elasticitate perfecta, alia vero ea, quae gaudent imperfecta elasticitate. Evidem si utrumque corpus, percutiens nempe, & percussum, vel alterum saltem sit perfecte elasticum, tunc corpus percutiens, qua vi objectum obstatulum ferit, eadem resiliet; adeoque revertetur retro cum integra sua velocitate: quum vis in dato corpore sit ut velocitas. Etenim compressio facta vel in utroque corpore, si ambo fuerint elastica, vel in altero ex ipsis proportionalis est vi corporis percutientis, sive etiam ejus velocitati. Atqui in corporibus perfecta elasticitate donatis vis restituens adaequat vim comprimentem; itaque vis restituens proportionalis pariter erit ipsimet velocitati, adeoque aequalem velocitatem versus partem contrariam procreabit. Quod si vero neutrum sit perfecte elasticum, tunc corpus percutiens minori velocitate retro feretur; decrementumque velocitatis extimandum erit ab imperfectione vis, cum qua restituitur. Nempe si vis, a qua corpus comprimitur, sit ad vim cum qua restituitur, ut m ad 1, erit velocitas reflexionis ad velocitatem percusionis ut 1 ad m ; usque adeo ut si m sit numerus infinitus, hoc est si vis, quae est in corpore restituendi se sit nulla, velocitas reflexionis erit pariter nulla, adeoque corpus post impactum quiescat. Sed advertendum sedulo hic est, velocitatem reflexionis non augeri ab elasticitate utriusque corporis, percutientis nempe, & percussi, ut temere quis credere possit: nam compressio facta in utroque corpore, quando ambo elastica sunt, tanta est, quanta est compressio facta in eo, quod majori elasticitate pollet, si ipsum solum foret elasticum: itaque utroque casu idem effectus subsequatur necesse est.

246. Quibus ita explicatis, expendenda motio est semita reflexionis, ejusque leges considerandæ sunt. Repræsentet (Fig. 21.) AB obicem aliquem durum, & prægrandem, qui neque penetrari, neque de loco suo deturbari poscit, sive potius repræsentet AB superficiem obicis lævem, omnique prorsus scabrie destitutam, contra quam impellatur primo corpus X (quod sphæricum

146 PHILOSOPHIAE NATURALIS

cum esse suppono) secundum directionem perpendicularē XI. Manifestum est, si tam corpus percutiens, quam percussum nihil elasticitatis habeant, post impactum utrumque mansurum immobile. Non enim moveri potest obex AB, quia ejus resistentia posita est insuperabilis: non potest corpus percutiens X longius progredi à loco I, quia obex est impenetrabilis; denique nequit corpus X retro referri, quia quā neutrū corpus elasticum sit, nulla fieri poterit reflexio, quam ab elasticitate oriri dictum est. Itaque post impactum manebit corpus X in loco I, pone obicem AB. At si supponamus aliquid elasticitatis inesse, vel in corpore pertinente, vel in percusso, vel in utroque simul, eo casu corpus percutiens reflectetur vel cum tota sua velocitate, si alterum ex duobus corporibus sit perfecte elasticum, vel cum tanta parte suae velocitatis, quae sit ad velocitatem percussione, ut est vis restitutiva corporis elasticioris ad vim comprimentem. Reflectetur autem corpus secundum eamdem rectam XI, secundum quam incidit in planum AB: nam vis elastica, unde reflexio proficiuntur, versus illam partem dirigitur.

247. Sic proposito se res habet in percussione directa. Impellatur nunc globus M contra planum AB secundum directionem obliquam MI. Ex punto I educatur ad planum AB perpendicularis IX, ad quam ex centro corporis M demittatur perpendicularis MX. Et jam motus obliquus MI corporis M resolvi potest in duos motus MX, XI, quorum motuum alter est parallelus planō AB, alter vero est perpendicularis ad idem planum: itaque corpus M percutiet planum AB non cum toto motu MI, sed tantum cum parte XI; nam reliqua pars MX quā parallela sit planō AB, in ipsum agere nequit. Quocirca si neutrū corpus elasticum sit, in percussione consumetur tantum vis, sive motus, sive velocitas IX, at vero integra manebit vis reliqua MX, cui planum non oblistit; adeoque post impactum perget corpus moveri super plano AB cum vi, sive velocitate MX, quae erit ad velocitatem incidentiæ ut est MX ad MI, sive etiam ut est sinus anguli MX ad radium.

Dire-

Directio autem motus habebitur si per rectas MI, IX agatur planum; ejus enim cum plano AB intersectio communis IB erit via, qua corpus M progredietur post impactum. Et quidem si vel in superficie obicis, vel in globo adsit nonnihil scabriei, globus incipiet circumagi; sin vero superficies sit levissima, globus vero egregie rotundus, is gliscendo perget post impactum secundum obicis superficiem moveri.

248. Obiter autem adnotetur percussione perpendiculari, ceteris paribus, maiorem esse percussione obliqua. Nempe si corpus M cum data velocitate XII incurrat in obicem perpendiculariter; deinde vero cum eadem velocitate incurrat in eundem obicem oblique secundum directionem MI, ictus posterior minor erit priori. Isdem enim constructis, manifestum est item perpendiculari fieri a vi orta ex integra velocitate MI ducta in massam corporis M; item vero obliquum fieri a vi orta ex velocitate XI ducta in massam eiusdem corporis M: itaque ictus prior erit ad posteriorem ut se habet M. MI ad M. XI, sive etiam ut MI ad XI. Atqui MI est ad XI ut radius ad sinum anguli MIX: quare percussio perpendicularis, ceteris paribus, erit ad obliquam, ut se habet radius ad sinum anguli MIX, quem directio ictus continet cum perpendiculari IX. Itaque ictus eo minor est, quo percussio est obliquior: & quemadmodum maximus ictus est perpendicularis, ita minimus ictus est, quando corpus incidit in obicem obliquissime, sive quando corpus ipsam obicis superficiem levissime stringit.

249. Hæc habent locum, quum neque corpus percutiens, neque percussum elastica sunt. Ponamus modo vel alterum, vel utrumque esse perfecte elasticum. Hoc casu duorum motuum MX, XI, in quos resolvitur motus transversus corporis M, primus MX manet integer post impactum, quia ei planum AB nihil adfert impedimenti, alter vero IX, cum quo sit percussio, quamquam consumatur adversus obstaculum, tamen post impactum de integro excitatur in corpore M ob perfectam vim elasticitatis: nisi quod ejus directio est versus partem

Oppositam; itaque ad habendam viam reflexionis componendi sunt motus isti duo, quibus motibus post impactum agitur globus M. Producatur MX usque ad N ita ut sit NX aequalis MX, & jungatur IN. Quia itaque post impactum globus M urgetur motibus duobus, quorum directiones, & quantitates sunt IX, & XN, ex quibus exutgit motus transversus IN, consequitur globum post impactum motum iri secundum rectam IN. Unde quia ob aequalitatem triangulorum MXI, NXI sunt aequales tum bases MI, NI, quum anguli XIM, XIN, lequitur velocitatem corporis post reflexionem aequalem esse velocitati ipsius ante percussione, & præterea corpus post reflexionem tantum aberrare à perpendiculari IX, quantum ab eadem perpendiculari deflebat, quum incidet in planum AB. Denique ex eo quod rectæ MX, NX jaceant in directum, nullo negotio colligetur tres rectas lineas MI, NI, XI esse in uno, eodeinque plano.

250. Quod si vero neutrum corpus sit perfecte elasticum, tunc via reflexionis determinari poterit, modo data sit ratio inter vim comprimentem, & vim restituendi se, sive etiam inter velocitatem impactus & velocitatem reflexionis. In eodem schemate, in quo demonstratum est MI repræsentare motum, sive velocitatem corporis transversam, MX velocitatem parallelam plano, & IX velocitatem perpendicularem ad idem planum, cum qua velocitate planum percutitur, referat IC velocitatem reflexionis. In plano transeunte per rectas MI, IX educ ex punto C rectam CD perpendicularem ad IX, & fac eam aequalem ipsi MX, sive XN, deinde junge ID. Manifestum est globum M post impactum motum iri per rectam ID: is enim post percussionem urgetur motibus dubbus, quorum directiones, & quantitates delignantur per rectas CI, CD, ex quibus subnascitur motus transversus ID. Quoniam autem est ID minor quam IM, at vero angulus DIX major est angulo MIX, ut facile est ostendere, inde liquet velocitatem post reflexionem semper minorem esse velocitate incidentiarum; & præterea corpus post reflexionem magis aber-

aberrare à perpendiculari IX, quam, quum incideret, defleteret ab eadem perpendiculari.

251. Jungatur nunc DN, eaque producatur usque donec occurrat piano in puncto E. Manifestum est angulum NEI esse rectum: etenim quum rectæ CD, XN sint ex constructione aequales, & parallelæ, quæ eas conjungunt rectæ lineæ XCI, NDE aequales erunt, & parallelæ: itaque quum XCI perpendicularis sit ad planum AB, etiam NDE perpendicularis erit ad idem planum. Quapropter sumpta recta JE pro radio, sive sinus toto, erit *primo* DE ad NE, sive etiam CI ad XI, ut tangens anguli DIE ad tangentem anguli NIE, sive etiam anguli MIA. Est autem CI ad XI ut velocitas perpendicularis post reflexionem ad velocitatem perpendiculararem impactus, sive etiam ut vis restituendi se ad vim comprimentem: quare erit quoque vis restituendi se ad vim comprimentem, ut se habet tangens complementi anguli DIX ad tangentem complementi anguli NIX, sive MIX: prior enim angulus complementum est anguli DIE, posterior vero est complementum anguli NIE, sive MIA. Et *secundo* erit ID ad IN sive ad IM, ut se habet secans anguli DIE ad secantem anguli NIE, vel etiam MIA: unde quum ID ad IM sit ut velocitas reflexionis ad velocitatem incidentiæ, sive angulus DIE complementum anguli DIX, & angulus MIA complementum anguli MIX, sequitur velocitatem reflexionis esse ad velocitatem incidentiæ, ut se habet secans complementi anguli DIX ad secantem complementi anguli MIX.

252. Unde modo facile erit leges, quæ observantur in reflexione corporum sive perfecte, sive imperfecte elasticorum definire: quas leges antequam proferamus, explicandas sunt voces nonnullæ, quas in iis enunciandis adhibere cogimus. Impellatur corpus M secundum rectam MI contra planum AB, ex quo reflectatur secundum rectam JD. Educatur ex puncto I perpendicularis IX ad planum AB. Recta MI dicetur deinceps *via incidentia*, recta vero ID *via reflexionis*. Punctum I modo *punctum incidentia*, modo *punctum reflexionis*,

pro ut refertur vel ad viam incidentiæ, vel ad viam reflexionis. Recta IX axis reflexionis: Planum transiens per viam incidentiæ perque axem reflexionis dicitur *planum incidentiæ*, planum vero transiens per viam reflexionis, perque eundem axem adpellabitur *planum reflexionis*. Denique angulus MIX, quem via incidentia continet cum axe reflexionis adpellabitur *angulus incidentiæ*, angulus vero DLX, quem via reflexionis continet cum eodem reflexionis axe dicitur *angulus reflexionis*.

252. Quibus definitionibus præmissis sciendum nunc in reflexione corporum tres leges observari. Prima lex est, ut *planum incidentiæ*, & *planum reflexionis* sine unum, & idem *planum*: cuius legis sensus est, quod viæ incidentiæ, & reflexionis MI, ID sit in uno plano cum axe reflexionis, quemadmodum supra adnotatum est. Secunda lex est: ut tangens complementi anguli reflexionis DIC sit ad tangentem complementi anguli incidentiæ MIX, ut se habet vis restituendi se ad vim comprimentem, sive etiam ut IC ad IX. Itaque quia hic tria possunt contingere: I, ut vis restituendi se adæquet vim comprimentem, qui casus obtinet in corporibus perfecta elasticitate donatis: II, ut vis restituendi se minor sit vi comprimente, ut accidit corporibus imperfecte elasticis: III, ut vis restituendi se sit nulla; siquidem primum contingat, erit angulus incidentiæ æqualis angulo reflexionis; si secundum angulus incidentiæ minor erit angulo reflexionis; denique si tertium accidat angulus reflexionis erit rectus, sive, quod eodem redit, corpus movebitur secundum longitudinem plani sine ulla reflexione. Quæ quidem omnia vera sunt si corpus M oblique incidat in planum AB: nam si incidat perpendiculariter, tunc vel omnino quiescat, si nempe nulla sit elasticitas, vel reflectetur secundum eamdem viam perpendiculararem; adeoque anguli incidentiæ, & reflexionis eo casu semper æquales erunt, sive corpora sint, vel non sint perfecta elasticitate donata. Denique tertia lex vult, ut velocitas incidentiæ sit ad velocitatem reflexionis, ut se habet secans complementi anguli incidentiæ

dentia ad secantem complementi anguli reflexionis: quapropter si anguli incidentiae, & reflexionis fuerint aequales, etiam velocitates ante, & post reflexionem aequales erunt; qui casus obtinet quum vel alterum, vel utrumque corpus est perfecte elasticum; quod si vero angulus incidentiae minor est angulo reflexionis, tunc velocitas incidentiae major erit velocitate reflexionis: & specialiter si angulus reflexionis fuerit rectus, hoc est si nulla sit vis elasticitatis, tunc quoniam secans complementi anguli recti abit in radium, erit velocitas ante impactum ad velocitatem post impactum ut est secans complementi anguli incidentiae ad radium. At vero secans complementi cuiusvis anguli est ad radium, ut ipse radius ad finum rectum illius anguli; itaque ob aequalitatem rationum erit velocitas ante impactum ad velocitatem post impactum, ut radius ad finum anguli incidentiae; id quod supra etiam demonstratum est.

254. Videamus nunc, an vere dictum sit à Cartesia-
nis reflexionem fieri in instanti, hoc est an verum sit
corpora, statim ac tetigerunt objectum obstaculum, ab
eo retro referri: ita enim ipsos, quos vera reflexionis cau-
sa penitus latebat, reflexioem instantaneam accepisse
credendum est. Ex supradictis sequitur id falsum esse.
Nam ut reflexioni locus detur, necesse est vel corpus
percutiens, vel percussum, vel utrumque elasticum esse;
itaque post impactum corpora percutientia manere de-
bent aliquandiu juncta cum obice ipso. Etenim ante-
quam reflectantur necesse primo est ea comprimi, deinde
vero ad formas pristinas redire; quæ duo aliquod tem-
poris intervallum requirunt. Manet tamen verum refle-
xionem fieri in instanti, sed hoc alio sensu, quod ex-
tincto motu versus partem unam statim sequatur mo-
tus versus partem oppositam.

255. Hactenus supposui obicem AB (Fig. 22.) fixum esse, & immorum: ponamus nunc ipsum movesi aequabiliter secundum longitudinem plani AB, & videamus quomodo determinari debeat via reflexionis: id quod faciemus in hypothesi, quod obex sit perfecte elasticus; nam facile erit deinde idem confidere, quum

obex perfecta elasticitate donatus non supponitur. Jam si obex quiesceret, sumpta XN æquali ipsi MX , coniunctaque IN , esset ex ostensis IN via reflexionis. Sed quoniam globus M post impactum moratur aliquandiu super obice, adeoque communicatur ei totus obicis motus rectilineus, habenda erit ratio hujus quoque motus ad viam reflexionis determinandam. Itaque sumatur NH æqualis motui rectilineo obicis (prostum, vel retrosum pro ut obex movetur ab A ad B vel ex B ad A), & jungatur IH . Et quoniam post impactum globus M urgetur motibus duobus, quorum directiones, & quantitates sunt IX , & XH , ex quibus enascitur tertius motus IH , sequitur viam reflexionis esse rectam IH . Et quidem si motus obicis sit in antecedentia, hoc est ab A ad B , angulus reflexionis major erit angulo incidentiae: si vero sit in consequentia hoc est de B versus A , & præterea minor sit motu transverso globi MX , angulus reflexionis minor vicissim erit angulo incidentiae. Adparet autem reflexionem fieri posse per perpendicularē IX , si nempe obex moveatur in consequentia, & præterea ejus motus adæquet transversum corporis incidentis motum. Sed liquet etiam fieri posse reflexionem secundum ipsam viam incidentiae MI , si nempe motus plani translati in consequentia sit duplus motus transversi corporis percipientis. Denique si motus plani in consequentia sit plus quam duplus motus transversi corporis percipientis, tunc via reflexionis IN cadet ultra viam incidentiae IM respectu axis IX .

256. Venio nunc ad refractionem. Motus dicitur refrangi, quando mutantur quidem directio eius, sed pergit corpus ire versus eamdem fermie plagam, versus quam antea tendebat; in quo refractio distinguitur à reflexione: etenim quamquam in hac pariter fiat mutatio directionis tamen corpus retro revertitur. Repræsentet AB (Fig. 23.) superficiem planam tenuissimam dirimentem spatium superius ab inferiori, globus autem M in spatio superiori irruat contra superficiem AB secundum viam obliquam MI , eamque perrumpat: siquidem globus pergit moveri in spatio inferiori secundum

dum rectam IH, quæ jacet in directum cum MI, nulla motui corporis mutatio continget; quod si vero moveatur vel per viam superiorem IN, vel per inferiorem IN, tunc quia sit quidem mutatio directionis, sed motus continuatur versus eandem ferme plagam dabitur locus refractionis; de cuius causis, atque legibus antequam disseramus, nonnullæ voces exponendæ sunt. Recta XIZ, quæ ex puncto incidentia I perpendiculariter educitur ad planum AB adpellatur *axis refractionis*. Recta MI dicitur *via incidentia*, recta vero IN *via refractionis*. Angulus MIX, quem via incidentia continet cum axe refractionis, adpellabitur *angulus incidentia*, angulus autem NIZ quem via refractionis continet cum eodem axe adpellabitur *angulus refractionis*. Denique refra $\ddot{\text{c}}$ atio dicitur à perpendiculari si angulus refractionis supererit angulum incidentia, hoc est si globus in spatio inferiori perget ire per viam superiorem IN; dicetur vero ad perpendiculararem, si angulus refractionis sit vicissim minor angulo incidentia, hoc est si globus in spatio inferiori perget ire per viam humiliorem IN.

257. Jam ut motus refrangatur, duo requiruntur: I, ut globus irruat in superficiem AB oblique: & II, ut ipsa superficies AB vel proslit, vel noceat motui corporis irruentis. Horum alterum si desit globus perrupta superficie irrefractus ulterius ire perget. Primo enim si globus decidat in superficiem AB perpendiculariter, quoniam ea plana supponitur, nihil causæ est, quare is vel ad dexteram, vel ad sinistram flectere debeat, deque semita perpendiculari discedere. Id tantum continget, ut globi velocitas postquam superficiem perrupit vel augeatur, vel minuatur, prout scilicet supponitur superficiem vel profuisse, vel nocuisse motui globi pervadentis. Et secundo si globus decidat in superficiem AB oblique, ipsum pergere debere irrefractum per spatiū inferius, quando superficies AB neque juvat, neque moratur motum globi, id utique intelligemus, si ostendi à nobis possit refractionem oriri ex mutatione velocitatis, quam corpus refractionem patiens subit.

258. Quod ut fiat, ponamus globum M (Fig. 24.) impelli

pellî secundum viam obliquam MI contra superficiem AB , quæ transitum quidem ei ita permittat , ut tamen ejus motum vel augeat , vel minuat : sitque velocitas globi in spatio superiori ad velocitatem ejusdem globi , dum per spatiū inferius progreditur quemadmodum se habet a ad b . Ex centro globi M demittatur in planum perpendicularis MC : itaque si recta MI referat motum , vel velocitatem globi dum movetur in spatio superiori , ea distinguetur in partes duas , quarum partium altera quidein erit perpendicularis ad planum , altera vero parallela erit eidem plano . Et quoniam superficies AB agere quidem potest in velocitatem perpendiculararem MC , at vero nullo modo potest agere in velocitatem parallelam , sive transversam CI , inde fit ut velocitas globi transversa maneat eadem , & immutata postquam globus superficiem perrupit : adeoque sumpta ex parte altera ID æquali ipsi CI , eductaque perpendiculari DH , quo tempore globus M motu transverso transiit de perpendiculari MC ad axem refractionis XZ , eodem prorsus tempore idem globus de axe refractionis discedens perveniet ad alteram perpendiculararem DH .

259. Finge nunc MI secari in punto O ea lege , ut MI sit ad OI , quemadmodum se habet a ad b ; deinde centro I radio IO describatur circuli circumferentia secans perpendicularē DH in punto N . Et quoniam ex hypothesi a est ad b ut velocitas globi in medio superiori ad ejus velocitatem in medio inferiori , sive etiam , ut Newtonus loquitur , ut velocitas incidentiæ ad velocitatem emergentiæ , erit quoque MI ad IO , sive IN ut velocitas incidentiæ ad velocitatem emergentiæ : adeoque quo tempore globus priori velocitate describit spatium MI in superiori medio , eodem prorsus tempore idem globus velocitate posteriori pertransiet spatium IN in medio inferiori : nam in motu æquabili quando spatia sunt inter se ut velocitates , tempora prodeunt æqualia . Atqui , quo tempore globus M describit spatium MI , idem globus velocitate transversa ante incidentiam decurrat spatium inter perpendicularares CM , XZ interjacens , & post emergentiam decurrat spatium æquale

æquale inter perpendiculares XZ, DH interpositum : ergo globus revera in fine illius temporis reperietur in N, ejusque semita esse debet recta IN.

260. Quibus ita demonstratis tria nunc consequuntur. *Primum* quando velocitas incidentiaæ major est velocitate emergentiaæ, sive quando superficies AB obest motui globi M perrumpentis ipsam in puncto I, tunc refractio fit à perpendiculare: nam in ea hypothesi IO, sive IN minor est ipsa IM: adeoque produc̄ta MI usque ad H, via refractionis IN superior erit ipsa IH, quæ æqualis est ipsi IM. *Secundum* quando velocitas incidentiaæ minor est velocitate emergentiaæ, sive quando superficies AB prodest motui globi irruentis, tunc refractio fiet ad perpendicularem: nam in ea hypothesi IO, sive IN major est ipsa IM: adeoque produc̄ta MI usque ad H, via refractionis IN inferior erit ipsa IH, quæ æqualis est ipsi IM. Et *tertium* quando velocitas incidentiaæ adæquat velocitatem emergentiaæ, hoc est quando superficies AB neque juvat, neque moratur motum corporis incidentis, tunc nulla prorsus fit refractio: nam in ea hypothesi via refractionis IN adæquat ipsam IM, adeoque ipsa coincidit cum recta IH, quæ jacet in directum cum recta MI.

261. Sumatur nunc in via refractionis JN ulterius, si opus est, produc̄ta IQ æqualis IM, atque ex punctis M, & Q demittantur perpendiculares MX, QZ ad axem refractionis XZ, quarum posterior fecet rectam DH in puncto R. Itaque adsumpta recta MI, sive IQ pro radio, erit MX sinus anguli incidentiaæ, & QZ sinus anguli refractionis: adeoque sinus anguli incidentiaæ erit ad sinum anguli refractionis ut MX sive CI, sive ID, sive ZR ad ZQ: atqui ZR est ad ZQ ut JN ad IQ, sive etiam ut IN ad IM: ergo ob rationum æqualitatem erit pariter sinus anguli incidentiaæ ad sinum anguli refractionis ut IN ad IM, adeoque ut velocitas emergentiaæ ad velocitatem incidentiaæ. Ex quo iterum consequitur refractionem fieri ad perpendicularem, quando velocitas emergentiaæ excedit velocitatem incidentiaæ; fieri vero à perpendiculare, quando velocitas emergentiaæ est vicissim minor velocitate

tate incidentiæ . Denique refractionem nullam intervenire , quando velocitates incidentiæ , & emergentiæ æquales sunt inter se . Sed consequitur præterea , refractio- ni locum non dari , quando globus incidit perpendiculariter : nam in ea hypothesi sinus anguli incidentiæ est nullus ; adeoque nullus pariter sit oportet sinus anguli refractionis , qui ad priorem rationem habet datam .

262. Unde modo facile erit leges refractionum re- censere . Prima lex est ; ut planum incidentiæ , & pla- num refractionis sint unum , & idem : cuius legis sensus est , quod viæ incidentiæ , & refractionis sint in uno pla- no cum axe refractionis : id quod ex dīctis facile colli- gitur . Secunda lex est : ut sinus anguli incidentiæ sit ad sinus anguli refractionis in ratione data , hoc est ut velo- citas emergentiæ ad velocitatem incidentiæ . Et tertia denique lex , quæ ex secunda consequitur , est : ut refra- ctio fiat à perpendiculari , quando velocitas incidentia ma- jor est velocitate emergentiæ , fiat vero ad perpendiculari- rem quando vicissim velocitas incidentiæ minor est velo- citate emergentiæ .

263. Sed in refractione , quæ fit à perpendiculari unum est , quod singularem animadversionem meretur : scilicet posse ipsam quandoque in reflexionem converti . Nam si pila M ea obliquitate incidat in superficiem AB ut recta OI prodeat æqualis rectæ CI , hoc est ut veloci- tas pilæ in spatio superiori , quæ est velocitas inciden- tiæ sit ad velocitatem in spatio inferiori , quæ est veloci- tas emergentiæ ut se habet radius ad sinus anguli in- cidentiæ , tunc pila superficiem minime pervadet , sed secundum superficiei ipsius longitudinem feretur . Ete- nim sinus anguli incidentiæ est ad sinus anguli refra- ctionis ut se habet velocitas emergentiæ ad velocitatem incidentiæ : atqui ex hypothesi velocitas emergentiæ est ad velocitatem incidentiæ ut se habet sinus anguli in- cidentiæ ad radium : ergo propter rationum æqualita- tem erit quoque sinus anguli incidentiæ ad sinus an- guli refractionis ut idem sinus anguli incidentiæ ad ra- dium ; unde angulus refractionis erit rectus , adeoque globus secundum longitudinem superficiei post inci- den-

dentiam movebitur. Quod si vero adhuc obliquius globus incidat in superficiem, tunc tantum abeat, ut eam penetrare possit, ut neque etiam secundum ipsius longitudinem feratur, sed retro ad oppositam plagam revertatur. *Id quod nonnulli (verba hæc sunt Cartesii) cum dolore experti sunt ; quoniam animi gratia explosis in alterum rivi ex murali machina globis , eambulantes in aduersa fluminis ripa vulneraverunt.*

264. Causa ergo refractionis est, quia corporis oblique in superficiem tenuissimam irruptentis velocitas vel augetur, vel minuitur : id quod convenit cum eo, quod experientia quotidiana nos docet circa corpora, quæ oblique decidunt ex aere in aquam ; ea enim refranguntur recedendo à perpendiculari, scilicet quia velocitas eorum in ipso aquæ ingressu minuitur. Si qui sint, quibus causa isthæc videatur magis geometrica, quam physica, ij in hoc negotio ita philosophari poterunt. Moveatur globus per medium aliquod cum data quavis velocitate : Jam si globus gravitatis expers, medium vero ejusdem ubique resistentiae esse ponatur, is motu retardato recta semper perget moveri, usque donec omnino sistatur: quod si contingat, ut globus in aliqua illius medii parte minorem ex una plaga resistentiæ, quam ex alia patiatur, jam eo loci exorbitabit is de priori suo cursu rectilineo, & propendens ad eam plagam, secundum quam minus ipsi resistitur, alia via ire perget. Hac ratione explicare poterunt cur dum corpus oblique incidit in superficiem media densitatis diversæ dirimentem refringatur, & modo accedat, modo vero recedat à perpendiculari. Cæterum in his omnibus supposui pilam sive descendat, sive adscendat eadem prorsus velocitate ferri, parum sollicitus qua vi agatur post impullum, vel post reflexionem ; neglexique pariter omnem effectum magnitudinis, ponderis, atque figuræ, à quibus omnibus nonnihil legum supra expositorum veritati detrahitur.

CA.

CAPUT SEXTUM.

De Motuum legibus, quæ in corporum collisione locum habent.

265. Postquam ad naturæ phænomena exquirenda serio Physici animum adjunxerunt, illico deprehensum est eam certo itinere, certisque semper legibus progredi: præcipue autem naturæ constantia adparuit in collisione corporum, ut pote quæ perpetuis quibusdam legibus peragitur. Harum legum notitiam quum ad naturæ occultissima arcana peruestiganda apprime utilem censuisset Renatus Cartesius, non mediocre studium in iis perquirendis collocavit. Atque utinam veriores nobis leges ipse dedisset! stabilioribus enim fundamentis superextruxisset edificium, quod qua parte nutare, qua corrue, non sine aliquo nominis sui detimento vidimus. Ejus exemplo admoniti veriora adducere studebimus. Supponemus autem primo, corpora quæ colliduntur omni prorsus elasticitate esse destituta, legesque motuum in ea hypotheli perscrutabimur. Deinde corporum elasticorum congressus leges exhibebimus. Sed quoniam utrarumque legum exposito innititur generalibus quibusdam principiis, de iis primo loco breviter differendum est.

I.

Principia generalia exhibentur, quibus mediantebus quorumvis corporum motus post congressum possunt definiri.

266. Primum esto illud, quod ad calcem Capitis quarti adpositum est. Quantitas motus, quæ colligitur capiendo summam motuum factorum ad eandem partem, & differentiam factorum ad contrarias non mutatur

tatur ab actione corporum inter se . Nam quum actio , eique contraria reactio per legem Naturae tertiam aequalis sint inter se, profecto necesse est, ut aequales in motibus mutationes efficiant versus partes contrarias . Etenim per legem Naturae secundam mutatio motus est semper proportionalis vi motrici impressae, & fit secundum lineam rectam, qua ea vis imprimitur. Quo circa si motus fiunt ad eamdem partem , quidquid additur motui corporis fugientis subducetur de motu corporis insequentis , sic ut summa maneat eadem , quae prius . Sin corpora obviam sibi eant, aequalis erit subductio de motu utriusque , adeoque differentia motuum factorum ad partes contrarias manebit eadem . Adparet autem rem esse pariter veram quum plura, quam duo corpora concurrunt; si enim omnia tendunt ad partem unam, summa motuum non mutabitur ad occursum; si vero quædam tendunt ad partem unam , quædam alia ad partem oppositam, differentia motuum manebit immutata. Quapropter ut verum esse possit dogma Cartesianum de immutabilitate quantitatis motus in Universo, oportere omnia corpora mundana versus eamdem plagam moveri : quod quum falsum sit , dicendum est potius id , quod colligitur capiendo differentiam motuum factorum ad partes omnino contrarias manere perpetuo idem , atque immutatum in Universo.

267. Secundum esto . Si duo, vel plura corpora motu aequali quocumque in plano moveantur , commune illorum centrum gravitatis ante mutuum occursum vel quiescat, vel movebitur uniformiter in directum: id quod antequam ostendamus explicare oportet quid sit centrum gravitatis . Docent Mechanici in dato corpore punctum determinari posse , per quod, si utcumque planum incedat, que utrinque sunt corporis segmenta aequiponderantia sint , maneatque idcirco aequilibrata inter se , atque id punctum gravitatis centrum appellant . Ostendunt autem in omnibus corporibus hujusmodi centrum gravitatis inveniri : etenim nullum est corpus sive regulare , sive utcumque irregulare, quod certa aliqua ratione secundum suam longitudinem impositum super

super piano aliquo verticali, non maneat ibi immotum, & non decidat: adeoque in ea positione planum verticale superiora versus productum transibit per centrum gravitatis. Similiter idem corpus nihil vetat quin secundum latitudinem, deinde vero secundum profunditatem ita constituatur super eodem plano verticali, ut maneat ibi immotum, & non decidat. Adeoque in singulis corporibus semper determinare licet tria plana *primum* secundum longitudinem, *alterum* secundum latitudinem, *tertium* secundum profunditatem, quorum unumquodque transibit per centrum gravitatis. Atqui tria plana nihil habent commune inter se, nisi unicum punctum: quare hujusmodi punctum erit centrum gravitatis.

268. Consideratur autem gravitatis centrum non modo in singulis corporibus seorsim, verum etiam in pluribus conjugentim. Nam *punctum ita situm in recta linea conjungente centra gravitatis duorum corporum*, ut *distantia ejus à corporibus sint in ratione reciproca eorumdem corporum* adpellatur *centrum gravitatis* ipsorum. Veluti si sint duo corpora A, & B (Fig. 25.), quorum gravitatis centra conjugat recta AB, quæ ita sit divisa in puncto C, ut AC sit ad CB, ut materia corporis B ad materiam corporis A, dicetur punctum istud C *commune centrum gravitatis* corporum A, & B; ideo scilicet, quia *systēma horum duorum corporum suspensum ex puncto C manet immotum, atque æquilibrium, ut suo loco demonstrabitur*. Similiter si ad corpora A, & B accedat tertium D (Fig. 26.), & conjuncta recta CD, ea dividatur in E ita, ut sit CE ad DE quemadmodum se habet materia corporis D ad materiam duorum A, & B simul, dicetur punctum istud E *centrum gravitatis* trium corporum A, B, D; scilicet quia ipsorum *systēma suspensum ex puncto E manet immotum, atque æquilibrium*. Eodem modo si ad tria corpora A, B, & D accedat quartum F (Fig. 27.) & conjuncta recta EF, ea ita dividatur in G, ut sit EG ad GF, quemadmodum se habet materia corporis F ad materiam corporum A, B, D simul, punctum G vocabitur *horum*

horum quatuor corporum *commune centrum gravitatis*
parique modo quinque, vel plurium corporum *centrum gravitatis* invenire licet.

269. Sint nunc duo corpora A, & B, (Fig. 25.) per quorum gravitatis centra transeat recta AB, in qua ponamus *primo* corpora moveri ea ratione, ut vel ambo tendant ad eamdem partem, vel ambo tendant ad contrarias, sive accedendo ad se, sive à se mutuo recedendo: vel denique alterum quiescat, alterum vero moveatur, aut accedendo ad illud, aut ab eo recedendo; sitque C ipsorum centrum gravitatis in aliquo temporis punto. Et jam quoniam motus corporum sit in linea recta AB indefinite producta, dubitari *primo* nequit, quin centrum gravitatis perpetuo manlurum sit in eadem linea recta; adeoque si corpora ita moventur, ut simul moveri debeat commune centrum gravitatis, ipsum non alio motu, nisi rectilineo, ciebitur. *Tum* quoniam eorumdem corporum motus æquabilis est, distantia ipsorum AB æquabiliter vel augebitur, vel minuetur; adeoque æquabiliter etiam augebuntur, vel minuentur distantiae ipsorum à communi centro gravitatis, quod integrum corporum distantiam semper dividit in ratione eorumdem corporum reciproca. Id autem non alia ratione potest contingere, quam si vel centrum gravitatis maneat semper in eodem loco, vel moveatur uniformiter in directum. Finge enim te moveri æquabiliter, atque vel accedere, vel recedere uniformiter ab aliquo termino: manifestum est terminum illum vel manere immotum, vel si movetur, progredi uniformiter in directum.

270. Quiescit autem centrum gravitatis C, si corpora A, & B vel accedunt, vel recedunt à se mutuo motibus æqualibus. Desribant enim corpora A, & B (Fig. 28.) tempore quocumque spatia Aa, Bb vel accedendo ad se, vel à se mutuo recedendo. Et quoniam in motu æquabili spatia eodem tempore descripta sunt ut velocitates, erit Aa ad Bb, ut velocitas corporis A ad velocitatem corporis B; atque velocitas corporis A est ad velocitatem corporis B ut massa corporis B ad massam corporis A; (ponuntur enim corpora A, & B vel accede-

L

re,

re, vel recedere à se mutuo motibus æqualibus; adeoque velocitates sunt in massarum reciproca ratione): quare ob rationum æqualitatem erit quoque Aa ad Bb ut massa corporis B ad massam corporis A , sive etiam, ob naturam centri gravitatis, ut AC ad CB : ex quo deinde, dividendo, vel componendo, facile colligetur Aa esse ad Bb ut aC ad bC . Atqui Aa est ad Bb ut materia corporis B ad materiam corporis A ; quare in eadem ratione erit etiam aC ad bC ; adeoque quum corpora A & B devenierunt ad loca a , & b , eorum commune gravitatis centrum manet in eodem loco C : quumque eadem sit demonstratio de aliis quibusvis locis, sequitur in hac hypotesi centrum gravitatis permanens immobile. Quod si vel alterum ex duobus corporibus A , & B quietat, vel utrumque moveatur, sed motibus inæqualibus, vel denique moveantur æqualibus motibus, sed versus eamdem partem, tunc centrum gravitatis continuo locum mutabit, sic tamen, ut ejus motus & rectilineus sit, & uniformis.

271. Ponamus secundo corpora A , & B (Fig. 29.) non moveri in linea recta AB conjungente ipsorum centra, sed corpus A moveri in linea recta ACE , in qua temporibus aliquibus æqualibus describat spatia æqualia AC , CE , corpus vero B moveri in linea recta BDF , in qua iisdem temporibus æqualibus describat spatia æqualia BD , DF ; concurrent autem rectæ AE , BF in puncto G , sitque L centrum gravitatis corporum existentium in locis A , & B . Fiat ut AC ad BD , vel etiam ut CE ad DF , ita GA ad GH : deinde rectæ AH , agantur ei per puncta C , & E parallela CI , EK . Tum agatur per punctum L recta LM parallela ipsi GBF , & jungatur GM , quæ extendatur versus X occurrentis rectis CI , EK in punctis N , & O , per quæ agantur rectæ NP , OQ parallelae ipsi ML , secantes rectas CD , EF in punctis P , & Q . Et quoniam, ex constructione, GA est ad GH , ut AC ad BD ; propter parallelas vero AH , CI , ut se habet GA ad GH , ita est AC ad HI : erit ob rationum æqualitatem AC ad BD , ita AC ad HI ; adeoque rectæ HI , & BD , & consequenter rectæ HB , ID æquales erunt. Similiter quoniam

ex

ex constructione CE est ad DF ut GA ad GH; propter parallelas autem AH, CI ut se habet GA ad GH, ita est CE ad IK: erunt IK, & DF, & consequenter ID, & KF æquales inter se; adeoque tres lineæ rectæ HB, ID, KF sibi mutuo æquales erunt.

272. Jam quoniam in triangulis AHB, CID, EKF ductæ sunt rectæ ML, NP, OQ parallelæ basibus HB ID, KF; erunt quidem latera AH, & AB similiter secata in punctis M, & L; & item latera CI, CD in punctis N, & P; & latera EK, EF erunt similiter secata in punctis O, & Q. At vero quum recta GMNO secet lineas rectas parallelas AH, CI, EK, exæ similiter secataæ erunt in punctis M, N, & O; quare etiam rectæ AB, CD, EF erunt similiter secataæ in punctis L, P, & Q: adeoque ut est AL ad LB, ita erit CP ad PD, itaque erit EQ ad QF. Est autem AL ad LB ut corpus B ad corpus A: quare erit pariter CP ad PD, & EQ ad QF ut corpus B ad corpus A: ideoque quum corpora A & B simul profecta de locis A, & B eodem tempore devenerunt ad loca C, & D, eorum commune gravitatis centrum versabitur in P: quum vero devenerunt ad loca E, & F, eorum commune gravitatis centrum versabitur in Q. Quod si ostendi possit puncta L, P, & Q reperiri in unica linea recta, & hoc amplius ejus partes LP, PQ æquales esse inter se, jam eo ipso ostensum erit motum centri gravitatis esse rectilineum, & uniformem.

273. Et sane quum rectæ ML, NP, OQ parallelæ sint basibus HB, ID, KF, erit primo ML ad HB quemadmodum se habet AM ad AH. Secundo erit NP ad ID ut se habet CN ad CI. Et tertio erit OQ ad KF ut se habet EO ad EK. Atqui AM est ad AH ut CN ad CI, utque EO ad EK: quare erit quoque ML ad HB ut NP ad ID, atque ut OQ ad KF. Quocirca quum tres rectæ HB, ID, KF æquales sint inter se, erunt pariter æquales rectæ ML, NP, OQ: itaque quum sint etiam parallelæ, quæ eas conjungunt rectæ lineæ MNO, LPQ æquales erunt, & parallelæ. Sunt autem rectæ MN, NO, quæ proportionales sunt rectis æqualibus AC, CE, æquales inter se; ergo etiam rectæ LP, PQ æquales erunt: adeoque

centrum gravitatis corporum A, & B semper versatur in linea recta LPQ, & æqualibus temporibus æqualia spacia percurrit. Nec dissimiliter commune centrum horum duorum corporum, & tertii cuiusvis vel quiescit, vel progreditur uniformiter in directum, propterea quod ab ipso dividitur in ratione data spatium, quod intercedit inter centrum commune gravitatis duorum corporum, & centrum corporis tertii. Eodem modo & commune centrum horum trium corporum, & quarti cuiusvis vel quiescit, vel progreditur uniformiter in linea recta, propterea quod dividitur ab eo in ratione data distantia inter centrum commune gravitatis trium priorum corporum, & centrum corporis quarti, & sic de aliis quotcumque corporibus.

274. Cæterum contingere potest, ut rectæ ACE, BDF (*Fig. 30.*) in quibus corpora A, & B moventur, sint parallelæ; quo casu, vel ex ipsa schematis inspectione patet, motum centri gravitatis & æquabilem esse, & rectilineum. Duætis enim per puncta C, & E rectis CI, EK parallelis ipsi AB, agatur per punctum L recta LPQ parallela utrique ipsarum AE, BF occurrentes rectis CD, CI, EF, EK in punctis P, N, Q, & O. Et quoniam rectæ lineæ parallelæ AB, CI, EK secantur à tribus parallelis ACE, LNO, BIK, necesse est eas esse similiter sectas in punctis L, N, & O: atqui CD est secta in P eodem modo, quo CI est in N; & EF est secta in Q eodem modo, quo EK est in O: quare etiam tres lineæ rectæ AB, CD, EF erunt similiter sectæ in punctis L, P, & Q. Et quoniam AL est ad LB ut corpus B ad corpus A, erit etiam CP ad PD ut corpus B ad corpus A; & similiter erit EQ ad QF ut corpus B ad corpus A: ideoque quum corpora A, & B devenerunt ad loca C, & D commune eorum gravitatis centrum erit in P; & quum eadem corpora devenerunt ad loca E, & F commune eorum gravitatis centrum erit in Q: ex quo sequitur ipsum interea temporis descripsisse lineam rectam LIQ. Et quoniam partes ejus LP, PQ æqualibus temporibus à centro gravitatis descriptæ sunt æquales, quemadmodum facile ostenditur, sequitur motum centri gravitatis non modo regi-

rectilineum, verum etiam æquabilem esse.

275. Tertium esto. Si duo quævis corpora versus eamdem partem motu æquabili ferantur, summa motuum utriusque corporis equalis erit motui, qui oriretur si utrumque corpus cum celeritate communis centri gravitatis latum esset. Præterea si duo quævis corpora versus partes contrarias ferantur, erit differentia motuum utriusque corporis aequalis motui qui oriretur, se utrumque corpus cum celeritate communis centri gravitatis latum esset. Quæ duo sic ostendi possunt. Sunto A, & B (Fig. 21.) corpora duo, quorum gravitatis centrum commune sit C, moveanturque primo versus eamdem partem sic, ut corpus A dato quovis tempore describat spatium Aa, & corpus B eodem tempore describat spatium Bb, centrum vero gravitatis pertranseat spatium Cc. Et quoniam in motu corporum æquabili, quando tempora sunt æqualia, spatia decursa sunt ut velocitates, viæ Aa, Bb, Cc erunt inter se ut velocitates corporum A, B, & centri gravitatis respective. Itaque motus corporis A erit A. Aa; motus corporis B erit B. Bb; motus vero eorumdem corporum, si utrumque ferretur velocitate communis centri gravitatis forent A. Cc, & B. Cc: adeoque ostendendum est A. Aa + B. Bb = A. Cc + B. Cc. Quoniam enim punctum C est commune centrum gravitatis corporum existentium in locis A, & B, ut est corpus A ad corpus B, ita erit BC ad AC; & similiter quoniam punctum c est commune centrum gravitatis corporum, quum pervenerunt ad loca a, & b, erit ut corpus A ad corpus B ita bc ad ca: quapropter dividendo erit etiam ut corpus A ad corpus B ita BC—bc ad AC—ac, sive etiam ut Cc—Bb ad Aa—Cc; ex qua analogia consequitur fore A. Aa—A. Cc = B. Cc—B. Bb; sive etiam A. Aa + B. Bb = A. Cc + B. Cc.

276. Moveantur secundo corpora A, & B (Fig. 22.) versus partes omnino contrarias, atque eodem tempore pervenisse supponantur ad loca a, & b, centrum autem gravitatis ex loco C delatum sit interea temporis ad c: itaque velocitates corporum A, B, & centri gravitatis C erunt respective Aa, Bb, & Cc: adeoque ostendendum

est A. $Aa - B. Bb = A. Cc + B. Cc$. Quoniam enim punctum C est commune centrum gravitatis corporum existentium in locis A, & B, erit ut corpus A ad corpus B ita BC ad AC; & similiter quoniam punctum C est commune centrum gravitatis corporum, quum pervenerunt ad loca a, & b, erit ut corpus A ad corpus B ita bc ad ac: quapropter dividendo erit etiam ut corpus A ad corpus B ita BC—bc ad AC—ac, sive etiam ita $Bb + Cc$ ad $Aa - Cc$; ex qua analogia deducitur A. $Aa - A. Cc = B. Bb + B. Cc$, sive etiam A. $Aa - B. Bb = A. Cc + B. Cc$: scilicet differentia motuum ad partes contrarias factorum æqualis est motui, qui produceretur, si utrumque corpus versus eamdem plagam cum velocitate communis centri gravitatis latum esset. Itaque si differentia illa sit nulla, hoc est si in utroque corpore quantitates motuum sint æquales, commune gravitatis centrum quiescat, ut supra etiam demonstratum est.

277. Sed notandum est hæc locum pariter habere, quando plura quam duo corpora moventur; si enim omnia tendunt ad partem unam summa motuum omnium corporum æqualis erit ei motui, qui oriretur si omnia moverentur cum velocitate communis centri gravitatis; quod si vero quedam tendunt ad partem unam, quedam alia ad oppositam, differentia motuum æqualis erit ei motui, qui oriretur si omnia moverentur cum velocitate communis centri gravitatis. Sint enim tria corpora A, B, D (Fig. 26.) ad eandem partem lata, quorum trium commune gravitatis centrum sit E; commune autem centrum gravitatis corporum A, & B sit C. Et erit motus in hisce duobus corporibus existens æqualis motui, qui oriretur si utrumque corpus in unum coalescens cum velocitate puncti C latum esset. Sed eodem argumento erit etiam summa motuum trium corporum, hoc est duorum A, & B coalescentium in unum, & tertii corporis D æqualis motui, qui fieret, si corpus ex duobus coalescens una cum corpore tertio D moveretur cum velocitate puncti E. Non dissimiliter ostendetur rem esse veram in quatuor, in quinque, vel etiam pluribus corporibus, sive omnia tendant ad unam partem,

tem, sive quædam tendant ad unam partem, quædam alia ad contrariam tendant partem.

278. Et quartum denique. Si plura corpora in se invicem impingant, communis illorum gravitatis centri status vel quiescendi, vel movendi uniformiter in directione non exinde mutabitur: hoc est si centrum gravitatis quiescebat ante occursum, quiescere perget post occursum: si movebatur cum aliqua velocitate ante occursum, eadem cum velocitate perget moveri post occursum. Nam si corpora quævis in se invicem impingant, summa motuum factorum ad eamidem partem, & differentia motuum factorum ad contrarias manet eadem ante, & post occursum; Atqui summa illa, vel differentia motuum ostensa est æqualis motui, qui orbitetur, si singula corpora moverentur cum velocitate communis centri gravitatis; quare manente summa, vel differentia illa immutata, opus est ut velocitas centri gravitatis ante, & post occursum eadem maneat.

279. Atque hæc quidem sunt generalia principia, quæ in medium adferenda esse arbitrati sumus, antequam ad motuum leges tradendas descenderemus. Quoniam autem Philosophi triplicem in corporibus congradientibus differentiam statuunt, desumptam ex eorum mollitie, duritie, atque elasticitate, expendendæ sunt leges in corporibus mollibus, in duris, & in elasticis; sive, quod eodem redit, expendendæ sunt leges illæ in corporibus elasticitate destitutis, & in iis, quæ elasticitate donantur; etenim tam corpora dura, quæ scilicet coquimi nequeunt, quam corpora mollia, quæ scilicet compressa in eo statu persistunt, in quo vis comprimens illa constituit, elasticitatis expertia sunt. Et quamquam fortasse nullum sit corpus in natura, quod aliqua elasticitate prædictum non sit, tamen elasticitatem tantisper, dum leges congregatus in ea hypothesi examinantur, à corporibus naturalibus cogitatione removere non verebimur.

II.

Corporum non elasticorum leges congressus adferuntur, & demonstrantur.

280. **I**N istis legibus exponendis corpora A, & B primo directe se mutuo ferire, tum vero oblique se petere supponemus; quarum quidem percusionum illa directa dicitur, haec vero obliqua appellatur. Et quidem ut percussio dicatur directa, opus est corpora, quae sphærica, & homogenea esse suppono, moveri secundum rectam lineam conjungentem eorum centra gravitatis; ut vero dicatur obliqua necesse est ea moveri secundum lineas diversas. In utraque autem hypothesi duo casus contingere possunt: vel enim alterum ex corporibus A, & B quiescit, alterum vero movetur, vel utrumque movetur: ubi notandum, nos hic supponere corpora congreidentia ita ab omnibus aliis esse divisa, ut eorum motus nec impedianter ab iis, neque juventur: ut profecto contingeret, si motus perficerentur in vacuo.

281. Et quidem si corpus durum, vel molle A impellatur directe contra corpus B etiam durum, vel molle: sive istud quiescat, sive versus eamdem partem tardius moveatur, sive demum versus contrariam, utrumque corpus post impactum una cum communi centro gravitatis junctim movebitur. Etenim quum corpori B nullum impedimentum fieri supponamus a corporibus circumambientibus, profecto, per legem Naturæ secundam, necesse est ut ipsum moveatur versus eam partem, versus quam impellitur a corpore A. Sed necesse est etiam ut junctim procedant; non enim tardius moveri potest, ob corpus insequens A; non celerius, quia omnis motus proficiuntur ab impulsu corporis A, quum omnis alia causa, ut vis elasticæ, & ambiens fluidum nihil agere supponantur: itaque post impactum utrumque corpus cum communi centro gravitatis junctim movebitur. Sed contingere quoque potest, ut ambo

bo post concursum quiescant una cum communi centro gravitatis, scilicet si versus contrarias partes mota, viribus æqualibus se pétant: nam vires æquales, & contrariae funditus pereunt.

282. Ex eo autem quod corpora elasticitatis expertia post concursum junctim moveri debent una cum centro communi gravitatis, sequitur velocitatem illorum astimandam esse ex velocitate ejusdem centri, quæ quidem velocitas neque intenditur, neque remittitur ab occurso, ut supra demonstratum est. Quapropter inventa velocitate centri gravitatis ante occursum, illico habebitur velocitas, cum qua velocitate corpora junctim moventur post occursum. Et quoniam summa motuum factorum ad eamdem partem, & differentia motuum factorum ad contrarias æqualis est motui, qui prodiret, si utrumque corpus moveretur cum velocitate communis centri gravitatis, si quidem *summa motuum factorum ad eamdem partem*, quæ data est, *vel etiam differentia motuum factorum ad contrarias*, quæ pariter data est, dividatur per *summam corporum*, prodibit *velocitas communis centri gravitatis*, cum qua velocitate junctim una cum ipso centro gravitatis corpora non elastica post percusionem movebuntur: id quod lectissimis exemplis illustrare conabimur.

283. Itaque ponamus *primo* massam corporis A esse ad massam corporis B ut 3 ad 1, velocitatem vero esse ad velocitatem ut 8 ad 4. Hic, siquidem utrumque corpus moveatur versus eamdem partem, summa motuum $24 + 4 = 28$ dividenda erit per summam massarum $3 + 1 = 4$: ita enim habebitur tum velocitas communis centri gravitatis, quum velocitas, cum qua utramque corpora una movebuntur post occursum; eaque velocitas erit 7; adeoque manet summa motuum factorum ad eamdem partem ante occursum $24 + 4 = 28$ æqualis summæ motuum post occursum $21 + 7$. Quod si vero corpora tendant ad partes contrarias differentia motuum $24 - 4 = 20$ dividenda erit per summam massarum $3 + 1 = 4$: ea enim ratione habebitur quum velocitas communis centri gravitatis, tum velocitas, cum qua

qua utrumque corpus junctim movebitur post occursum ; eaque velocitas erit $\frac{5}{3}$: adeoque manet differentia motuum ante occursum $24 - 4 = 20$ aequalis summae motuum factorum ad eamdem partem post occursum $15 + 5$. Ponamus secundo massam corporis A esse ad massam corporis B ut $\frac{5}{3}$ ad $\frac{2}{3}$, velocitatem vero esse ad velocitatem ut 9 ad 15 . Et quoniam hic, si corpora tendunt ad partes oppositas, differentia motuum $45 - 45 = 0$ est nulla , adeoque velocitas centri gravitatis, quae habetur dividendo differentiam motuum per summam corporum est pariter nulla : sequitur, in hypothesi, quod corpora A , & B motibus aequalibus in se mutuo incurvant , ea post occursum quiescere debere . Ponamus denique corpus B quiescere , corpus vero A moveri contra ipsum cum octo gradibus velocitatis , sitque massa corporis A ad massam corporis B ut $\frac{5}{3}$ ad $\frac{2}{3}$: Hic summa motuum ante occursum est 40 ; quantum scilicet est motus solius corporis A : eo autem motu diviso per summam corporum $5 + 3 = 8$, prodibit quoniam velocitas communis centri gravitatis , etiam velocitas , cum qua utrumque corpus movebitur post occursum , eaque velocitas erit $\frac{5}{8}$: & manet summa motuum post occursum $25 + 15 = 40$ aequalis motui corporis A ante occursum , qui motus erat 40 .

284. Sed in hoc novissimo exemplo adnotandum est velocitatem communis centri gravitatis , adeoque velocitatem utriusque corporis post occursum eo minorem fore , quo major fuerit moles corporis quiescentis ; scilicet quia quo majus est corpus quiescens B , eo major fit summa corporum A , & B , per quam summam dividendus est motus corporis A ad habendam velocitatem communis centri gravitatis . Itaque si corpus B sit magnitudinis immensæ , velocitas , cum qua utrumque corpus moveri debet post occursum erit parvitas immensæ , adeoque ea post occursum physice quiescent : id quod supra etiam adnotatum est.

285. Quiescat nunc corpus B , contra quod impellatur oblique corpus A , (Fig. 33.) & reporteat motus ipsorum post occursum definire . Fiat collisio in loco C , per quem intelligatur transire plenum contingens utraque

que corpora sphærica, quod *planum percussionis* adpellari potest. Tum demittatur ad hoc planum perpendicularis AD, jungaturque DC. Et jam si recta AC designet motum corporis impellentis A, is dissolvetur in duos motus AD, DC, quorum motuum alter est parallelus plano percusionis, alter vero est perpendicularis ad idem planum. Ita que corpus A percutiet corpus B non cum toto motu AC, sed tantum cum parte AD; nam reliqua pars DC quum parallela sit plano percusionis agere nequit in corpus B, quæ idcirco post percussionem integrâ manebit in corpore A. Ducatur per punctum C recta CX parallela rectæ AD: & jam post percussionem corpus B movebitur secundum rectam CX; vis enim percutiens eam directionem habet. Quantitas autem motus CX habebitur si motus AD dividatur per summam corporum A, & B, & quotiens divisionis multiplicetur per corpus B. Ad habendum vero motum corporis percutientis A, producenda est DC, usque donec sit CE æqualis CD, completoque parallelogrammo CEFX jungenda est diagonalis CF: ea enim designabit directionem, & quantitatem motus corporis A post impactum. Nam ex illo tempore corpus A urgetur duplii motu, scilicet motu CX, qui communis est ei cum corpore B, & motu CD, sive CE, qui in percusionem non influit, ex quibus oritur motus CF.

286. Cæterum pro diversa percussionis obliquitate diversi pariter erunt motus corporum A, & B post percussionem. Nam pro quo percussio est minus obliqua, eo major est motus AD, cum quo fit percussio, & minor est motus DC, qui in percussionem non influit: vicissim vero quo percussio est obliquior, eo major est pars illa motus quæ non influit in percussionem, & minor illa, quæ consumitur ad percutiendum: usque adeo ut in percussione directa totus motus impendatur ad percutiendum, in percussione vero obliquissima, quando scilicet planum percusionis tangit tuum corpus B, quum corpus A, nulla pars motus ad percutiendum impendatur: adeoque priori casu corpora junctim movebuntur, posteriori vero casu corpus A stringens levissime

cor-

172 PHILOSOPHIÆ NATURALIS
corpus B ulterius progredietur nihil turbato statu cor-
poris quiescentis B.

287. Denique corpora A, & B (*Fig. 34.*) collidan-
tur oblique in punto C, per quod agatur planum per-
cussionis utraque corpora contingens; demissisque per-
pendicularibus AD,BE, conjungantur AC,BC, & CED.
Et jam quia AC, & BC sunt spatia eodem tempore de-
scripta à corporibus A, & B; in motu autem æquabili
velocitates sunt ut spatia eodem tempore descripta: erit
velocitas corporis A ad velocitatem corporis B ut AC
ad BC: adeoque momentum, seu vis corporis A erit ad
momentum corporis B ut A. AC ad B. BC. Diviso au-
tem utroque motu in suos motus componentes nempe
motu A. AC in motus laterales A. AD, & A. DC: mo-
tu vero B. BC in motus laterales B. BE, & B. EC, mani-
festum est corpora A, & B collidi tantum motibus A.
AD, & B. BE, qui scilicet sunt perpendicularares ad pla-
num percussionis; at vero motus A. DC & B. EC inte-
gris manere post percussionem, priorem quidem cor-
pori A, posteriorem vero corpori B: quum motus isti
parallelii sint plano percussionis. Quapropter ad deter-
minandos motus post occursum dividenda est *primo*
differentia motuum A. AD,& B. BE per summam cor-
porum A + B: sic enim habebitur velocitas cum qua
corpora A & B junctim progrederentur post occursum, si
ea nullis aliis motibus carentur, quam iis, cum quibus
colliduntur. Sit CX velocitas ista, quæ parallela sit re-
ctis AD, BE. *Secundo* componenda est ista velocitas &
cum velocitate reliqua DC corporis A, & cum veloci-
tate reliqua CE corporis B, quemadmodum factum in
schemate adparet: quibus peractis habebuntur directio-
nes, quantitatesque motuum A, & B post occursum.
In quo quidem advertendum est, contingere posse ut
motus A. AD,& B. BE, cum quibus peragitur percussio,
sint æquales inter se; tuncque, iis in percussione deletis,
utraque corpora movebuntur post occursum secundum
rectam DC productam versus Z, corpus quidem A cum
velocitate DC, corpus vero B cum velocitate EC.

III. Cor-

III.

Corporum elasticorum leges congressuum adferuntur, & demonstrantur.

288. **A**dsumemus hic pariter corpora A, & B perfectissima elasticitate donata *primo* directe se mutuo ferire; *tum* vero oblique se petere; atque in utraque hypothesi leges motuum rimabimur. Principio autem id nobis ostendendum est, quod si datum corpus directe impingat in aliud corpus datum quiescens, *istius quantitas proportionalis sit velocitati impingentis*. Nempe si corpora aequalia A, & C (Fig. 35.) velocitatibus inaequalibus AB, CD impingant directe in corpora quiescentia B, & D etiam aequalia: quantitas *istius corporis A adversus corpus B erit ad quantitatem istius corporis C adversus corpus D ut se habet velocitas AB corporis A ad velocitatem CD corporis C.*

289. Sit enim E centrum gravitatis corporum A, & B: F autem centrum gravitatis corporum C, & D: itaque erit EB velocitas centri gravitatis corporum priorum; FD autem erit velocitas centri gravitatis corporum posteriorum: interea enim ac corpora A, & C describunt respetive spatia AB, CD, centra gravitatis E, & F pertransiunt respetive vias EB, FD; unde, neglegendo tantisper elasticitatis effectu, corpora A, & B post percusionem movebuntur junctim cum velocitate EB; corpora vero C, & D movebuntur junctim cum velocitate FD. Et quoniam momenta corporum A, & C ante percussionum erant A. AB, & C. CD, post percussionem vero sunt A. EB, & C. FD, momenta, sive motuum quantitates in percussione deperditæ erunt A. AE, & C. CF. Unde quum *istius quantitas proportionalis sit motus quantitati, sive etiam vi in percussione deperditæ quæ quidem vis decedit corpori percutienti, & adquiritur corpori percussori* erit *quantitas istius corporis A adversus B ad quantitatem istius corporis C adversus D ut*

D ut A. AE ad C. CF ; sive etiam ut AE ad CF : nam corpora A , & C ponuntur æqualia . At vero AE est ad CF ut AB ad CD ; itaque ob æqualitatem rationum erit quantitas iætus corporis A adversus B ad quantitatem iætus corporis C adversus D , quemadmodum se habet velocitas AB corporis A ad velocitatem CD corporis C.

290. Quod autem AE sit ad CF ut se habet AB ad CD , ita ostenditur . Quoniam E est centrum gravitatis corporum A , & B , & F est centrum gravitatis corporum C , & D , erit primo corpus A ad corpus B ut BE ad AE . Et secundo erit corpus C ad corpus D , ut DF ad CF . Est autem corpus A ad corpus B , ut corpus C , ad corpus D : nam quum corpora A , & C , tum corpora B , & D ponuntur æqualia : quare erit quoque BE ad AE , ut DF ad CF ; & invertendo AE ad EB , ut CF ad FD ; componendo autem AB ad AE , ita CD ad CF ; & denique permutando AB ad CD , ut AE ad CF .

291. Unde modo illud sequitur eamdem fore iætus quantitatem , sive corpus B quiescat , & A moveatur contra ipsum cum velocitate AB , sive vicissim A quiescat , & B moveatur contra ipsum cum eadem velocitate AB . Etenim ex ostensis quantitas iætus corporis A adversus B designatur per A. AE ; & quantitas iætus corporis B adversus A designatur per B. BE . Atqui A. AE est æqualis B. BE ; est enim A ad B , ut BE ad AE : ergo eadem prodit quantitas iætus , sive A moveatur adversus B cum velocitate AB , sive vicissim B moveatur adversus A cum eadem velocitate AB .

292. Sed illud etiam est nobis ostendendum , quod si corpus unum in alterum secundum eamdem regam ad eamdem partem segnius latum directe impingat eadem futura sit iætus magnitudo , atque foret , si antecedens quiesceret , & insequens in illud cum velocitarum differentia latum esset . Sint enim duo corpora A , & B (Fig. 36.) versus eamdem partem lata , eaque concurrent ponantur in D , sitque C eorum commune centrum gravitatis . Rectæ AD , BD , & CD designabunt velocitates corporum A , B , & centri gravitatis C respective : adeoque AB erit differentia velocitatum eorumdem corporum

rum A, & B: utriusque autem corporis post impactum velocitas designabitur per rectam CD; itaque motus amissus in corpore A erit A. AC, atque huic motui proportionalis erit quantitas ictus corporis A adversus B, si utrumque moveretur versus D. Fac nunc corpus B quiescere, corpus vero A irruere in ipsum cum velocitatum differentia AB; ejus velocitas post occursum esset CB, motus vero amissus foret A. AC: unde quum in utroque casu eadem amittatur in percutiente quantitas motus, sequitur eamdem fore ictus magnitudinem sive utrumque corpus A, & B moveatur versus D, sive corpus B quietcat, & A moveatur contra ipsum tantum cum differentia velocitatum. Ex quo illud consequitur, quod, eadem manente velocitatum differentia, quibus corpora A, & B ad se se accedunt, quomodocumque augeatur, vel minuatur earum summa, eadem semper futura sit quantitas ictus.

293. Denique illud nobis ostendendum est, quod si corpora duo motibus contrariis sibi invicem obviam veniant, ictus magnitudo eadem futura sit, ac si unum ipsorum quiesceret, & alterum in illud cum velocitatum summa impingeret. Sint enim duo corpora A, & B (Fig. 37.) versus contrarias partes lata, quorum communis gravitatis centrum sit C, sitque D punctum, in quo concurrunt. Constat velocitates corporum A, & B esse ut rectas AD, BD; ac proinde velocitatum summa exponentur per AB; CD autem designabit ipsorum velocitatem post impactum: adeoque motus in corpore A amissus erit A. AC. Atqui si corpus A impingeret in corpus quietens B cum velocitate AB velocitas post impactum esset CB, & motus amissus foret etiam A. AC: itaque quum utroque casu eadem amittatur quantitas motus, dicendum est eamdem manere ictus magnitudinem sive corpora A, & B motibus contrariis se petant, sive corpus B quietcat, & A irruat in ipsum cum summa velocitatum. Ex quo illud consequitur, eadem manente velocitatum summa, quæcumque sit velocitatum differentia, seu quomodocumque velocitas illa inter corpora concurrentia sit distributa, eamdem semper futuram ictus magnitudinem.

294. Ita-

294. Itaque si sint duo corpora A, & B, quæ alicubi directe concurrent, velocitatibus autem, quibus accedunt ad se mutuo, imponatur nomen *velocitatis respectiva*, generaliter pronunciari poterit *idem quantitatem semper proportionalem esse corporum velocitati respectiva*. Nam *primo* si corpus B quiescit, velocitas, cum qua movetur corpus A, erit velocitas respectiva. *Secundo* si utrumque corpus A, & B movetur versus eamdem partem, differentia velocitatum erit velocitas respectiva. *Tertio* si corpora A, & B motibus contrariis sibi mutuo obviam veniant, summa velocitatum erit velocitas respectiva. Atqui ostensum est *idem quantitatem priori casu proportionalem esse velocitati corporis A, secundo casu proportionalem esse differentiae velocitatum corporum A, & B, & tertio denique casu proportionalem esse summæ velocitatum eorumdem corporum*; ergo *idem quantitas semper proportionalis erit corporum concurrentium velocitati respectivæ*: usque adeo ut, eadem manente velocitate respectiva, quamquam singulorum corporum velocitates vel æqualiter auctæ fuerint, vel æqualiter imminutæ, eadem nihil minus futura sit quantitas *idem*. Igitur corporum in dato spatio inclusorum *idem erunt motus inter se, sive spatium illud quiescat, sive moveatur uniformiter in directum*. Nam motus uniformis & rectilineus nihil addit, nihilque detrahit velocitati corporum respectivæ, cuius tantum habenda ratio est in expendendis collisionibus corporum: hoc est in navi eodem modo omnes motus se habent, sive ea quiescat, sive moveatur uniformiter in directum.

295. Sint nunc duo corpora elæstica A, & B, & oporteat eorum motus post occursum determinare. Hic *primum certum est*, si neutrum corpus elæsticum esset, utrumque post occursum motum iti cum velocitate communis centri gravitatis versum eam partem, versus quam movetur corpus, quod majus habet momentum. At vero quum vel utrumque, vel alterum saltem ponatur perfecta elæsticitate donatum, videndum est quid præstet elæsticas in occurso, ut ejus quoque ratió habeat.

habeatur. *Primo* autem, quum elasticitas perfecta esse ponatur, corpora A, & B qua vi compressa fuerunt, eadem vi resilient post percusionem; itaque quum vis compressionis, sive quantitas iactus ostenta sit proportionalis velocitati corporum respectivae: sequitur vim, qua ipsa resilient eidem velocitati respectiva proportionalem esse: adeoque, quanta fuit velocitas eorum respectiva ante occursum, tanta pariter esse debet post occursum. *Secundo* quum vis elastică post percussionem agat eodem modo contra corpora A, & B: profecto necesse erit; ut aqualem motus quantitatem in utroque corpore producat, versus partes tamen contrarias; adeoque corpus A erit ad corpus B, ut velocitas, quam elasticitas tribuit corpori B ad velocitatem, quam eadem elasticitas tribuit corpori A. Atqui velocitates utriusque corporis post occursum adaequant velocitatem respectivam ipsorum ante occursum: quare elasticitatis ratio habebitur, siquidem *velocitas corporum congradientium respectiva dividatur ipsis corporibus in reciproca eorum ratione*: ita enim corpora A, & B aqualem motus quantitatem sibi comparabunt ab elasticitate, & eadem manebit velocitas respectiva ante, & post occursum.

296. Quibus sic demonstratis velocitates corporum A, & B post occursum ita definitur. Inveniatur *primo* velocitas communis centri gravitatis corporum A, & B, cum qua scilicet velocitate utrumque moveretur post occursum versus plagam, versus quam moveretur corpus A (quod majus momentum habere suppono), si neutrum foret elasticum. *Tunc* velocitas respectiva corporum A, & B dividatur ipsis in reciproca eorum ratione. *Denique* ad velocitatem communis centri gravitatis addita velocitate, quam corpus B sibi paravit ab elasticitate, ex eadem vero communis centri gravitatis velocitate dempta velocitate, quam corpus A paravit sibi ab elasticitate, habebuntur velocitates, quibus corpora A, & B moveri debent post occursum. Ubi notandum est corpus B semper moveri post occursum versus plagam, versus quam movebatur corpus A, quod majus momentum habere possum est. At vero de directione

M

motus

motus corporis A nihil certi pronunciari generaliter potest. Nam quum tria contingere possint: I, ut velocitas ipsi ab elasticitate adquisita minor sit velocitate communis centri gravitatis: II, ut sit ei æqualis: III, ut illa sit major: siquidem primum contingat, corpus A perget moveri versus eamdem plagam; si secundum accidat, corpus A quiescat post occursum; & denique si tertium eveniat corpus A resiliet versus plagam oppositam. Quæ omnia exemplis nunc illustranda sunt.

297. Itaque ponamus *primo* corporis A massam esse ad massam corporis B, ut 3 ad 1, velocitatem vero esse ad velocitatem ut 8 ad 4. Hic, siquidem utrumque corpus moveatur versus eamdem plagam, erit velocitas communis centri gravitatis 7, quemadmodum superiori articulo demonstratum est: velocitas autem respectiva erit $8 - 4 = 4$; qua divisa corporibus A, & B in reciproca ipsorum ratione, corpus A sortietur partem unam, corpus vero B partes reliquas tres; adeoque velocitas corporis A post occursum erit $7 - 1 = 6$, velocitas vero corporis B post occursum erit $7 + 3 = 10$; & manet summa motuum factorum ad eamdem partem ante occursum $24 + 4$ æqualis summæ motuum factorum etiam ad eamdem partem post occursum $18 + 10$. Quod si vero corpora sibi mutuo obviam eant, erit velocitas communis centri gravitatis partium 5, quemadmodum superiori articulo ostensum etiam est; velocitas autem respectiva erit $8 + 4 = 12$: qua divisa corporibus A, & B in reciproca ipsorum ratione, corpus A sortietur partes tres velocitatis, corpus vero B sortietur reliquias partes novem: adeoque velocitas corporis A post occursum erit $5 - 3 = 2$, velocitas vero corporis B post occursum erit $5 + 9 = 14$; & manet differentia motuum factorum ad partes contrarias ante occursum $24 - 4$ æqualis summæ motuum factorum ad eamdem partem post occursum $6 + 14$.

298. Ponamus *secundo* massam corporis A esse ad massam corporis B ut 3 ad 1, velocitates vero utriusque corporis esse æquales: puta utrasque partium 8; corpora autem sibi mutuo obviam ire. In hoc exemplo velocitas

locitas communis centri gravitatis est 4; velocitas vero respectiva est $8 + 8 = 16$: ea autem divisa corporibus A, & B in reciproca ipsorum ratione, sortietur quidem corpus A partes quatuor velocitatis, corpus vero B reliquias partes 12; adeoque velocitas corporis A post occursum erit $4 - 4 = 0$; quod corpus idcirco quiescet; velocitas vero corporis B post occursum erit $4 + 12 = 16$, & manet differentia motuum ante occursum $24 - 8 = 16$ aequalis motui corporis B post occursum; qui motus est pariter 16.

299. Denique ponamus corpus A irruere in corpus quiescens B cum 21 gradibus velocitatis, ponamusque præterea massam corporis A esse ad massam corporis B ut 1 ad 6. Velocitas communis centri gravitatis erit graduum 3, velocitas vero respectiva erit graduum 21: qua divisa corporibus A, & B in reciproca eorum ratione, sortietur corpus A gradus 18, reliquos vero gradus 3 sortietur corpus B: adeoque velocitas corporis A post occursum erit $3 - 18 = -15$; quod idcirco resiliat versus plagam oppositam cum gradibus quindecim velocitatis: velocitas vero corporis B erit $3 + 3 = 6$; & manet summa motuum ante occursum $21 + 0 = 21$ aequalis differentiæ motuum factorum ad plagas contrarias post occursum $36 - 15 = 21$.

300. Haec tenus supposuimus utraque corpora con-gredientia, vel alterutrum saitem perfecta elasticitate es-se donatum. Videamus modo quomodo determinari pos-sint motus post congressum corporum imperfecte elasti-corum: quod utique factu facile erit, modo cognoscatur imperfeccio elasticitatis, sive etiam cognoscatur ra-tio, que est inter vim comprimentem, & vim restitu-en-tem. Pone rationem istam esse quam, quam habet numerus 3 ad numerum 1: itaque velocitas, cum qua corpora el-a-stica ad se se mutuo accedunt tripla erit velocitatis, qua ea recedunt à se mutuo. Ut si corpora A, & B, quorum massa sint inter se ut 4 ad 1, sibi mutuo obviam eant velocitatibus, que sint inter se ut 20, & 10, eorum velocitas respectiva in accessu erit 20: adeoque velocitas respectiva in recessu erit 10; que dividenda erit cor-pori-

poribus in reciproca ipsorum ratione; adeoque ad corpus A spectabunt velocitatis gradus 2, ad corpus vero B spectabunt gradus 8. Et quoniam velocitas communis centri gravitatis est 14, velocitas corporis A erit post occursum graduum $14 - 2 = 12$; velocitas vero corporis B post occursum erit $14 + 8 = 22$: & manet differentia motuum ante occursum $80 - 10 = 70$ æquallis summa motuum post occursum $48 + 22 = 70$.

301. Atque his legibus absolvitur percussio directa corporum elasticorum. Videndum modo est, quomodo determinari possint motus corporum elasticorum oblique impingentium. Moveantur itaque corpora elastica A, & B (Fig. 34.) in lineis ad se invicem inclinatis AC, BC, quarum longitudines exponant velocitates corporum A, & B respective, & collidantur oblique in puncto C, per quod agatur planum percussionis utraque corpora contingens: demissisque perpendicularibus AD, BE, conjugatur CED. Et jam quia AC, & BC exponent velocitates corporum A, & B respective: momentum corporis A erit ad momentum corporis B, ut A. AC ad B. BC. Diviso autem utroque motu in suos motus componentes, nempe motu A. AC in motus laterales A. AD, & A. CD: motu vero B. CB in motus laterales B. BE, & B. CE, manifestum est corpora A, & B collidi tantum motibus A. AD, & B. BE, qui scilicet sunt perpendicularares ad planum percussionis: at vero motus A. CD, & B. CE integros manere post occursum, priorem quidem corpori A, posteriorem vero corpori B; quum motus isti paralleli sint piano percussionis. Quapropter ex datis motibus A. AD, & B. BE, quibus corpora A, & B colliduntur inter se, inveniantur velocitates eorumdem corporum post occursum per regulas superius traditas; quibus inventis, componantur eæ cum velocitatibus CD, CE, quibus velocitatibus percussio nihil adfert detrimenti; sic enim habebuntur velocitates, atque directiones motuum, quibus corpora elastica A, & B oblique se percutientia in puncto C post occursum feruntur. Id quod adeo manifestum est, ut exemplis illustrare superfluum esse arbitrer.

IV. Mo-

IV.

*Methodus expeditissima profertur, qua me-
diane motus corporum sive non elasti-
corum, sive elasticorum directe
se potentium possunt
supputari.*

302. **E**X his, quæ hactenus tradita sunt, deducitur methodus expeditissima ad supputandos motus corporum sive non elasticorum, sive elasticorum ap- prime utilis, quam cognoscere operæ pretium est. Sunto A, & B corpora duo (Fig. 25.), quorum commune gravitatis centrum sit C, eaque ponantur primo omni elasticitate esse delicta, & oporteat velocitates ipsorum post percussionem definire. Hic tres casus distinguendi sunt. *Primus* casus est, si corpus A movetur contra corpus quiescens B. *Secundus* casus est, si corpus A moveatur contra corpus B tardius motum versus eamdem plagam. Denique *tertius* casus est, si corpus A movetur contra corpus B, quod ipsum etiam vel velocius, vel tardius moveatur contra corpus A.

303. In *primo* casu si velocitas corporis A representetur per AB, velocitas communis centri gravitatis C representabitur per CB; adeoque post percussionem utrumque corpus junctim feretur cum velocitate CB. Ex quo sequitur corpus A amississe in percussione velocitatem AC, corpus vero B adquisivisse velocitatem CB. Et quoniam AC est ad CB, ut corpus B ad corpus A, & præterea AC, & CB simul adæquant ipsam AB; duo inde manifesta fiunt. I, velocitatem amissam in percus- sione à corpore A esse ad velocitatem adquisitam à corpo- re B viciissim ut se habet corpus B ad corpus A. Et II, ve- locitatem amissam à corpore A una cum velocitate ad- quisita à corpore B componere velocitatem respectivam corporum A, & B.

M 3

304. In

304. In secundo casu si corpora A, & B concurrunt in D, (Fig. 36.) erit quidem AD velocitas corporis A, BD velocitas corporis B, CD velocitas communis centri gravitatis, & AB velocitas corporum A, & B respectiva. Itaque quia post occursum corpora A, & B junctim moveri debent cum velocitate communis centri gravitatis, necesse est, ut ea post occursum ferantur cum velocitate CD; adeoque corpus A in percussione amittere debuit velocitatem AC, corpus vero B adquirere velocitatem CB. Et quoniam AC est ad CB ut corpus B ad corpus A, & præterea AC, & CB simul adæquant ipsam AB, duo pariter inde fiunt manifesta. I, *velocitatem amissam à corpore A esse ad velocitatem adquisitam à corpore B vicissim ut corpus B ad corpus A.* Et II, *velocitatem amissam à corpore A una cum velocitate adquisita à corpore B componere velocitatem respectivam corporum A, & B.*

305. In tertio casu si corpora concurrunt in D, (Fig. 37.) erit quidem AD velocitas corporis A, BD velocitas corporis B, CD velocitas communis centri gravitatis, & AB velocitas corporum respectiva. Itaq; quia post occursum corpora A, & B junctim moventur cum velocitate communis centri gravitatis, utique ea movebuntur post percussionem cum velocitate CD; adeoque corpus A post impactum amisit velocitatem AC, corpus autem B adquisivit velocitatem CB: hujus enim pars BD versus plagam unam quum destruatur cum eadem BD versus plagam oppositam, manebit in corpore B post occursum velocitas CD. Et quoniam AC est ad CB ut corpus B ad corpus A, & præterea AC, & CB simul componunt ipsam AB, duo inde manifesta fiunt. I, *velocitatem amissam à corpore A esse ad velocitatem adquisitam à corpore B vicissim ut corpus B ad corpus A.* Et II, *velocitatem amissam à corpore A una cum velocitate adquisita à corpore B componere velocitatem corporum A, & B respectivam.* Et igitur generaliter si duo corpora non elæstica quomodocumque concurrant inter se, modo concurrant directe, *velocitas amissa in percussione à corpore uno erit ad velocitatem adquisitam à corpore altero.*

tero vicissim ut istud corpus ad illud. Et praeterea velocitas amissa à corpore uno una cum velocitate adquisita à corpore altero component velocitatem corporum respectivam.

306. Unde modo ad supputandas velocitates corporum non elasticorum post occursum adhiberi potest regula sequens. *Velocitas corporum congreidentium respectiva dividatur in reciproca ipsorum ratione, & pars quidem major scribatur pone corpus minus, pars minor scribatur pone corpus majus.* Tunc ex velocitate corporis, quod ante occursum majus habebat momentum, auferatur pars illa velocitatis relativæ, qua pone ipsius est adnotata, velocitati vero corporis alterius addatur pars altera velocitatis relativæ, qua etiam iuxta ipsum est adnotata: nam residuum in primo, & summa in secundo erunt velocitates corporum quæstæ. Ut ecce si massa corporis A fuerit ad massam corporis B ut 4 ad 1, velocitas autem corporis A sit graduum 50, & corpus B cpiescat; velocitas respectiva erit gradum 50; qua divisa in reciproca ponderum ratione, scribendus erit numerus 10 juxta corpus A, & numerus 40 juxta corpus B: itaque velocitas corporis A post occursum erit $50 - 10 = 40$; velocitas vero corporis B post occursum erit $0 + 40 = 40$. Praeterea si massa corporis A fuerit ad massam corporis B ut 5 ad 1, velocitas vero mobilis A fuerit ad velocitatem mobilis B ut 24 ad 6, siquidem ea tendant ad unam partem, velocitas eorum relativa erit gradum 18: qua divisa in reciproca corporum ratione scribendus erit numerus 3 pone corpus A, & numerus 15 pone corpus B: itaque velocitas corporis A post occursum erit $24 - 3 = 21$, velocitas autem corporis B post occursum erit $15 + 6 = 21$. Si vero tendant ad partes oppositas, velocitas eorum relativa erit 30; qua divisa in reciproca corporum ratione, scribendus erit numerus 5 pone corpus A, & numerus 25 pone corpus B: itaque velocitas corporis A post occursum erit $24 - 5 = 19$, velocitas vero corporis B post occursum erit $25 - 6 = 19$. Ubi notandum velocitatem 6, qua corpus B ferebatur ante occursum, subtrahendam

bic esse ex velocitate 25, quam corpus B adquisivit in percusione: nam earum una est, ut ita dicam, positiva, altera vero est negativa; scilicet quia prior tendit ad partem unam, posterior tendit ad partem oppositam; adeoque quæ alibi erat additio, hic in subtractionem abit, quemadmodum docetur in *Algebrae Elementis*. Denique si corpus A fuerit ad corpus B ut 3 ad 1, velocitas autem fuerit ad velocitatem ut 10 ad 30, corpora vero sibi mutuo obviam eant; velocitas eorum respectiva erit gradum 40: qua divisa in reciproca ratione corporum, scribendus erit numerus 10 juxta corpus A, & numerus 30 prope corpus B: unde velocitas corporis A post occursum erit $10 - 10 = 0$, velocitas vero corporis B post occursum erit $30 - 30 = 0$; adeoque utrumque corpus post occursum quiescet.

307. Sequuntur corpora elastica; quorum elasticitatis rationem haberi diximus, si velocitas corporum congreidentium respectiva dividatur in reciproca ipsorum ratione, & partes inde subortæ addantur, subtrahanturque velocitati communis centri gravitatis: unde operatio isthac conjugata cum priore operatione, in qua etiam velocitas corporum respectiva distribui oportuit in reciproca corporum ratione, subministrat nobis regulam sequentem, cuius beneficio supputari possunt velocitates corporum elasticorum post occursum. *Velocitas corporum congreidentium respectiva dividatur in reciproca ipsorum ratione, & pars quidem major scribatur pone corpus minus, pars vero minor pone corpus majus.* Tum ex velocitate corporis, quod ante occursum majus habebat momentum, auferatur duplum illius velocitatis, quæ juxta ipsum fuit adnotata; velocitati vero corporis alterius addatur duplum ejus velocitatis, quæ juxta ipsum fuit quoque adnotata: nam residuum in primo, & summa in secundo erunt velocitates corporum quæ sitæ. Ut ecce si corpus A fuerit ad corpus B quemadmodum se habet 4 ad 1, velocitas autem corporis A sit graduum 50, & corpus B quietcat, velocitas respectiva erit graduum 50; qua divisa in reciproca corporum ratione, scribendus erit numerus 10 juxta corpus A, & num-

rus 40 juxta corpus B . Itaque velocitas corporis A post occursum erit $50 - 20 = 30$, & velocitas corporis B erit $6 + 80 = 86$. Præterea si massa corporis A sit ad massam corporis B ut 5 ad 1, velocitas vero sit ad velocitatem ut 24 ad 6, liquidem ea tendant ad partem unam, velocitas ipsorum respectiva erit graduum 18; qua divisa in reciproca corporum ratione, scribendus erit numerus 3 pone corpus A , & numerus 15 pone corpus B : Itaque velocitas corporis A post occursum erit $24 - 6 = 18$; velocitas vero corporis B post occursum erit $6 + 30 = 36$. Quod si vero tendant ad partes oppositas, tunc velocitas respectiva erit partium 30; qua divisa in reciproca corporum ratione, scribendus erit numerus 5 pone corpus A , & numerus 25 pone corpus B . Itaque velocitas corporis A post occursum erit $24 - 10 = 14$; velocitas vero corporis B post occursum erit $50 - 6 = 44$. Denique si corpus A fuerit ad corpus B ut 3 ad 1, velocitas autem fuerit ad velocitatem ut 10 ad 30 corpora autem sibi mutuo obviam eant, velocitas eorum respectiva erit graduum 40:qua divisa in reciproca corporum ratione, scribendus erit juxta corpus A numerus 10, & juxta corpus B numerus 30; unde velocitas corporis A erit $10 - 20 = 10$; velocitas vero corporis B erit $60 - 30 = 30$; scilicet corpora A , & B resilient ad partes oppositas cum iisdem velocitatis gradibus 10, & 30 cum quibus accesserunt.

V.

Theorematum Hugenianarum de motu corporum elasticorum ex percussione in medium adferuntur, & exemplis illustrantur.

308. **N**E quidquam deesset huic doctrinæ de corporum percussione, Theorematum Hugenianarum adferre, exemplisque illustrare, conveniens esse arbitratus sum. **P**rimum Theorema est, *Si corpori quiescenti*

scenti aliud aequali corpus occurrat, post contactum hoc quidem quiescet, quiescenti vero adquiretur eadem, qua fuit in impellente celeritas. Sint enim A, & B corpora aequalia, quorum B quiescat, A vero moveatur contra ipsum cum velocitate $2a$: velocitas ipsorum respectiva erit etiam $2a$; qua divisa in reciproca corporum ratione, scribenda erit quantitas a prope corpus A, & quantitas etiam a prope corpus B; adeoque velocitas corporis A post occursum erit $2a - 2a = 0$; velocitas vero corporis B post occursum erit $0 + 2a = 2a$. Ex hoc Theoremate manifestum est quod, si contra seriem globulorum aequalium quiescentium impellatur globus alter aequalis, novissimus quidem discedat cum velocitate impellentis, reliqui vero una cum ipso globulo impellente quiescant post impactum. Nam globus impellens transfert totam suam velocitatem in primum globulum, ipseq; interea quiescit: primus autem transfert totam velocitatem a se adquisitam in secundum, ipseq; manet immotus: secundus in tertium; tertius in quartum, atque ita deinceps; unde novissimus discedit, & reliqui manent immoti. Similiter, si contra seriem globulorum aequalium quiescentium impellantur duo globi, vel tres, vel quatuor, vel quinque etiam aequales, duo novissimi, vel tres, vel quatuor, vel quinque discedent, reliqui vero manebunt immoti.

309. Secundum Theorema est. Si corpora duo aequalia inaequali celeritate latente mutuo impellant, post contactum permutatis invicem celeritatibus ferentur. Sicut enim A, & B corpora aequalia, quae primo ferantur versus eamdem partem velocitatibus inaequalibus $2a$, & $2b$, velocitas eorum respectiva erit $2a - 2b$: qua divisa in reciproca corporum ratione, scribenda erit quantitas $a - b$ pone corpus A, & similiter quantitas $a - b$ pone corpus B: unde velocitas corporis A post occursum erit $2a - 2a + 2b = 2b$; velocitas vero corporis B post occursum erit $2b + 2a - 2b = 2a$. Ferantur secundo eadem corpora A, & B cum iisdem velocitatibus ad partes contrarias. Eorum velocitas respectiva erit $2a + 2b$; qua divisa in reciproca corporum ratione, scribenda erit quantitas

titas $a+b$ juxta corpus A , & quantitas similiter $a+b$ juxta corpus B : unde velocitas corporis A post occursum erit $2a - 2a - 2b = 2b$; & velocitas corporis B post occursum erit $2b - 2a - 2b = 2a$.

310. *Tertium Theorema est.* *Corpus quamlibet magnum à quamlibet exiguo corpore, & qualicunque celeritate impacto movetur.* Id quod pluries à nobis est adnotatum. *Quartum Theorema ita se habet.* *Quoties duo corpora inter se collidunt, eadem est mutuo respectu discedentibus celeritas, qua sicut ad propinquantibus.* Nam si corpora A , & B fuerint ut 4 ad 1 , & A irruat cum quinquaginta gradibus velocitatis contra corpus quietens B , post occursum B fugiet cum octoginta gradibus velocitatis, A vero insequetur cum triginta: & manet velocitas relativa graduum quinquaginta , ut erat ante occursum. Similiter si massa corporis A sit ad massam corporis B ut 5 ad 1 , velocitas vero sit ad velocitatem ut 24 ad 6 : siquidem corpora tendant ad eamdem partem, post occursum B fugiet cum triginta sex gradibus velocitatis , & A insequetur cum velocitatis gradibus octodecim : & manet velocitas respectiva graduum octodecim , ut erat ante occursum . Quod si vero tendant ad partes oppositas, corpus B post occursum fugiet cum velocitatis gradibus quadraginta quatuor , A vero insequetur cum velocitatis gradibus quatuordecim : & manet velocitas corporum respectiva post occursum graduum triginta , ut erat ante occursum.

311. *Quintum Theorema est.* *Si duo corpora eadem celeritate singula ad occursum revertantur, qua ab impulso resilierint, singula post alterum impulsu eamdem acquirent velocitatem, qua ferebantur ante occursum primum.* Nam si corpora A , & B , quorum masse sunt 5 & 1 moveantur ad partes contrarias cum velocitatibus, quae sint ut 24 & 6 , ea post occursum tendent versus unam partem cum velocitatibus, quae sunt ut 14, & 44. Quod si vero eadem corpora moveantur versus unam partem cum velocitatibus, quae sint ut 14 , & 44, post occursum resilient cum velocitatibus, quae sunt ut 24 & 6 , ut facile est colligere ex regulis superius adductis.

Sex.

*Sextum Theorema est. Corporibus duobus sibi mutuo
occurrentibus non semper post impulsum eadem motus
quantitas in utroque simul sumpto conservatur, que
fuit ante, sed ea vel augeri potest, vel minui. Id accidit
quando corpora sibi mutuo obviam eunt; tunc enim
differentia motuum ante, & post occursum manet ea-
dem; sed quod attinet ad summam ea modo augetur,
modo vero minuitur.*

*312. Septimum Theorema ita se habet. Si corpus
majus minori quiescenti occurrat, minorem ei velocita-
tem dat, quam duplam sua. Hic primum notandum est,
quando corpus unum occurrit alteri quiescenti tria con-
tingere posse. I, ut corpus quiescens sit æquale corpori
occurrenti, quo casu tota occurrentis velocitas trans-
fertur in corpus quiescens. II, ut corpus quiescens ma-
jus sit corpore occurrente, quo casu pars tantum velo-
citatris corporis occurrentis transfertur in corpus quie-
scens. III, ut corpus quiescens sit minus corpore oc-
currente; & tunc corpus quiescens adquirit ex percus-
sione majorem velocitatem, quam est velocitas corporis
percutientis. Sed tamen ex hoc Theoremate velocitas
ista minor est duplo velocitatis corporis occurrentis.
Nam si corpora A, & B sint inter se ut 3 ad 1, & A ir-
ruat in B cum 24 gradibus velocitatis, corpus B lucra-
bitur in percussione gradus 36 velocitatis, qui tamen
minores sunt gradibus 48, scilicet duplo velocitatis
corporis occurrentis. Si corpora sint inter se ut 7 ad 1,
corpus quiescens B adquiret in percussione gradus 42
velocitatis: quod si vero sint ut 23 ad 1, idem corpus
B adipiscetur gradus 46 velocitatis. At quantumvis ma-
gnum ponatur corpus A numquam tamen accidet, ut
velocitas corporis B sit gradum 48, quemadmodum ex
calcule facile est colligere. Octavum Theorema est. Si
corpora duo sibi ex adverso occurrant, quorum magnitu-
dinibus celeritates contraria ratione respondeant, utrum-
que eadems, qua accessit, celeritate reficiet: Nam si corpo-
ra A & B, quorum massæ sunt inter se ut 8 ad 7, sibi
mutuo obviam eant cum velocitatibus, que sint ut 25
ad 24, hoc est in reciproca corporum ratione, ea refi-
cient;*

lient cum iisdem velocitatibus 21, & 24, ut facile ex calculo est colligere. Nonum Theorema ita se habet. *Celeritas, quam majus corpus dat minori quiescenti ad eam, quam, simili velocitate, minus imprimit quiescenti majori eamdem habet rationem, quam majoris magnitudo ad minoris magnitudinem.* Nam si corpora A, & B fuerint ut 4 ad 1, & corpus A irruat in corpus quiescens B cum decem gradibus velocitatis, corpus B lucrabitur ex percussione sexdecim gradus velocitatis. Quod si vero B irruat in A etiam cum decem gradibus velocitatis, corpus A lucrabitur ex percussione quatuor gradus velocitatis; adeoque velocitas, quam corpus majus A dat minori quiescenti B ad eam, quam simili velocitate minus B imprimit majori quiescenti A eamdem habet rationem, quam majoris magnitudo habet ad magnitudinem minoris.

312. *Decimum Theorema ita se habet. Duobus corporibus sibi mutuo occurrentibus, id quod efficitur descendere singulorum magnitudines in velocitatum suarum quadrata simul additum ante, & post occursum corporum aequaliter invenitur.* Nam primo si corpora A, & B fuerint inter se ut 2 ad 1, & corpus A occurrat quiescenti B cum 20 gradibus velocitatis, corpus B fugiet post occursum cum 30 gradibus velocitatis, corpus vero A insequetur cum 10: & manet summa productorum ex corporibus in quadrata suarum velocitatum ante occursum $1200 + 0 = 1200$ aequalis summæ productorum ex iisdem corporibus in quadrata suarum velocitatum post occursum $200 + 900 = 1200$. Secundo si corpora A, & B fuerint quoque ut 3 ad 1, eaque tendant ad partem unam cum velocitatibus quæ sint inter se ut 25, & 5, post occursum corpus B fugiet cum 25 gradibus velocitatis, corpus vero A insequetur cum 15; & manet summa productorum ex corporibus in quadrata suarum velocitatum ante occursum $1875 + 25 = 1900$ aequalis summæ productorum ex corporibus in quadrata suarum velocitatum post occursum $675 + 1225 = 1900$. Denique si corpora A, & B fuerint pariter ut 3 ad 1, eaque

que tendant ad partes contrarias cum velocitatibus, quæ sint inter se ut 15 ad 5, corpus B resiliet ab occursum cum velocitatis gradibus 25, corpus vero A insequetur cum gradibus 5 velocitatis; & manet summa productorum ante occursum ex corporibus in quadrata suarum velocitatum $675 + 25 = 700$ æqualis summae productorum post occursum ex corporibus in quadrata suarum velocitatum $75 + 625 = 700$.

314. Undecimum Theorema tale est. Si quod corpus majori, vel minori quiescenti obviam pergit, majorem ei celeritatem dabit per interpositum corpus mediae magnitudinis itidem quiescens, quam si nullo intermedio ipsi impingatur. Maximam vero velocitatem tunc conferet, quum corpus interpositum fuerit medium proportionale inter extrema. Moveatur corpus A versus C, quod quiescat, sitque A majus, vel minus ipso C: atque inter utrumque medium ponatur corpus B immotum, & mediocris magnitudinis, ita ut A primum impellat B, deinde vero B impellat C; dico majorem motum sic adquiri corpori C, quam si simpliciter ei occurrisset A. Sint enim corpora A, B, & C ut 8, 4, & 1, atque A quidem impellatur cum velocitatis gradibus 72. Si A simpliciter occurrat corpori C, ipsum adquiret ex percussione gradus 128 velocitatis. At vero si corpus A primum impellat corpus B, deinde B impellat corpus C, idem corpus C adipiscetur gradus $153\frac{1}{3}$ velocitatis; adeoque majorem velocitatem adquiret per interpositum corpus mediae magnitudinis quiescens, quam si nullo intermedio ipsi impingatur. Idem ostendetur si corpus majus A quiescat, & minus C impellatur adversus A. Quod autem maxima velocitas tunc adquiratur alterutri corpori quiescenti, quum corpus magnitudinis intermediæ medium est proportionale inter corpora præcipua, id quidem ita ostendetur.

315. Ponatur corpus mobile = a, corpus immotum = b, & corpus intermedium, cuius magnitudo cognoscenda est = x; ponaturque præterea velocitas corporis mobilis = c. Et jam si corpus a irruat in corpus

INSTITUTIONUM LIB. I. 191

pus x cum velocitate c , communicabit ei velocita-
 $\frac{2ac}{a+x}$
 tem $\frac{a+x}{2ac}$. Insuper si corpus x occurrat corpori quie-
 scenti b cum velocitate $\frac{2ac}{4acx}$, communicabit ei velo-
 citatem $\frac{a+x}{ab+ax+bx+xx}$: & quoniam velocitas ista ma-
 xima esse debet: per ea quae ostenduntur in *Analyse In-*
finitorum necesse est, ut fluxio ejus vel nulla sit, vel
 $\frac{4acx}{ab+ax+bx+xx}$
 infinita: atqui fluxio quantitatis $\frac{4a^2cbdx}{4acxxdx}$ est
 $\frac{ab+ax+bx+xx}{ab+ax+bx+xx}$: itaque eadem met fluxio constitui
 $ab+ax+bx+xx$
 debet æqualis nihilo; ex qua æquatione colligitur primo
 $4a^2cbdx = 4acxxdx$, deinde vero $\sqrt{ab} = \sqrt{ab}$. Scilicet
 quando corpus magnitudinis intermediæ medium est
 proportionale inter duo corpora præcipua, tunc maxi-
 ma alterutri ipsorum velocitas adquiritur.

316. *Duodecimum*, atque novissimum Theorema est.
 Quo plura corpora interponentur inter duo inæqualia,
 quorum alterum quiescat, alterum moveatur, eo major
 motus quiescenti conciliari poterit. *Maximus autem*
 per unamquamque interpositorum multitudinem ita con-
 feretur, si interposita cum extremis continuam propor-
 tionalem seriem constituent. Id quod ex Theoremate su-
 periori luculentissime colligitur. Si corpora centum
 ex ordine dentur in proportione dupla, incipiatque
 motus à maximo versus minimum, invenitur, sub-
 dueto calculo ad præceptum regulæ superiori articulo
 traditæ, sed in compendium redactæ, quod celeri-
 tas corporis minimi ad celeritatem, qua movebatur
 maximum sit quamproxime ut 1476000000 ad 1. Si
 vero à minimo motus incipiat, augetur in universum
 motus quantitas secundum illam proxime rationem,
 quæ est inter 1, & 467700000000.

CA-

CAPUT SEPTIMUM

*De Corporum adscensu, vel descensu
rectilineo.*

317. **H**A&tenus de motu corporum disputavimus in hypothesi, quod ea æquabiliter incederent. Videndum proxime quibus legibus contineatur motus corporum variabilis, sive is sit acceleratus, sive sic retardatus. Et quoniam in cursu corporum accelerato motus continuo intenditur, in retardato vero continuo reinititur, necesse est utroque casu vim aliquam addat, quæ perpetuo agens in corpora, aliquid motus addat semper iis, vel detrahatur. Hujusmodi profecto est vis gravitatis, sive vis illa, qua corpora sibi relata descendunt versus Tellurem: etenim ejus actio jugis est atque continua: ideoque corpora, quæ descendunt, continuo debent accelerari, quæ vero adscendunt continuo debent retardari.

318. Vis autem gravitatis, quæ accelerationem, & retardationem motus in corporibus producit, considerabitur hoc loco à nobis ut constans, atque immutabilis. Quamquam enim, ut alibi ostensurus ero, gravitas ejusdem corporis augeatur in accessu ad centrum Telluris in certa quadam ratione, minuatur vero in eadem ratione, sed inversa, in ejus recessu à centro Telluris: tamen quia hic motus corporum adscendentium, vel descendantium non adeo longe à Telluris superficie peracti existimantur, tantillum erit altitudinum discrimen, ut ipsum instar nihili habeat, adeoque nullum sensibile incrementum, vel decrementum inducat in corporum gravitates.

319. Et quoniam corpora adscendendo, vel descendendo moveri possunt tum in lineis rectis, quam in lineis curvis, de utroque adscensu, atque descensu hic agere instituimus; ita tamen ut prius ratio, atque leges adscensus, vel descensus rectilinei persequendæ à nobis sint.

fint. Supponemus autem primo corpora adscendere, vel descendere secundum lineas perpendiculares ad horizontem: tum vero ea adscendere, vel descendere secundum lineas ad horizontem obliquas effingemus. Præterea in his omnibus resistentiam aeris, tamquam nullius momenti reputabimus: ideoque motus corporum vel in medio non resistente peragi, vel in spatio absolute vacuo fieri existimabimus; id quod in superioribus etiam adsumptum est. Neque quidquam verebimur gravem Renati Cartesii censuram, qui quin intellectus est summum Virum Galilæum Galilæi expensis leges descensus corporum gravium in vacuo, sic eum acriter reprehendisse dicitur. *Prius videndum ipsi erat, an corpora descendere possent in vacuo, deinde vero quibus legibus perageretur descensus.*

I.

De gravium corporum descensu, atque ascensu perpendiculari.

320. **Q**uemadmodum spontaneus descensus corporum versus Telluris superficiem eorum gravitati tribuendus est, ita eidem gravitati ferri debet acceptum, quod corpora inter decidendum continuo accelerentur. Est enim gravitas certa quædam vis, quæ indesinenter sollicitat corpora ad descendum; adeoque sicuti globus, quem singulis temporis articulis vis aliqua recens versus eamdem partem impellit, magis magisque incitatur ad progrediendum longius versus illam partem: ita necesse est quoque idem accidere corporibus gravibus descendantibus, ut potest quævis gravitatis perpetuo impellantur deorsum. Et quoniam actio gravitatis supponitur hic constans, atque continua, facile inde erit colligere motum gravium perpendiculariter ad horizontem decidentium esse motum æquabiliter acceleratum: usque adeo, ut si corpus aliquod descendens aliquam velocitatem sibi in fine

N

certi

certi temporis comparaverit, illud tempore duplo duplam velocitatem, in triplo triplam, in quadruplo quadruplicem tibi comparabit. Et generaliter in tempore, quod sit ad tempus prius ut m ad 1 comparabit tibi velocitatem, quæ erit ad velocitatem in priori tempore adquisitam etiam ut m ad 1.

321. Diviso enim tempore in partes æquales, & infinite parvas, certum est corpus descendens singulis his temporis particulis æquales impulsus à gravitate excipere, & consequenter nova ei semper accedere velocitatis incrementa, quæ & æqualia erunt inter se, & singula proportionalia erunt æqualibus instantibus gravitatis. Nam, ut supra demonstratum est, motus geniti in corporibus sunt ut vires, & tempora conjunctim. itaque, obtinente hic æqualitate temporum, & virium, motus geniti in eodem corpore gravi, immo & velocitates ipsæ, quibus, dato corpore, motus sunt proportionales, æquales erunt. Igitur si prima temporis particula corpus grave adquisivisse ponatur velocitatem a , secunda particula temporis adipiscetur tantumdem velocitatis; adhuc tantumdem in tertia, atque ita deinceps; adeoque ut tempus duplum est, vel triplum, vel utcumque multiplum, ita velocitas dupla erit, vel tripla, vel utcumque multipla. Ex quo consequitur motum gravis descendens esse motum æquabiliter acceleratum.

322. Hoc ostendo, quod totius doctrinæ de gravium descensu balis est, atque fundamentum, ad cætera demonstranda non difficulter progrediemur. Primo autem ostendemus velocitates omnes à corpore gravi in fine quorumvis temporum adquisitas repræsentari posse per triangulum rectangulum ABC (Fig. 38.) indefinite prodigium. Exponat enim latus BC velocitatem adquisitam in fine certi temporis, quod tempus repræsentetur per latus alterum AB: dico velocitatem adquisitam in fine cujusvis alterius temporis AP, vel AQ designari per longitudinem perpendicularis PM, vel QN. Nam quum, ob triangula similia ABC, AQN, sit AB ad BC ut AQ ad QN, erit permutando AB ad AQ ita BC ad QN: atqui AB est ad AQ, ex hypothesi, ut tempus ad tempus:

pus: tempus autem ad tempus est ut velocitas in fine primi temporis adquisita ad velocitatem in fine secundi temporis adquisitam: quare, ob aequalitatem rationum, erit velocitas adquisita in fine temporis AB ad velocitatem paratam in fine temporis AQ ita BC ad QN. Unde, quum BC designet velocitatem adquisitam à corpore in fine temporis AB, necesse erit QN repræsentare velocitatem ab eodem corpore sibi comparatam in fine temporis AQ.

322. Secundo demonstrabimus ope ejusdem trianguli rectanguli ABC indefinite producti repræsentari posse spatia omnia, qua in fine quorumvis temporum corpus grave decidendo descriptis. Scilicet si rectæ AP, AB, AQ referant tempora casus, & perpendiculares rectæ lineæ PM, BC, QN ad hypotenulam AN pertingentes designent velocitates in fine illorum temporum adquisitas, spatia iisdem temporibus descripta designabuntur per triangula rectangula APM, ABC, AQN: id quod ex iis, quæ dicta sunt ad calcem Capitis secundi hujus sectionis manifestissime colligitur. Et quoniam spatium descriptum tempore AP designatur per triangulum APM, spatium vero descriptum tempore AB designatur per triangulum ABC, sequitur spatium descriptum tempore PB designatum iri per trapetum PBCM: & similiter spatium descriptum tempore BQ designatum iri per trapetum BQNC; spatium vero descriptum tempore PQ repræsentatum iri per trapetum PQNM. Sed notandum est, corpus grave ad describenda spatia APM, ABC, AQN è quiete decidere; sive etiam ingredi cursus istos cum nulla prorsus velocitate: quum tamen ad peragranda spatia PBCM, PQNM, BQNC haud quidem decidat ex quiete, sed duorum priorum spatiorum descriptionem diatus cum velocitate PM, tertii vero spatii descriptionem incipiat cum velocitate BC.

324. Tertio ostendemus spatium à corpore gravi & quiete decidente certo quodam tempore descriptum dividimus esse ejus spatii, quod idem corpus describeret, si velocitate in fine illius temporis adquisita tantum de temporis aquabiliter progrederetur. Scilicet ostenden-

dum est spatium descriptum à corpore gavi è quiete decidente in quovis tempore AQ dimidium esse ejus spatii, quod idem corpus æquabiliter describeret, si velocitate QN ultimo adquisita moveretur per idem tempus AQ. Nam spatium descriptum à corpore gravi è quiete decidente in tempore AQ designatur per triangulum rectangulum AQN: spatium vero descriptum ab eodem corpore æquabiliter lato cum velocitate QN in eodem tempore AQ designatur per rectangulum contentum ex AQ, & QN ex tempore scilicet, & velocitate itaque quum triangulum AQN sit dimidium rectanguli ex AQ in QN, consequtur spatium à corpore gravi è quiete decidente descriptum in tempore AQ dimidium esse ejus spatii, quod ab eodem corpore describeretur æquabiliter, si latum velocitate ultima QN moveretur tantumdem temporis AQ.

325. Et denique demonstrabimus spatia descripta à corpore gravi decidente è quiete computata ab initio motus esse in ratione duplicata quum temporum, tum velocitatum. Scilicet ostendemus spatium descriptum à corpore gravi decidente à quiete in tempore duplo esse quadruplum, in triplo esse nonuplum, in quadruplo sexplum: & generaliter spatium descriptum in tempore n esse ad spatiū descriptū in tempore 1 ut n² ad 1. Similiter ostendemus, quando corpus comparavit sibi velocitatem duplam, tunc temporis spatium descriptum esse quadruplum illius, quod descriperat tunc, quum velocitatem simplicem sibi comparaverat; quando vero comparavit sibi velocitatem triplam, tunc spatium descriptum esse nonumplum; & generaliter quando comparavit sibi velocitatem, quæ est ad velocitatem priorem ut n ad 1, spatium descriptum esse ad spatiū prius ut n² ad 1. Nam triangula APM, ABC, AQN, quæ spatia descripta ab initio motus repræsentant, quum similia sint inter se, rationem habent duplicatam tum laterum AP, AB AQ, quæ tempora respective repræsentant, quum laterum PM, BC, QN, quæ velocitates respective designant. Quumque spatia descripta sint in duplicata ratione tum velocitatum, quum

temp-

temporum, erunt *velocitates*, & *tempora in ratione subduplicata spatiorum descriptorum.*

326. Quamobrem si tempora sumuntur ut numeri naturales 1. 2. 3. 4. 5. 6. & cæt. velocitates adquisitæ à corpore decidente è quiete in fine eorumdem temporum (quas velocitates rationem temporum servare supra demonstratum est) erunt ut iidem numeri naturales 1. 2. 3. 4. 5. 6. & cæt: spatia autem descripta in fine eorumdem temporum, quæ spatia duplicatam habent rationem quæcum temporum, tum velocitatum, erunt ut quadrata 1. 4. 9. 16. 25. 36. & cæt. numerorum naturalium. Ubi advertendum est spatia hic numerari ab initio casus: nam si ea spatia perpendamus, quæ temporis particulis æqualibus describuntur, inveniemus ea ab origine esse inter se, ut sunt numeri impares 1. 3. 5. 7. 9. 11. & cæt. Etenim spatium descriptum in prima temporis particula est 1, spatium vero descriptum in secunda, & prima particula temporis est 4; ideoque quod describitur secunda tantum particula temporis est 3. Præterea spatium descriptum tribus primis temporis particulis est 9: itaque quæcum spatium descriptum in primis duabus sit 4, erit spatium descriptum in tertia sola particula temporis 5. Insuper spatium descriptum primis quatuor temporis particulis æqualibus est 16; itaque quæcum spatium descriptum in tribus primis sit 9, supererit spatium descriptum in quarta sola particula temporis 7. Eadem ratione ostendetur spatium descriptum in quinta sola temporis particula esse 9: spatium vero descriptum in sexta sola temporis particula esse 11, atque ita deinceps.

327. Atque his legibus peragitur descensus perpendicularis corporum gravium: ad census vero contrariis omnino legibus expeditur; id quod inde constare potest, quia motus gravium adscendentium est *aquabiliter retardatus*. Etenim ex velocitate illa, cum qua grave sursum projectum est singulis temporis particulis æqualibus, & infinite parvis decedunt singulæ particulae sequales velocitatis, quas actio gravitatis ei tribuit deorsum, Unde motus eousque languescat, donec pe-

nitus extinguitur. Et quia gravitas actionem suam numquam intermitit, ex illo tempore corpus grave incipiet descendere deorsum. Facile autem erit ostendere, quod si grave corpus descendat ex aliqua altitudine, atque velocitate ultima adquisita projiciatur deorsum sursum, ipsum redire debeat ad eamdem praece altitudinem in eodem temporis intervallo. Nam utroque tempore adscensus, atque descensus diviso in particulas aequales, & infinite parvas, erunt singula decrementa velocitatis in adscensu æqualla singulis incrementis in descensu; adeoque summa incrementum in descensu, sive ipsa velocitas in fine motus adquisita, adæquabit summam decrementorum, quæ corpus grave æquali tempore ascendendo passum est. Äequali igitur tempore gravi adscendentì decedit tantum præcise velocitatis, quantum adquisiverat in descensu. Ex quo non modo sequitur corpus grave in fine totius temporis adscensurum esse ad eam præcise altitudinem, unde decidit, verum etiam in fine quarumvis temporum pervenit, utrum ad ea loca, in quibus descendendo reperiebatur initio temporum correspondentium.

II.

De gravium corporum descensu, atque adscensu obliquo.

328. **V**Idendum modo est de gravium descensu, adscensuque obliquo rectilineo: nempe ex pendulum est, quibus legibus peragatur descensus, atque adscensus corporum gravium super planis inclinatis. In quo faciendo supponemus nullum ex scabricie plani, nullum ex scabricie corporis, nullum denique ex utriusque contactu impedimentum ipsi corpori adscendentì, vel descendenti advenire. Principio autem illud oportet cognoscere, quanta pars gravitatis decedat corpori, quod plano inclinato incumbit; sive potius quanta pars gravitatis substipeatur à piano, quanta ve-

ro sollicitet grave ad descendendum. Nam id quidem experientia compertum est, nonnullam gravitatis partem substineri à piano inclinato; quæ quidem pars eo major est, quo magis planum est inclinatum, sive quo minus planum deflectit ab horizontali piano, eo vero est minor, quo minus planum est inclinatum, sive quo magis planum accedit ad planum verticale. Videmus siquidem nullam omnino vim requiri ad substituenda corpora piano horizontali incumbentia; aliquam potulari ad substituenda corpora piano inclinato inhærentia, quæ quidem minor est, vel major, pro majori, vel minori plani obliquitate; denique ad substituenda corpora, quæ planum verticale levissime contingunt, summam vim necessariam esse experimur.

329. Referat itaque AB (*Fig. 39.*) planum horizontale, BC planum inclinatum, & AC planum verticale: incubat autem corpus grave D piano inclinato CB in loco D. Ducatur per punctum D linea verticalis DX, cuius quævis portio DE exponat integrum corporis D gravitatem, scilicet gravitatem illam quam exerceret contra filum, cui, liberrime pendens, esset adligatum; ex puncto autem E demittatur super piano inclinato perpendicularis EF. Et jam vis gravitatis DE dissolvetur in vires duas DF, FE, quarum quidem prior DF dirigitur secundum ipsam plani inclinati longitudinem, altera autem EF directionem habet perpendiculararem ad ipsum planum. Et quoniam vires duæ DF, FE tantum possunt, quantum potest vis sola DE: sive corpus D urgeatur vi sola verticali DE, sive urgeatur viribus duabus DF, FE, idem prorsus erit. Unde quia corpus D vi PE premit planum CB perpendiculariter: siquidem revixus plani minor sit vi premente, ipsum cedat necesse est versus partem illam, versus quam tendit ea vis: si vero illi aut æqualis sit, aut major, ut supponimus, ea destruetur, manebitq; in corpore D vis reliqua DF. Ea autem quum vergat deorsum secundum plani longitudinem incitat corpus D ad descendendum versus illam partem. Ex quibus sequitur vim integrum gravitatis corporis D, partem illam, quæ substitutus à piano inclinato.

nato CB, & reliquam partem, quæ compellit corpus ad descendendum secundum longitudinem plani inclinati esse inter se, ut se habent latera DE, FE, DF trianguli rectanguli DEF respectice. Ubi notandum est, quod si recta linea DE, quæ integrum corporis gravitatem exponit, adsumpta fuisset longior, aut brevior, longiora etiam, aut breviora evalissent latera DF, FE, tamen eorum cum recta DE rationes eadem pro rata mansissent.

330. Et quoniam triangulum DEF simile est triangulo CAB, erit I. DE ad DF ut CB ad CA. II. DE ad EF ut CB ad BA. Et III. DF ad FE ut CA ad AB. Itaque quum DE sit ad DF ut integra vis gravitatis ad eam ipsius partem, quæ compellit corpus ad descendendum: erit propter rationum æqualitatem ut CB ad CA, sive etiam ut longitudine plani ad altitudinem plani, ita integra vis gravitatis ad eam partem, qua corpus descendere nititur deorsum. Præterea quum sit DE ad EF ut integra vis gravitatis ad eam ipsius partem, quæ substinetur à plano, erit propter rationum æqualitatem ut CB ad BA, sive etiam ut longitudine plani ad ejus basim, ita integra vis gravitatis ad eam ipsius partem, quæ substinetur à piano inclinato. Denique quum sit DF ad FE ut pars illa gravitatis, qua corpus descendere nititur deorsum ad partem reliquam à piano substinentem; erit etiam propter rationum æqualitatem ut CA ad AB, sive etiam ut altitudine plani ad ipsius basim, ita pars illa gravitatis, qua corpus descendere nititur densum ad partem reliquam à piano substinentem.

331. Quod si consideremus, in triangulo CAB adsumpta recta BC, quæ est plani longitudine pro radio, sive finni toto, altitudinem CA evadere finum anguli CBA inclinationis plani ad horizontem, basim vero AB fieri cosinum ejusdem anguli: poterunt tria superiora Theorematata sic aliter pronunciari. *Primum. Integra vis gravitatis est ad illam partem ipsum, qua corpus nititur descendere deorsum secundum plani longitudinem ut finus totus ad finum anguli inclinationis plani ad horizontem.* Ex quo sequitur *secundum. illam, qua corpus grave nititur descendere deorsum eo esse minorem, quo major fuerit inclinatio.*

inclinatio plani ad horizontem , usque adeo ut in ipso
plano horizontali nulla prouersus sit vis incedendi secun-
dum ejus plani longitudinem . *Secundum . Integra vis*
gravitatis est ad eam ipsius partem , qua substatetur à
plano inclinato quemadmodum se habet sinus totus ad co-
sinus anguli inclinationis plani ad horizontem . Et quo
sequitur partem illam gravitatis , qua substatetur à pla-
no eo esse minorem , quo minor fuerit inclinatio plani
ad horizontem , usque adeo ut in plano verticali nulla
omnino pars gravitatis substatetur ab eo . Tertium .
Pars illa gravitatis , qua grave corpus nititur descendere
deorsum secundum plani longitudinem est ad partem
reliquam , qua substatetur à plano ut sinus anguli incli-
nationis plani ad horizontem ad cosinum eiusdem anguli .
Itaque quando angulus inclinationis est graduum 45 ,
quia ejus sinus æqualis est ejusdem cosinui , corpus , qua
vi conabitur deorsum descendere , eadem planum per-
pendiculariter urget . Quando vero angulus inclina-
tionis minor est gradibus 45 , tunc quia sinus ejus an-
guli minor est ejusdem cosinui , corpus minori vi cona-
bitur deorsum descendere , majore vero vi planum ur-
gebit . Denique quando angulus inclinationis excedit
gradus quadragintaquinque , eo casu corpus minore vi
adnitetur deorsum descendere , inajore vero vi subje-
ctum planum comprimet .

332. Quapropter , corpore pleno inclinato incum-
bente , pars quidem gravitatis ipsius substatetur à plano ,
pars reliqua sollicitat illud ad descendendum deorsum
secundum ipsius plani longitudinem . Id quam extra
omnem dubitationem positum sit , demonstrare tamen
oportet , unde accidat , ut in planis inclinatis quædam
corpora hærent , quædam alia ruant deorsum . Equi-
dem si nulla sit in plano , nullaque in corpore scabri-
cies , & præterea si nulla sit vis cohæsionis corporis
cum piano , qua à contactu proficitur , profecto om-
nia corpora decasura forent deorsum . Nunc si videmus
corpora aliqua in planis inclinatis hærente suspensa , di-
cendum est id oriri vel ex scabrie corporis , vel ex
scabrie plani , vel ex contactu corporis cum piano :

Et sa-

Et sane corpus sphæricum positum super piano inclinato quam fieri maxime potest levissimo, deorsum semper ruit, quamquam plani inclinatio sit maxima: hoc est quamquam exigua sit vis in corpore sphærico decidendi deorsum. Insuper videmus, quo major est contactus corporis cum piano, eo minorem in piano obliquitatem postulari, sive potius eo majorem in corpore vim requiri, ad hoc ut ipsum ruere possit deorsum.

333. In uno quoque igitur corpore, quod piano inclinato incumbit tres vires considerari possunt. *Prima* est vis illa, qua ipsum comprimit planum perpendiculariter: quæ quidem vis neque adigit corpus ad descendendum secundum longitudinem plani, neq; quidquam impedimenti adserit ei descendenti. *Secunda* est vis illa, à qua corpus pertrahitur deorsum secundum plani longitudinem, quæ quidem major est in piano minus inclinato, minor vero in piano magis inclinato. Et *tertia* denique est vis cohaerentis corporis cum piano, quæ & à scabrie, & ab eorum contactu dependet; eaque in omnibus plani obliquitatibus eadem est. Quum isthac cohaerentis vis vel æqualis est, vel major vi illa, qua corpus descendens nititur deorsum, ipsum maneat oportet immobile super piano; quum vero minor est deorsum ruet. Itaque corpus, quod in quadam plani obliquitate manet suspensum, in minori obliquitate ruet deorsum. Contra corpus, quod in quadam plani obliquitate fertur deorsum, in majori ejusdem plani obliquitate manebit suspensum.

334. Ex eo autem quod vis *integra gravitatis* sit ad eam partem ipsius, qua corpus nititur descendere deorsum secundum longitudinem plani inclinati semper in ratione data radii, sine sinus totius ad sinum anguli inclinationis, nullo negotio colligitur vim illam, quæ adigit corpus ad descendendum super piano inclinato eamdem perpetuo permanere. Si enim augeretur, vel minueretur, augeretur etiam vel minueretur proportionaliter vis *integra gravitatis*, quam tamen nos constantem supponimus. Unde quemadmodum motus gravium perpendiculariter descendens est *æquabilis*

liter acceleratus, motus vero eorumdem gravium perpendiculariter adscendentium est æquabiliter retardatus, ita eodem prorsus ratiocinio ostendetur corpora adscendendo, vel descendendo per plana inclinata æquabiliter retardari, vel accelerari: quamquam retardatio, vel acceleratio, quam subeunt corpora gravia in planis inclinatis sit aliquanto minor ea, quam subeunt gravia adscendendo, vel descendendo perpendiculariter.

335. Quapropter si grave corpus descendat per planum aliquod inclinatum, velocitates adquisitæ in fine quorumvis temporum erunt ut ipsa tempora. Insuper spatia descripta erunt in ratione duplicata tum temporum, quam velocitatum; sive quod eodem redit velocitates, & tempora erunt in ratione spatiiorum descriptorum subduplicata. Adeoque hic etiam, si tempora sumuntur ut numeri naturales 1. 2. 3. 4. 5. 6. &c. et. velocitates adquisitæ à corpore secundum longitudinem plani inclinati decidente in fine illorum temporum erunt ut iidem numeri naturales 1. 2. 3. 4. 5. 6. &c. et. spatia autem descripta computata ab initio motus erunt ut quadrata 1. 4. 9. 16. 25. 36. &c. et. numerosum naturalium: quæ vero describuntur in particulibus æqualibus temporis ordine se se excipientibus ab origine erunt inter se, ut numeri impares 1. 3. 5. 7. 9. 11. &c. Præterea spatium à corpore gravi è quiete secundum longitudinem plani inclinati decidente certo quodam tempore descriptum dividitur erit ejus spatii, quod idem corpus describeret, si velocitate in fine illius temporis adquisita tantumdem temporis æquabiliter progrederetur. Denique si grave corpus descendendo certam planum inclinati partem pertranseat, idem velocitate ultimo adquisita si adscendere incipiat, eamdem partem in eodem temporis intervallo remitteret. Quæ quidem omnia consequuntur ex eo, quod motus corporis descendens, vel adscendentis secundum longitudinem plani inclinati sit aut æquabiliter acceleratus, aut æquabiliter retardatus.

III. De

III.

*De motuum per diversa plana inclinata
factorum comparatione.*

336. Supereft, ut motus corporum per diversa plana inclinata descendantium inter se mutuo conferamus. Esto CB (*Fig. 40.*) planum quodvis inclinatum, AB planum horizontale, & CA planum verticale: eodem autem tempore decidere supponan tur ex loco C duo corpora æqualia, alterum perpendiculariter secundum CA, alterum oblique secundum declive planum CB. Et jam quia vis, quæ cogit corpus ad descendendum verticaliter est ad vim, quæ cogit idem, vel æquale corpus ad descendendum oblique, ut se habet radius ad finum anguli inclinationis: tum momentanea motus, sive etiam velocitatis incrementa, (hic enim quia corpora æqualia supponuntur, motus geniti sequuntur rationem velocitatum) quum spatia momentanea ab ipsis descripta erunt in eadem ratione radii ad finum anguli inclinationis: adeoque componendo erit I. *velocitas adquisita à corpore descendente verticaliter ad velocitatem eodem tempore adquisitam ab eodem, vel æquali corpore descendente secundum planum declive CB ut se habet radius ad finum anguli inclinationis, sive etiam ut CB ad CA.* Et II. *spatium descriptum à corpore descendente verticaliter erit ad spatium eodem tempore descriptum ab eodem vel æquali corpore descendente secundum planum declive CB etiam ut se habet CB ad CA.*

337. Demittatur nunc perpendicularis AX ad planum CB; dico CX, & CA æquali tempore describi ab eodem, vel æqualibus corporibus decidentibus secundum CB, & CA. Si enim fieri potest, sit CD portio plani declivis, quæ describitur eodem tempore, quo describitur CA. Erit itaque CA ad CD ut radius ad finum anguli inclinationis, sive etiam ut CB ad CA. Atqui CB est ad CA ut CA ad CX; quare propter rationum æqualitatem

litate erit quoque ut CA ad CD, ita eadem CA ad CX; ex quo sequitur partem CX toti CD aequalē esse: quod absurdum est. Dico præterea velocitatis adquisitas ab eodem, vel aequalibus corporibus, quando deveniunt ad loca A, & B in eadem linea horizontali constituta, aequalia esse inter se. Nam quum CA, & CX eodem tempore describantur, velocitates autem adquisitæ in fine temporum aequalium à corporibus aequalibus decidentibus secundum CA, & CB sint inter se ut radius CB ad sinum anguli inclinationis CA; sive etiam ut CA ad CX: erit velocitas adquisita in loco A à corpore decidente perpendiculariter ad velocitatem adquisitam in loco X à corpore decidente oblique, ut se habet CA ad CX. Insuper velocitas in loco B est ad velocitatem in loco X in subduplicata ratione CB ad CX: nam spatia percursa rationem habent duplicatam velocitatum, quas corpus in fine illorum spatiiorum sibi comparavit. Atqui CB ad CA, sive etiam CA ad CX rationem quoque habet subduplicatam ejus, quam habet CB ad CX; quare quum velocitas in loco A ad velocitatem in loco X sit ut CA ad CX, & in eadem ratione sit velocitas in loco B ad velocitatem in loco X: erit velocitas in loco A ad velocitatem in loco X, ita velocitas in loco B ad eamdem velocitatem in loco X: ex quo sequitur velocitates in locis A, & B aequales esse inter se. Novissime ostendam tempora, quibus temporibus describuntur CB, & CA esse inter se, ut se habet radius ad sinum anguli inclinationis, sive etiam ut CB ad CA. Etenim tempus per CB est ad tempus per CX in subduplicata ratione CB ad CX; sive etiam ut CB ad CA. Atqui demonstratum est tempus per CX aequaliter tempori per CA; ergo tempus per CB est ad tempus per CA ut se habet CB ad CA.

338. Quibus præmissis, conferri nunc poterunt inter se motus corporum per diversa plana inclinata decidentium. Sunto plana declivia CB, CE, CF, (Fig. 41.) ad lineam horizontalem AB terminata, sitque CA communis planorum altitudo. Ostendemus primo velocitatem eodem tempore adquisitas ab eodem, vel aequalibus cor-

corporibus inter descendendum per plana declivia CB, CE, CF esse inter se, ut sunt sinus angulorum B, E, & F respective. Etenim velocitas adquisita in descensu per CB est ad velocitatem eodem tempore adquisitam in descensu per CA, ut sinus anguli B ad radium. Atqui velocitas adquisita in descensu per CA est ad velocitatem adquisitam eodem tempore in descensu per CE, vel per CF ut est radius ad sinum anguli E, vel F; quare ex aequali ordinando erunt velocitates adquisitae eodem tempore in descensu per plana CB, CE, CF, ut se habent sinus angulorum B, E, & F inter se.

339. Ostendemus secundo, quod, descripto circa rectam CA, tamquam diametrum, semicirculo occurrente planis in punctis X, G, & H: portiones CX, CG, CH eorumdem planorum eodem tempore describantur. Etenim conjunctis rectis AX, AG, AH, unusquisque angularum CXA, CGA,CHA erit rectus; adeoque rectæ AX, AG, AH perpendiculares erunt ad plana CB, CE, CF. Itaq; quo tempore describitur altitudo CA, eodem tempore describi necesse est portiones CX, CG, CH: ex quo deinde sequitur ipsas portiones CX, CG, CH aequali tempore peragrari. Et quoniam CX, CG, CH sunt totidem chordæ semicirculi circa diametrum CA descripti, manifestum est circuli, cuius diameter situm verticalem obtinet, chordas omnes ad supremam diametri extremitatem pertingentes eodem tempore describi, & vero describi in tempore quo peragratur ipsa diameter. Quin immo idem adfirmari quoque potest de chordis AX, AG, AH, quæ ad imam diametri extremitatem pertingunt. Nam duæ per punctum A rectis Cx, Cg, Cb, quæ parallelæ sint respective rectis AX, AG, AH; quemadmodum chordæ Cx, Cg, Cb eodem tempore describuntur, quo describitur diameter AB, ita eodem prorsus tempore describentur chordæ aequales, & parallelæ AX, AG, AH. Quapropter si circa lineam verticalem CB (Fig. 42.) describantur duo circuli se se tangentes interiori in punto C; quemadmodum tum chordæ C1, C2, C3, CA, quum chordæ C4, C5, C6, CB eodem tempore describuntur, illæ quidem tempore breviori,

viori, haec vero in tempore nonnihil diuturniorii, ita
neccesse est differentias chordarum 14, 25, 36, AB aequa-
li tempore describi, quod tempus erit differentia tem-
porum priorum.

340. Tertio ostendemus velocitates adquiescas in lo-
cis B, E, F, (Fig. 41.) quae loca sita sunt in eadene linee
horizontali AB, aequales esse inter se: nam hujusmodi
velocitates aequales sunt velocitati illi, quae adquiritur
descendendo per communem altitudinem AC. Et deni-
que ostendemus, tempora, quibus temporibus describun-
tur plana declivia CB, CE, CF esse inter se ut sunt sinus
angulorum B, E, & F inverse. Etenim tempus per CB
est ad tempus per CA ut radius ad sinum anguli B. Pre-
terea tempus per CA est ad tempus per CE, vel per CF
ut se habet sinus anguli E, vel F ad radium: quare ex
aequali perturbando erunt tempora per CB, CE, CF re-
ciprocce ut sinus angulorum B, E, & F. Et quoniam sinus
duorum angulorum sunt reciproce, ut secantes comple-
mentorum eorumdem angulorum, ut ostenditur in Tri-
gonometricis: tempora delcensus per CB, CE, CF, quae
sunt reciproce ut sinus angulorum B, E, & F, erunt dia-
recte ut secantes complementorum eorumdem angulo-
rum. Itaque quia sumpta CA pro radio, sive sinu toto,
rectæ CB, CE, CF evadunt secantes complementorum
predictarum: erunt tempora descensus per CB, CE, CF di-
recte ut longitudines ipsæ CB, CE, CF.

341. Temperare autem me non possum, quin ad-
dam hic proportionem virium, quibus viribus idem
corpus incitatur ad descendendum deorsum secundum
diversa plana CB, CE, CF; nam id in sequentibus ali-
cuius usus futurum erit. Scilicet quum vis acceleratrix
corporis in plano CB, (ita enim appellare licet partem
illam gravitatis, quae pars incitat corpus ad descenden-
dum deorsum secundum longitudinem plani inclinati)
sit ad integrum vim gravitatis ut sinus anguli B ad ra-
diuum; vis autem gravitatis sit viam acceleratricem in
plano CE, vel CF, ut radius ad sinum anguli E, vel F,
ex aequali ordinando vires acceleratrices in planis CB,
CE, & CF erunt inter se ut sinus angulorum B, E, & F
respective.

IV. De

IV.

*De continuato corporis per plura plana
inclinata descensu.*

342. **S**unt binæ planæ inclinatae AB, BC (*Fig. 43.*) interjunctæ in loco B; descendat autem corpus per planum AB, deinde vero ingrediatur planum BC. Hic primum extra omnem dubii aleam positum est, corpus descendens haud quidem ingredi planum BC cum tota velocitate adquisita in descensu per planum AB, sed tantum cum certa parte ejus velocitatis. Exponat enim AB velocitatem adquisitam à corpore in descensu per planum AB, ducaturque ex punto A perpendicularis AX ad planum CB productum versus partem X. Et jam simplex velocitas AB corporis B distinguetur in velocitates duas AX, XB, quarum velocitatum prior perpendicularis est ad planum BC, altera vero eamdem cum illo habet directionem. Itaque corpus descendens utetur velocitate XB ad progreendiendum ulterius secundum directionem BC, velocitatem vero AX adhibebit ad percutiendum planum BC. Id autem accidere putandum est, quando neque corpus descendens, neque planum BC elæstica sunt; nam si alterutrum elæsticitate donetur, corpus descendens reflectetur à plano BC secundum leges superius exppositas. Et quoniam AB est ad BX ut se habet radius ad sinum complementi anguli ABX, sive ABC, quem duo plana continent inter se, liquet *velocitatum adquisitam in descensu per aliquod planum inclinatum esse ad velocitatem, cum qua corpus descendens ingreditur planum insequens, ut se habet radius ad cosinum anguli inclinationis planorum.* Itaque, quo major est planorum inclinatio, eo minor erit velocitas ingressus respectu velocitatis in descensu adquisitæ. Viciſſim, quo minor est inclinatio planorum, eo major erit velocitas ingressus, eoque idcirco minus erit detrimentum velocitatis factum in ingressu usque

usque adeo , ut detrimentum istud omnino contemni debeat , quando angulus ABC inclinationis planorum paulo minor est gradibus 180.

343. In hac autem hypothesi , quod plana AB , BC contineant inter se angulum graduum fere 180 , facile erit ostendere *eamdem* velocitatem sibi comparare corpus grave descendens continuato motu per plana AB , BC , ac si descenderes per altitudinem verticalem AD . Etenim duæ horizontali AZ , productaque piano CB usque ad Z , manifestum est velocitatem adquisitam in descensu per AB æqualem esse velocitati adquisitæ in descensu per ZB ; adeoque velocitatem adquisitam in descensu per plana AB , BC motu semper continuato æqualem esse velocitati adquisitæ in descensu per ZC . Atqui velocitas adquisita in descensu per ZC æqualis est velocitati adquisitæ in descensu per verticalem ZO , sive AD : ergo quantum velocitatis adquiritur corpori gravi decidendo ex altitudine perpendiculari AD , tantumdem prorsus adquiretur ei decidendo continuato motu per bina plana inclinata AB , BC . Sed eodem ratiocinio ostendetur , quod si corpus descendat continuato motu per *quotcumque* plana quamminimum inclinata inter se , velocitas adquisita in fine descensus æqualis sit ei , quam sibi parasset , si decidisset verticaliter ab eadem altitudine .

344. Vice versa si grave corpus post descensum per plana AB , BC sursum convertat motum suum , adscendet ad eamdem , unde decidit altitudinem . Nam quum gravitas eadem semper vi in eodem plano agat , sive adscendet corpus , sive descendat ; eadem erit ejus efficacia ad corporis velocitatem in adscensu minuendam , quæ fuerat ad ipsam augendam in descensu : itaque tantum esse debet decrementum velocitatis in punto B . dum adscendit mobile de C ad B , quantum fuit incrementum velocitatis adquisitum in descensu de B ad C ; ac proinde eadem erit velocitas in B , post adscensum per CB , quæ fuerat antea eodem in loco post descensum per AB . Sic etiam gravitas tantumdem detrahit à velocitate mobilis adscendendo per BA , quantum adquisitum fuerat in descensu per AB , & in punctis æque altis

O

eadem

eadem semper erit velocitas mobilis. Sed velocitas initio descentus, scilicet in puncto A nulla fuit; itaque adscendendo in puncto illo A omnis tolletur velocitas, quod idcirco erit terminus, ad quem mobile adscendendo perveniet. Manifestum autem est, demonstrationem istam locum sibi vindicare, quicumque sit numerus planorum; adeoque manet, corpus grave velocitate ultimo adquisita in descensu per plura plana inclinata ad eamdem, unde decidit, altitudinem redire deberet.

345. Præterea sunto bina plana AB, BC (Fig. 44.) quamminimum inclinata in loco B, aliaque duo plana DE, EF, quæ & planis illis proportionalia sint, & eodem modo ad horizontem inclinata; hoc est sit AB ad BC ut DE ad EF, sitque angulus ABC æqualis angulo DEF: dicto tempus descensus continuato motu per AB, BC esse ad tempus descensus etiam continuato motu per DE, EF in subduplicata ratione longitudinis AB + BC ad longitudinem DE + EF. Productis eni in planis CB, FE superne versus partes X, & Z, duæisque lineis horizontalibus AX, DZ, triangula duo ABX, DEZ, ob eamdem planorum inclinationem ad horizontem, similia erunt: adeoque erit AB ad DE ut BX ad EZ. Atqui AB est ad DE ut BC ad FF; quare propter æqualitatem rationum erit BX ad EZ ita BC ad EF; & componendo CX erit ad FZ, ut se habet BX ad EZ, sive etiam ut AB ad DE. Præterea quum AB sit ad BC ut est DE ad EF, erit rursus componendo AB + BC ad DE + EF ita AB ad DE. Ostensum est autem AB esse ad DE, quemadmodum se habet CX ad FZ; quare propter rationum æqualitatem erit AB + BC ad DE + EF ita CX ad FZ.

346. Et quoniam tempus descensus continuato motu per AB + BC æquale est temporis descensus per CX, & similiter tempus descensus continuato motu per DE + EF æquale est temporis descensus per ZF, erit tempus descensus per AB + BC ad tempus descensus per DE + EF, ita tempus descensus per XC ad tempus descensus per ZF. Atqui, quum plana CX, FZ ponantur eodem modo inclinata ad horizontem, tempus descensus per XC ad tempus descensus per ZF rationem habet

bet subduplicatam ejus, quam habet longitudo XC ad longitudinem ZF: nam tempora descensus sunt in ratione spatiorum interea descriptorum subduplicata; quare tempus descensus per AB + BC ad tempus descensus per DE + EF erit in subduplicata ratione longitudinis XC ad longitudinem ZF; itaque quum XC sit ad ZF ut AB + BC ad DE + EF; erit tempus descensus per AB + BC ad tempus descensus per DE + EF in subduplicata ratione ipsius AB + BC ad DE + EF. Manifestum est autem idem ostendi posse, si plura quam duo sint utrobique plana similiter inclinata, & proportionalia.

CAPUT OCTAVUM.

De corporum adscensu, vel descensu curvilineo: ubi de funipendulorum motu reciproco.

347. **V**is legibus corporum adscendentium, vel descendientium per plana rectilinea, expendenda sunt modo leges corporum adscendentium vel descendientium per superficies curvas; quae quidem leges ex iis, quae de continuato corporis per plura plana inclinata descensi superiori Capite demonstrata sunt, haud difficulter deducentur. Nam superficies curvae considerari possunt tamquam compositæ ex innumeris planis rectilineis magnitudinis exiguae, quorum inclinatio est infinite parva. Unde quemadmodum corpus continuato motu descendens per duo plana modice ad se inclinata nihil velocitatis amittit in lenissimo illo flexu, sive in transitu de primo plano in secundum: ita corpus continuato motu describens superficiem aliquam curvam nihil ubique velocitatis amittere cogitandum est, quamquam singulis, ut ita dicam, momentis fletere cursum, sive directionem mutare cogatur.

348. Esto AC (Fig. 45.) superficies aliqua curva, quam tangat in punto C linea horizontalis CD, sitque

O 2

Casus.

Cæ superficies alia omnino similis , & æqualis priori , eique ad unguem commissa in puncto C . Ducantur rectæ BC , Aa , quarum prior sit verticalis , altera autem sit horizontalis ; cui parallelæ agantur rectæ Mm , Nn , junganturque chordæ AC , ac ; tangent autem rectæ MX , NZ superficiem curvam AMNC in plano transiente per lineam verticalem BC , perque horizontalem Aa . Et jam , si ex puncto B decidat corpus secundum lineam verticalem BC , ex puncto autem A decidant bina alia corpora æqualia , alterum quidem secundum chordam AC , alterum vero secundum superficiem curvam AMC , quantum velocitatis adquisivisse deprehenduntur in loco C corpora ea , quæ descendunt per verticalem BC , perque chordam AC , tantumdem adquirere debet corpus descendens per superficiem curvam AMC , postquam pervenit ad eundem locum C . Et similiter velocitates adquisitæ à tribus corporibus in locis M , R , & P , vel etiam in locis N , S , & Q , quæ loca sita sunt in eadem linea horizontali , æquales pariter erunt inter se .

349. Præterea si unum ex ipsis tribus corporibus velocitate adquisita in loco C converso sursum motu adscendat per CB , alterum vero adscendat eadem celeritate per Ca , notum est ea iisdem temporis intervallis , quæ contriverunt in descensu , adscensura esse ad loca æque alta B , & a . Sed manifestum est etiam tertium corpus , si velocitate adquisita in loco C adscendere instituat per superficiem Ca , quæ omnino similis , & æqualis est superficie AC , per quam antea descendit , perventurum esse eodem tempore descensus ad punctum sublime a , quod jacet in eadem linea horizontali cum puncto A , unde ipsum deciderat . Quin immo , adscendendo , in locis m , & n easdem velocitates habere comperietur , quas descendendo habuerat in locis æque altis M , & N ; tempora autem descensus per arcus AC , MC , NC æqualia erunt temporibus adscensus per arcus similes , & æquales Ca , Cm , Cn .

350. Finge nunc corpus grave descendere ab A ad locum imum C secundum superficiem curvam AMC :

mon

non dubitandum est, quia ipsum eo magis acceleretur, quo magis discedit ab A, qui fuit locus quietis; sive etiam quo magis adpropinquat ad locum inum C. At vero quum adsequitur locum C, ubi maximum impetum adquisivisse putandum est, non potest ibi quiescere, sed opus est, ut impetu illic adquisito sursum convertat motum suum. Etenim positum est superficies curvas AC, Ca ita conjunctas esse ad unguem in loco C, ut vel nullus, vel lenissimus sit eorum flexus. Quapropter quemadmodum corpus motu accelerato ab A descendit ad C, ita idem corpus motu similiter retardato ab imo loco C redibit ad a, ubi omnem velocitatem amittet. Sed ab a rursus descendet vi gravitatis ad C, ex quo loco eadem ratione adscendet ad A, unde rursus descendet ad C, atque inde adscendet ad a; quod quidem iter eundo, & redeundo conficiet in aeternum, modo tamen nullum motui impedimentum illatum supponamus ab aeris resistentia, aut ab aliqua superficie scabie, atque inaequalitate.

351. Quoniam autem grave corpus eundo, atque redeundo per semitam curvilineam AMNCa de unis ad alia plana inclinata jugiter transit, necesse quidem est ut continuo mutetur ratio, quam ea pars gravitatis, unde acceleratio vel retardatio ortum dicit, habet ad partem illam, quae ad premendam perpendiculariter superficiem impenditur. Itaque alia erit vis, quae accelerat grave in loco M, alia vero illa, quae accelerat, idem grave in loco N: & similiter alia erit vis, quae urget perpendiculariter superficiem in loco M, alia illa, quae eamdem superficiem urget perpendiculariter in loco N. Et quoniam declivitas superficie in loco M eadem est cum declivitate tangentis MX, & similiter declivitas superficie in loco N eadem est cum declivitate tangentis NZ, sequitur vim, quae grave corpus accelerat in loco M eamdem esse cum illa, quae acceleraret grave in descensu per tangentem MX; vim autem quae urget superficiem perpendiculariter in loco M eamdem esse cum illa, quae urgeret perpendiculariter tangentem MX, sive etiam planum contingens superficiem in loco M.

co M. Et similiter vis, quæ accelerat grave in loco N eadem erit cum illa, quæ accelerat idem grave in descensu per tangentem NZ; vis autem quæ urget superficiem in loco N perpendiculariter eadem erit cum ea vi, quæ urget perpendiculariter tangentem NZ, sive etiam planum contingens superficiem in loco N. Ex quo deinde sequitur in loco, in quo tangens est verticalis vim acceleratricem esse maximam, hoc est ipsam vim gravitatis adæquare; in loco vero, in quo tangens est horizontalis vim acceleratricem esse nullam, adeoque ibi vim compressionis integrum vim gravitatis adæquare.

352. Ponamus modo superficiem EF_e esse similem similiterque positam, respectu horizontis, ipsi superficie AC_a ab initio positæ. Et jam si corpora bina descendant de locis A, & E tempora descensus usque ad loca ima C, & F, nempe tempora per arcus AC, EF erunt in ratione subduplicata ipsorum arcuum AC, EF. Atqui tempus per arcum AC_a duplum est temporis per arcum AC, tempus autem per arcum EF_e duplum est temporis per arcum EF; itaque tempus per arcum AC_a erit pariter ad tempus per arcum EF_e in subduplicata ratione arcus AC ad arcum EF. Quæ omnia quamquam universaliter vera sint, placet tamen ea duobus præclarissimis exemplis subjecere, alterum in descensu corporum per arcus circulares, alterum in descensu eorum per arcus cycloidales.

I.

De corporum adscensu, descensuque cum per arcus circulares, quam per arcus cycloidales.

353. **S**it circulus ADBd, in quo diameter quidem (Fig. 46.) AB sit perpendicularis ad horizontem, diameter vero Dd eidem horizonti sit parallela: descendat autem ex loco D versus B corpus aliquod grave.

grave. Et iis, quæ superius demonstrata sunt, constat velocitates adquisitas à corpore decidente per arcus DB, NB æquales esse velocitatibus, quas idem corpus sibi pararet decidendo ex paribus altitudinibus CB, PB, QB. Atqui velocitates istæ sunt in ratione subduplicata ipsarum altitudinum CB, PB, QB: itaque etiam velocitates adquisitæ à corpore gravi in descensu per arcus DB, MB, NB eunt in subduplicata ratione altitudinum BC, BP, BQ.

354. Et quoniam, coniunctis chordis BD, BM, BN, earum quadrata sunt respectivæ æqualia rectangulis ABC, ABP, ABQ, erunt quadrata earumdem chordarum inter se, ut sunt correspondientia rectangula ABC, ABP, ABQ. Itaque quum rectangula ista, ob communem altitudinem AB, sint inter se ut bases BC, BP, BQ, inde fit, ut quadrata chordarum BD, BM, BN eam inter se rationem habeant, quam servant rectæ BC, BP, BQ: adeoque ipsæ chordæ BD, BM, BN erunt in subduplicata ratione rectarum BC, BP, BQ. Ostensum est autem velocitates adquisitas à corpore in descensu per arcus DB, MB, NB esse in subduplicata ratione earumdem rectarum BC, BP, BQ: quare velocitates adquisitæ in descensu per arcus DB, MB, NB erunt inter se, ut chordæ, quæ arcus illos subtendunt.

355. Præterea si arcus NB sit longitudinis exiguae, ejus tum declivitas, quum longitudo non multum distabit à chorda NB. Itaque tempus descensus per arcum NB æquale fere erit temporis descensus per chordam NB, quæ arcum illum subtendit. Similiter si MB sit alter arcus etiam longitudinis exiguae, tempus descensus per hunc alium arcum MB æquale fere erit temporis descensus per chordam ejus MB. Atqui tempora descensus per chordas MB, NB sunt æqualia inter se, quemadmodum superiori Capite demonstratum est; ergo etiam tempora descensus per arcus-exiguos MB, NB erunt fere æqualia. Quod si corpora demissa ex locis M, & N velocitatibus adquisitis in puncto infimo B adscendant per arcus æquales Bm, Bn, ea pervenient eodem fere tempore ad puncta m, & n, ex quibus rursus decedent eodem

tempore ad *B*, deinde eodem tempore adscendent ad *M* & *N*, atque sic eundo ac redeundo æqualibus fere temporibus describent in æternum arcus quamminimi *NBn*. *MBm*. Tempus autem, quo tempore describuntur arcus isti quamminimi *NBn*, *MBm* æquale fere erit duplo temporis, quo eget corpus ad decidendum verticaliter ab *A* ad *B*, sive ab extremitate superiori diametri verticalis ad extremitatem inferiorem. Nam tempus illud est fere duplum temporis, quod impedit corpus ad descendendum per chordam *NB*, vel per chordam *MB*, quod quidem tempus æquale est temporis casus ab *A* ad *B*.

356. Denique sit circulus alter *HEGF*, in quo sumatur arcus *EGF* similis arcui *NBn*. Tempus descensus ab *N* ad *B* erit ad tempus descensus ab *E* ad *G* in subduplicata ratione arcus *NB* ad arcum *EG*: atqui *NB* est ad *EG* quemadmodum se habet semidiameter *CB* ad semidiametrum *OG*: quare tempus descensus ab *N* ad *B* erit ad tempus descensus ab *E* ad *G* etiam in subduplicata ratione semidiametri *CB* ad semidiametrum *OG*: scilicet si semidiameter *CB* sit ad semidiametrum *OG* ut se habet *m²* ad 1, erit tempus descensus ab *N* ad *B* ad tempus descensus ab *E* ad *G* ut *m* ad 1. Et quoniam tempus per *Nn* duplum est temporis descensus ab *N* ad *B*, & similiter tempus per *EF* duplum est temporis descensus ab *E* ad *G*, erit quoque tempus per arcum *Nn* ad tempus per arcum similem *EF* in subduplicata ratione semidiametri *CB* ad semidiametrum *OG*. Sed notandum hic est, si arcus *Nn*, *EF* sint exigui, tunc, etiam si ipsi nequaquam sint similes, non eo tamen minus tempora ad illos percurrentes consumpta rationem habere subduplicatam ejus quam habet semidiameter *CB* ad semidiametram *OG*: nam in eadem ratione sunt tempora per arcus similes exigui, qui tamen æqualibus fere temporibus describuntur cum arcibus quibusvis exiguis *Nn*, *EF*.

357. Videndum nunc est de corpore decidente per arcus cycloidales: in quo ne aliquid supposuisse videamus, placet breviter cycloidis cum genesis, quum

præ-

præcipuas proprietates indicare. Esto circulus AEBF (Fig.47.), quem tangat in puncto A recta linea ABA, superque ea moveatur idem circulus non quidem reperdo, sed circumagendo se usque donec, emensa longitudine AA, quæ iplius circumferentiam adæquat, redeat idem punctum contactus A ad rectam AA. Hoc motu punctum A describet lineam curvam AAA, quam *Cyclidem* cum *Geometris* adpellabimus; In ea recta ABA dicitur *basis*. Bisecta autem basi in puncto B, eductaque perpendiculari BA, dicetur perpendicularis ista *axis cycloidis*, qui quidem axis majorem ejus altitudinem adæquat. Circulus ANBE axi AB circumscriptus adpellatur *circulus generator*, quem quidem circulo ab inito posito æqualem esse, manifestum est.

358. Hujus lineæ curvæ quatuor sunt proprietates præcipuae. Prima est, quod demissa ex quovis puncto M perpendiculari MP ad axem AB, arcus AN adæquet rectam lineam correspondentem NM. Ponamus enim semicirculum generatorem ANB in eam devenisse positionem, ut punctum describens A incidat in punctum M, punctum autem contactus sit Q. Et jam erit arcus FQ æqualis rectæ lineæ BQ: nam singula elementa arcus FQ ita inter movendum superimposuerunt se super correspondentibus elementis rectæ lineæ BQ, ut ea congruerent inter se. Atqui educta ex puncto contactus Q perpendiculari QCD ad basim BE, (quæ quidem perpendicularis transire debet per centrum circuli generatris C), completoque semicirculo QMD, est quidem arcus QF æqualis arcui MD, recta autem BQ æqualis est rectæ PR; quaré erit quoque arcus DM æqualis rectæ PR. Præterea quum sint æquales inter se tum diametri totæ AB, DQ, quum partes earum BP, QR; partes reliqua AP, DR æquales eruunt; adeoque tum arcus AN, DM, quum sinus regi ipsorum arcuum PN, RM æquales erunt; itaque addita communi NR, fiet PR æqualis ipsi NM. Ostensa est autem PR æqualis arcui DM, sive etiam arcui AN: quare erit quoque NM æqualis arcui AN.

359. Secunda est, quod si recta MT (Fig.48.) contingat cycli-

cycloidem in punto M , eaque occurrat in T rectæ NT circulum in punto N contingenti, rectæ MN , NT aequales sint inter se. Intelligatur enim ad intervallum infinite parvum rectam pnm parallela ipsi PNM , quæ absindat in circulo, & cycloide arcus Nn , Mm infinite parvos. Arcus isti, ob infinitam parvitatem, nihil vetat, quin habeantur pro lineolis rectis in directum positis cum tangentibus NT , MT : adeoque, dueta per punctum M recta MR parallela tangentia NT , orietur triangulum exiguum mRM simile triangulo MNT ; eritque adeo mR ad RM , ut MN ad NT . Jam vero, quum sit arcus AN aequalis rectæ NM , & arcus An aequalis rectæ nm , est $AN - AN = Nn$ aequalis $nm - NM = Rm$, sive etiam est lineola MR (quæ, propter parallelogrammum $NnRM$, aequalis est arcui Nn), aequalis lineola Rm ; quare erit quoque NT aequalis NM .

360. Tertia proprietas est, quod tangens MT parallela sit chorda AN , quæ ex vertice A ducitur ad punctum correspondens N . Juncta enim BN , erit uterque angulorum ANT , ANP aequalis angulo ABN ; adeoque anguli illi aequales erunt inter se; ex quo sequitur angulum TNP duplum esse anguli ANP . Atqui idem angulus TNP , ut pote aequalis duobus angulis NMT , NTM trianguli isoscelis NMT est duplus anguli NMT ; itaque duo anguli ANP , TMN aequales erunt; ex quo sequitur rectas lineas AN , TM esse parallelas.

361. Quarta proprietas est, quod quicvis arcus cycloidis AM sit duplus chordæ correspondentis AN . Ad quod ostendendum describatur centro A intervallo AN arcus NX , qui nihil vetat, quin habeatur tamquam linea recta perpendicularis ad chordam An ; cum vero jungatur chorda Bn . Et quoniam uterque angulorum TnA , Anp aequalis est angulo nBA ; erunt anguli TnA , Anp aequales inter se: atqui angulus Anp aequalis est angulo AOP , sive etiam NOn ; ergo etiam anguli NnO , NOn aequales sunt inter se: ideoque triangulum NOn erit isoscelis, ejusque basis nO bisecta erit in puncto X à recta linea NX , quam perpendiculariter esse diximus ad ipsam basim nO ; itaque nO erit dupla ipsius nX . Est autem

autem $\angle O$ æqualis Mm ; nam figura $MONm$ est parallelogramnum; & nX est differentia chordarum An , & AN ; quare arcus cycloidis Mm æqualis erit duplo differentiæ chordarum correspondentium An , & AN . Eodem argumento ostendetur arcum cycloidis, qui excipit arcum Mm , duplum esse excessus chordæ AN super chordam insequentem; ideinque demonstrabitur de omnibus arcubus insequentibus. Unde componendo erit arcus quivis MQ æqualis duplo differentiæ chordarum AN , AS ; totus vero arcus AM æqualis erit duplo chordæ AN . Nam si sit series aliqua quantitatum decrescentium $a - b + b - c + c - d + d - e + e - f$ æqualem esse excessui $a - f$ quo a superat f : adeoque, si quantitas f sit nulla, æqualem esse ipsi a .

362. His cycloidis proprietatibus præmissis, esto nunc cyclois CAC (Fig. 49.), cuius vertex A respiciat deorsum: ejus autem axis AB perpendicularis sit ad horizontem, intque duo corpora æqualia constituta alterum quidem in N alterum vero in M : dico vim, qua urgetur corpus prius ad descendendum versus A esse ad vim, qua urgetur corpus alterum ad descendendum pariter versus A ut se habet arcus AN ad arcum AM . Dicitis enim rectis NQ , MP tum parallelis inter se, quum perpendicularibus ad axem AB , conjunctisque chordis AS , AR , erunt nos modo tangentes ad puncta N , & M parallelae chordis AS , AR , verum etiam arcus AN , AM dupli erunt earumdem chordarum; adeoque ut est AS ad AR , ita erit AN ad AM . Itaque si ostendi possit vim, qua grave corpus in loco M descendere nititur versus A esse ad vim, qua idem, vel æquale corpus in loco N pariter nititur descendere versus A ut se habet AR ad AS , jam eo ipso ostensum erit, supradictas vires esse inter, quemadmodum se habent arcus AM , AN .

363. Jam vis qua grave corpus in loco M descendere nititur versus A non est diversa ab ea, quam idem corpus haberet, si descenderet per lineam contingentem cycloidem in punto M ; sive etiam si descenderet per chordam AR , cui contingens illa est parallela. Et similiter

liter vis in loco N non est diversa ab ea, quam haberet corpus si descenderet deorsum secundum lineam contingentem cycloidem in loco N; sive etiam si descenderet per chordam AS, cui contingens illa est parallela. Itaque ut se habet vis qua grave acceleratur in loco M ad vim qua grave acceleratur in loco N, ita erit vis acceleratrix in plano AR ad vim acceleratricem in plano AS. Unde quum vires istæ sint inter se, ut se habent sinus angulorum RAH, SAH, quos chordæ AR, AS continent cum horizontali rectâ AH, quemadmodum superiori Capite demonstratum est: sequitur vim acceleratricem in loco M esse ad vim acceleratricem in loco N ut se habet sinus anguli RAH, sive etiam RBA ad sinum anguli SAH, sive etiam SBA. Et quoniam sumpta diametro AB pro radio, sive sinu toto, AR evadit sinus anguli RBA, & AS evadit sinus anguli SBA; erit vis acceleratrix in loco M ad vim acceleratricem in loco N ut se habet chorda AR ad chordam AS; adeoque ut se habet arcus cydoidalis AM ad arcum AN.

364. Ex eo autem quod vis acceleratrix in loco M sit ad vim acceleratricem in loco N, ut se habet arcus MA ad arcum NA, facile erit colligere tempora descensus per ipsos arcus utcumque inæquales MA, NA æqualia esse inter se. Descendant enim corpora duo æqualia ex locis M, & N per arcus MA, NA, tempusque descensus divisum intelligatur in partes æquales, & infinite parvas; & jam spatiola prima temporis particula à binis corporibus descripta erunt inter se, ut vires acceleratrices in locis M, & N, sive etiam ut arcus MA, NA, qui initio motus erant spatia describenda; itaque dividendo spatia reliqua, quæ supersunt describenda, sive etiam vires acceleratrices in locis ad quæ simul pervenerunt, erunt ut spatia tota ab initio describenda. Atqui spatiola secunda temporis particula descripta sunt etiam ut vires acceleratrices: ergo eadem spatiola secunda temporis particula descripta erunt pariter ut arcus AM, AN ab initio describendi. Eodem arguento constabit spatiola reliquis temporis particulis conferta esse inter se in ratione data, quam habet arcus AM ad

ad arcum AN : adeoque componendo spatium descriptum à corpore decidente ex loco M in tempore quovis finito, atq; adeo in tempore quo ipsum describere potest arcum MA erit ad spatium descriptum ab alio corpore decidente ex N in fine ejusdem temporis ut MA ad NA. Itaque quum spatium descriptum à priori corpore in tempore descensus ab M ad A sit MA , necesse est spatium descriptum à corpore posteriori in eodem tempore esse NA ; adeoque tempora descensus per arcus MA , NA , atque adeo per alios quosvis arcus utcumque inæquales erunt æqualia inter se.

365. Videamus modo quam rationem habeant inter se tempora per quosvis arcus CM , MA . Sumatur arcus infinite parvus Mm , & ducatur per punctum m recta rr parallela ipsi MR ; deinde conjunctis chordis BR , AR , Ar , demittatur ex punto r perpendicularis rO , sive etiam centro A radio Ar describatur arcus infinite parvus rO. Et jam quamquam corpus descendendo ex C ad m majorem semper , atque majorem velocitatem sibi comparet , tamen velocitas , cum qua describitur arcus infinite parvus Mm ad sensum non mutatur. Itaque quia in motu æquabili , spatium equale est tempori dueto in velocitatem , atque adeo tempus æquale est spatio diviso per velocitatem , sive ut *Geometra* loquuntur , spatio ad velocitatem applicato ; erit tempus per Mm æquale ei , quod oritur dividendo arcum Mm per velocitatem , cum qua velocitate describitur ipse arcus Mm . Atqui velocitas in loco M adquisita est in tempore descensus per arcum CM , adeoque æqualis ei velocitati , quam idem corpus adquisivisset , decidendo ex pari altitudine BP , quæ quidem velocitas est in ratione subduplicata altitudinis BP , sive etiam in ratione integra chordæ BR ; quare tempus per arcum Mm æquale pariter erit ei , quod oritur dividendo arcum Mm per chordam BR ; sive etiam dividendo duplum rectæ RO per eamdem chordam BR : nam supra demonstravi arcum Mm duplum esse differentiæ chordarum AR , Ar , quæ quidem differentia est RO.

366. Et quoniam angulus ORr , quem secans AR

COL-

continet cum tangente RrX æqualis est angulo RBA , triangula duo rectangula ORr , ABR similia erunt inter se: adeoque ut se habet RO ad Rr ita erit BR ad BA ; & permutando ut se habet RO ad BR ita erit Rr ad BA : unde id quod suboritur dividendo RO per BR æquale erit ei, quod prodit dividendo Rr per BA . Atqui ostensum est tempus per Mm æquale esse duplo ejus quod oritur dividendo rectam RO per chordam BR : quare idem tempus æquale etiam erit duplo ejus, quod oritur dividendo arcum circularem Rr per ejus diametrum AB . Non dissimiliter ostendetur tempora per cæteros arcus cycloides infinite parvos æqualia esse quotientibus, qui prodeunt dividendo correspondentes arcus circulares per diametrum AB bis sumptis. Ex quo, componendo, colligitur tempus per arcum CM æquale esse duplo ejus quod oritur dividendo arcum BR per diametrum BA ; tempus autem per totam semicycloidem CMA æquale esse ei, quod oritur dividendo semicircumferentiam BRA per diametrum BA : adeoque tempus per arcum CM erit ad tempus per integrum semicycloidem CMA ut arcus BR ad semicircumferentiam BRA : & tempus per arcum CM erit ad tempus per arcum CN ut est arcus BR ad arcum BS ; & denique dividendo tempus per arcum CM erit ad tempus per arcum MN ut BR ad RS . Unde divisa semicircumferentia BRA in partes æquales, arcus cycloides, qui his partibus correspondent æuali tempore describentur; modo tamen descensus incipiat ex loco C .

367. Videamus denique quam rationem habeat tempus descensus per semicycloidem CA ad tempus descensus per diametrum sive per axem BA . Ad quod faciendum considerare oportet primum elementum CE (Fig. 50.) arcus cycloidalis CA parallelum esse diametro BA . Etenim elementum illud non differt sensibiliiter à tangente in loco C , quæ quidem tangens parallela est diametro BA . Quare si per punctum E infinite continguum puncto C transeat horizontalis EF , tempus descensus per arcum CE æquale erit tempori descensus per rectam verticalem BF ; vires enim acceleratrices in

in locis B, & C æquales sunt inter se, adeoque æquibus temporibus æqualia spatia describi debent. Atq tempus per semicycloidem CA est ad tempus per arcum CE ut semicircumferentia BGA ad arcum BG, sive etiam ad ejus chordam BG, à qua arcus sensibiliter non differt; ergo erit pariter tempus per semicycloidem CA ad tempus descensus de B ad F ut semicircumferentia BGA ad chordam BG. Est autem tempus descensus de B ad F ad tempus descensus de loco B ad locum A in subduplicata ratione ipsius BF ad BA: (nam tempora descensus sunt in subduplicata ratione spatiorum descriptorum, ut sopra demonstratum est). sive etiam in ratione integra chordæ BG ad diametrum BA, quare ex æquali ordinando erit tempus descensus per semicycloidem CA ad tempus descensus per axem BA ut se habet semicircumferentia BGA ad diametrum BA. Et quoniam ostensum est tempora descensus per quovis arcus cycloides utcumque inæquales ad punctum itum A terminatos æqualia esse inter se, sequitur tempus descensus per quenvis arcum cycloidalēs esse ad tempus descensus per axem eiusdem cycloidis ut se habet semicircumferentia circuli ad suam diametrum.

368. Sit nunc cyclois integra CAC (Fig. 49.) vertice A deorsum spēstante, cujus axis BA situm obtineat verticalem. Et iis, quæ haētenus demonstrata sunt, adparet corpora descendēntia ex locis C, M, & N adscenſura esse eodem temporis intervallo ad loca æque alta c, M, & n; & vero tempus illud esse ad tempus, quo corpus decidere potest de B ad A ut circumferentia circuli ad diametrum; nam tempus descensus de C ad A, vel de M ad A, vel de N ad A æquale est tempori adscensus de A ad c vel de A ad M, vel de A ad n. Itaque quum tempus descensus per supradictos arcus cycloidales sit ad tempus descensus per axem cycloidis, ut semicircumferentia ad diametrum, sequitur tempus descensus, atque adscensus per duos quovis arcus æquales cycloidis hinc & inde ab axe positos esse ad tempus descensus per cycloidis axem ut se habet circumferentia circuli ad diametrum.

II. De

II.

De funipendolorum motu reciproco.

369. **F**unipendula adpellamus corpora gravia, quæ ex filis tenuissimis dependent. Ea si rotentur circa punctum suspensionis, inanis est motum fieri per arcus circulares; adeoque quæ de corporum per hujusmodi arcus adscensu, descensuq; superius demonstrata sunt, hic locum pariter habere debent. Supponimus enim motum circa punctum suspensionis esse liberrimum, sic ut nullum funipendulo osculantim pedimentum inde possit advenire; supponimusque præterea aeris resistentiam vel nullam esse, vel pene nullam. Itaque primo funipendulum delatum ad situm BC, (Fig. 51.) & exinde demissum describet arcum CA, inque loco imo A eam habebit velocitatem, quæ adquiritur cadendo per EA; deinde adscendet per arcum AD ad eamdem altitudinem, ex qua decidit; ubi omni amissa velocitate sua gravitate rursus incipiet descendere, & in puncto A eamdem prorsus adquirit velocitatem, cum qua adscendet ad C; atque sic adscendendo, & descendendo continuas oscillationes in peripheria CAD perficiet. Quod si aer funipendolorum motui nihil obstat, & præterea si nulla esset frictio circa centrum rotationis B, in æternum duraturæ forent eorum vibrationes. At ob hasce causas aliquantulum, licet insensibiliter, singulis vibrationibus diminuitur penduli velocitas in puncto A; unde fit ut non ad idem præcise punctum redeat funipendulum; sed arcus in quos excurrat, continuo breviores reddantur, donec tandem insensibiles evadant.

370. Secundo ejusdem funipenduli oscillationes exiguae utcumque inæquales fere, & ad sensum erunt æquidistantes. Cui quidem suffragatur etiam experientia. Nam si duo pendula æqualis longitudinis ad motum incitentur, quorum unum excurrat in arcus exiguos breviores,

viores, alterum in arcus etiam exiguos, sed aliquanto longiores; tempora oscillationum fere æqualia erunt: adeo ut in centum oscillationibus vix observetur discrimen unius oscillationis. *Tertio* durationes oscillationum duorum pendulorum in similes arcus excurrentium sunt in subduplicata ratione longitudinum pendulorum; adeoque ipsæ pendulorum longitudines sunt ut quadrata temporum singularium oscillationum. Et quoniam, si duo funipendula oscillent, durationes singularium oscillationum ab utroque funipendulo factarum sunt inter se ut numerus oscillationum unius funipenduli ad numerum oscillationum alterius funipenduli æquali tempore confectarum; inde fit ut longitudines pendulorum sint ut quadrata numerorum, qui oscillationes eodem tempore factas ab utroque funipendulo designant: adeoq; dato numero oscillationum, quæ ab uno pendulo nota longitudinis in dato tempore perficiuntur, dabitur numerus oscillationum, quæ ab alio quovis pendulo nota etiam longitudinis eodem tempore perficiuntur; capiendo scilicet numerum, qui sit ad numerum vibrationum penduli prioris in subduplicata ratione longitudinis penduli posterioris ad longitudinem penduli prioris. Itaque si pendulorum longitudines fuerint inter se ut 1 ad a^2 , & n designet numerum oscillationum factarum in dato tempore à priori pendulo, designabit na numerum oscillationum, quas pendulum posterius eodem tempore perficit. Sed notandum est supradictam proportionem locum habere, etiam si pendula non oscillent in arcus similes: satis enim est ut ipsi oscillationum arcus brevissimi sint: id quod supra etiam est adnotatum.

271. Quum autem ejusdem penduli vibrationes minimæ sint fere æquidiuturnæ, licet arcus, in quo excurrit funipendulum, sint inæquales; hinc egregium pendulorum usum ad horologiorum automaton motus regendos demonstravit *Christianus Hugenius*. Quamquam enim *Galileus* primus omnium adhibuisset pendula in observationibus astronomicis, quæ accuratissimam temporis mensuram postulant, *Hugenio* tamen primum contigit horologia pendulis instruere; qui

P etiam

etiam considerans oscillationes per arcus circulares brevissimos ad sensum quidem , at non vero accuratissime æquales esse , veritus ne in magno oscillationum numero aliquid erroris irreperet in temporis mensuram , instituit investigare , qui fieri posset , ut funipendulum in arcus cycloidales oscillaret : compertum enim habebat Clarissimus Vir eo calu oscillationes funipenduli sive in breviores , sive in longiores arcus excurrentis accuratissime esse æquidiuturnas.

372. Vedit autem acutissimus *Geometra* quod , incurvatis similiter , ac æqualiter duabus laminis ACB , AED (*Fig. 52.*) , usque interjunctis in puncto A , si funipendulum pendens ex puncto A oscillet inter eas , per continuam fili ad utramque laminam adapplicationem accidat , ut impediatur motus penduli in circuli circumferentia , & grave per alterius curvæ peripheriam deferatur . Itaque eo rem redire animadvertisit , ut expenderet , quæ esse deberet curvatura alterutrius laminæ ACB , vel AED , ad hoc ut funipendulum inter eas oscillans cycloidem describere posset . Reperit autem , quod si curvæ ACB , AED sint duæ semicycloides , quarum axes , sive diametri circulorum generantium lineæ æquales tum inter se , quum rectæ FG , vel AG , dimidio scilicet longitudinis penduli , curva BPFD , per quam grave defertur , abeat in cycloidem integrum , cuius axis est FG , dimidia scilicet penduli longitudine .

373. Et quoniam portio cycloidis prope verticem F describitur motu fili , cuius longitudine est AF , circulus autem centro A , intervallo AF duabus eodem fili motu describitur , necesse est ut circulus , qui transiens per F habet punctum A pro centro , fere coincidat cum cycloidis portione prope verticem F : itaq; quo tempore grave decidit usque ad F per quemcumque arcum cycloidis , eodem tempore idem grave deferetur ad F per arcum exiguum hujus circuli , qui prope F coincidit cum cycloide . Unde rursus patet ratio , cur pendulo vibrationes exiguae in circulo perficiente , tempora oscillationum sint æqualia : nam si arcus (*Fig. 51.*) MAM , NAM parvi sint , ipsi fere coincident cum portione cycloidis prope

prope vēticem A descriptæ circa axem , qui dimidiā penduli longitudinem adæquat : unde quemadmodum tempora per quosvis arcus cycloides oltensa sunt æqualia inter se, ita æqualia pariter erunt tempora per arcus circulares exiguos , qui à cycloidalibus arcibus sensibiliter non differunt.

374. Itaque tempus, quo tempore pendulum oscillationem minimam perficit in circulo, æquale est temporis , quo perficitur oscillatio per arcum cycloidis, cuius axis est dimidia penduli longitudo. At vero tempus quo perficitur oscillatio in cycloide est ad tempus casus perpendicularis per axem cycloidis, hoc est per dimidiā penduli longitudinem , ut circumferentia circuli ad diametrum, quemadmodum supra demonstravimus: quare tempus cuiusvis oscillationis minima circularis erit ad tempus casus per dimidiā penduli longitudinem in ea ratione, quam habet circuli peripheria ad diametrum . Unde id, quod supra dictum est, *idem tempus æquale esse duplo temporis casus per diametrum circuli, in quo corpus suas peragit oscillationes non verum est, nisi quamproxime.*

375. Hujus Theorematis subsidio inveniri poterit spatium, quod grave corpus, perpendiculariter deciendo , tempore unius minutæ secundi percurrit . Sed primum scire oportet longitudinem penduli , quæ efficit , ut singulæ oscillationes minima valeant singula scrupula secunda horaria , distributam fuisse ab Hugenio in tres partes æquales , easque partes pedes borarios ipsum adpellasse . Deinde accuratissimis mensuris deprehendisse pedem borarium esse ad pedem Parisiensis ut se habet 881 ad 864 . Quum igitur penduli ad secunda scrupula longitudo sit pedum boriorum trium ; tempus autem unius oscillationis minima sit ad tempus descensus perpendicularis ex dimidia penduli altitudine ut circumferentia circuli ad diametrum, sive etiam ut 314 ad 100; si fiat ut 314 ad 100 ita tempus unius scrupuli secundi , sive sexaginta tertiorum ad aliud ; sicut scrupula tertia $19 \frac{1}{10}$ tempus descensus per dimidiā

diam penduli altitudinem, quae nempe est *pedis unciaum* 18. Sicut autem quadrata temporum, ita sunt spatia illis temporibus peracta, quemadmodum supra demonstratum est: ergo si fiat ut quadratum ex scrupulis

I
tertiis 19— ad quadratum ex scrupulis tertiiis 60, hoc

est ut 36481 ad 360000, ita 18 unciae ad aliud; sicut pedes 14, unciae 9, & lineae sex altitudo descensus perpendicularis tempore unius secundi. Itaque quum pes horarius sit ad Parisiensis ut 881 ad 864, erit eadem altitudo ad hanc mensuram reducta proxime pedum 15, & unciae unius. Quapropter corpus decidendo perpendiculariter, remota resistentia aeris, describet primo temporis minuto secundo pedes quindecim, & unciam unam; secundo autem temporis minuto secundo pertransiet intervallum pedum quadraginta quinque, & unciarum trium: tertio minuto secundo emetietur spatium pedum septuaginta quinque, & adhuc unciam quinque, atque sic deinceps in infinitum secundum rationem numerorum imparium, prout supra traditum est.

C A P U T N O N U M.

De motu projectorum, deque arte ballistica.

376. IN examinandis motibus corporum gravium duo casus considerandi sedulo sunt. *Primus* casus est, si ea sua sponte decidunt. *Alter* casus est, si projiciuntur. Jam si gravia decidunt sua sponte deorsum, ea feruntur per lineas ad horizontem perpendiculariter. Ille motus eorum est æquabiliter acceleratus. Et IIII denique spatia ab ipsis deficta sunt in duplicitate tum temporum, quum velocitatum ratione, quemadmodum supra demonstratum est. Quod si vero projiciuntur, videndum est secundum quam lineam projecta sint.

Si

Si enim projecta sint deorsum secundum lineam ad horizontem perpendicularē, motus eorum etiam erit æquabiliter acceleratus, nisi quod putandum est, ea ex altiore loco decidisse, unde scilicet potuissent sibi comparare id velocitatis, cum quo deorsum dejecta sunt. Si vero projecta sint sursum secundum lineam etiam ad horizontem perpendicularē, motus eorum æquabiliter retardabitur, & vero adscendent ad eam præcise altitudinem, unde si decidissent velocitatem projectio-nis sibi compararent. Denique si projiciantur secun-dum lineam obliquam ad horizontem, constat quidem omnibus motum eorum peragi in linea quadam curva, sed non æque notum est omnibus, quænam sit causa illius motus curvilinei, quæve sit natura ejus lineæ cur-væ, in qua gravia oblique projecta moveri videntur.

377. Quæ duo quum nos hoc Capite demonstran-da suscepimus, nonnulla etiam de arte ballistica, sive de ea arte, qua pilis incendiariis data loca petere possumus delibabimus. Utque altius rem repetamus ponamus corpus A, quod gravitatis expers esse suppo-no, moveri in figura aliqua triangulari ABC (Fig. 53.), & videamus unde profici sci possit hujusmodi motus. Quoniam per legem Nature primam corpus omne sem-per conatur persistere in eo statu, in quo statu est con-stitutum, si corpus A incipiat moveri secundum lineam rectam AB, profecto illud movebitur in æternum se-cundum eamdem rectam, describetque spatia, quæ ra-tionem temporum servabunt: itaque si in loco B corpus defleget de cursu AB, & init cursum BC, profecto ne-cesse erit, ut in loco B vis nova adveniat, quæ agens in corpus faciat, ut ipsum exorbitet de semita priori, aliamque semitam ingrediatur. Neque vero putandum est unicam esse vim, unicamque ejus directionem, quæ facit, ut corpus instituat moveri per rectam BC. Eta-nim si in recta AB producta versus partem B sumatur portio BE, quæ designet directionem, quantumque motus corporis A, dum movetur in recta AB, sive quod eodem redit designet directionem, quantitatemque vis, unde motus ille profici sci potuit: in recta autem BC

producta versus partem C sumatur ubi vis punctum P,
& jungatur EF ; designabit ipsa directionem quantita-
temque vis, quæ postulatur in loco B ad hoc ut corpus
A inire possit semitam BC . Etenim ex binorum mo-
tuum BE, EF compositione subnascitur motus BF.

378. Non dissimiliter si corpus A in loco C defle-
git de semita BC, initique semitam CA , profecto id ar-
guit novam vim egisse in corpus eo in loco: cuius etiam
vis & quantitas, & directio haud quidem unica est, sed
multiplex, immo infinita . Produc enim BC usque ad
H, ita ut sit CH æqualis BF, quæ designabat motum cor-
poris A in recta BC ortum ex compositione binorum
motuum BE, EF, sive etiam BE, BD; deinde in recta CA
indefinita versus partem A producta sume ad libitum
punctum I, & juge HI . Etenim ea designabit semper
directionem, quantitatemque vis, quæ postulatur in lo-
co C, ad hoc ut corpus A defligerat de recta linea BC, &
ineat rectam CA . Adeoque ut corpus A describere pos-
sit triangulum ABC necesse est ut motus ipsius semel
certa quadam ratione turbatus sit in loco B, iterum ve-
ro turbatus sit in loco C.

379. Eadem de causa fieri potest , ut corpus mo-
veatur in figura quadrangulari, scilicet si motus ipsius
ter in tribus locis diversis certa quadam ratione turbat-
bus sit. Quod si quinques, vel sexies turbatus sit motus,
corpus movebitur in figura pentangulari, vel exangu-
lari . Denique si infinites motus turbatus sit, sintque
intervalla temporum, quibus motus turbatur, infinite
parva, facile intelligitus futurum, ut corpus moveatur
in linea curva. Sunt enim lineæ curvæ nihil aliud, nisi
figuræ poliangulæ laterum infinitorum , quorum fin-
gula sunt infinite parva : quemadmodum alio in loco
etiam est adnotatum . Facile autem hic novissimus ca-
sus aptatur ad corpora gravia oblique projecta. Item
si ea gravitate essent destituta, moverentur in æternum
secundum lineam projectionis, spatiaque conficerent
æqualia in temporibus æqualibus . At quoniam adeo
vis gravitatis, cuius actio continua est, quæque jugiter
compellit corpora ad descendendum deorsum, ex com-
posito;

positione horum duorum motuum, quorum alter, qui ex gravitate proficitur, semper perpendicularis est ad horizontem, alter semper est ad horizontem obliquus accidet, ut ea moveantur in linea aliqua curva.

380. Sed opera pretium est hujus lineæ curvæ naturam cognoscere. Projiciatur itaque corpus grave de loco A (Fig. 54.) secundum directionem AE vel horizontalem, vel ad horizontem inclinatam. Et jam si corpus projectum à gravitatis vi deorsum non pertrahetur, projecto ipsum æquabiliter semper procederet in recta AE, essentque tempora, quibus percurruntur spatii partes AB, AC, AD, AE, ut ipsa spatia AB, AC, AD, AE. Nam in motu corporum æquabili spatia percursa eamdem cum temporibus servant rationem. Sed quoniam vis gravitatis agit indelinenter secundum lineas ad horizontem perpendicularares, atque adeo parallelas tum inter se, quum rectæ verticali AX, secundum quam descendit grave ex eodem loco A demissum, necesse est ut corpus projectum jugiter dilcedat à recta AE versus partes inferiores secundum lineas perpendiculares ad horizontem, adeoq; parallelas rectæ verticali AX; & spatia delcensus, sive deviationes à recta AE eadem erint, ac si perpendiculariter caderet. Præterea si corpus sua gravitate cadens tempore AB descendat per spatium AK, tempore AC per spatium AL, tempore AD per spatium AM, tempore vero AE per spatium AN, erunt spatia AK, AL, AM, AN ut quadrata temporum AB, AC, AD, AE; sive etiam confectis parallelogrammis AKFB, ALGC, AMHD, ANIE, ut quadrata rectarum KB, LG, MH, NI.

381. Et quoniam impetus corpori impressus secundum rectam AE non est contrarius ei, quem vis gravitatis tribuit corpori deorsum secundum verticalem AX, alteri ab altero nihil detrimenti adferetur. Itaque quum corpus in fine certi temporis reperiiri debeat in loco B propter impetum ei impressum secundum directionem AE, idemque corpus in fine ejusdem temporis reperiiri debeat in loco K propter actionem gravitatis, utroque impetu interveniente necesse est ut depositatur in F: ita

enim utrius obtemperabit. Similiter quum corpus in fine alterius temporis reperiiri debeat in loco C propter impetum ipsi impressum secundum rectam AE; itemq; in fine ejusdem temporis pervenire debeat ad locum L propter actionem gravitatis, necesse est ut utraque vi interveniente reperiatur in G: ita enim utrius satisfaciet. Eodem ratiocinio ostendetur corpus repertum iti in locis H, & I, adeoque progressurum per viam curvilineam AFGHI: in qua quum quadrata rectarum KF, LG, MH, NI, quae omnes parallela sunt lineæ AE, secundum quum corpus projectum est, sint inter se, ut se habent correspondentes portiones AK, AL, AM, AN, manifestum est eam viam AFGHI esse *Parabolam Apollonianam*. Nam in hac Parabola quadrata ordinatarum rationem correspondentium abscissarum servare jum olim demonstravit Geometrarum Princeps *Apollonius*.

282. Sed duo hic adnotanda sunt. Primum AX esse axem Parabolæ, quando corpus projicitur secundam lineam horizontalem, esse vero unam ex ejus infinitis diametris, quando projicitur secundum lineam obliquam ad horizontem. Nam in primo casu angulus XAE, quem linea verticalis AX continet cum horizontali AF est rectus; adeoque ordinatæ FK, GL, HM, IN normales sunt ad rectam AX, quæ idcirco axes munere fungetur. In secundo vero casu angulus XAE, quem linea verticalis AX continet cum obliqua AE est vel acutus, vel obtusus; adeoque ordinatæ FK, GL, HM, IN oblique insintunt ad rectam AX, quæ idcirco diametri munus obibit. Alterum rectam AE, secundum quam corpus projicitur, semper contingere Parabolam ab ipso corpore descriptam in loco A. Etenim ea parallela est ordinatis FK, GL, HM, IN.

282. Describat nunc corpus M (Fig. 55.) parabolam MAN, & cognoscenda sit velocitas, cum qua velocitate ipsum progreditur in quovis loco M. Sit MI altitudo verticalis, ex qua decidere oporteat corpus M, ut in loco M adquirat velocitatem, quam querimus. Ducatur per punctum M tangens MC, in qua sumatur MC æqualis duplo ipsius MI; deinde duæ rectæ CN parallelae ipsi IMO,

IMO, ducatur etiam per punctum N recta NO parallela tangentи MC. Et quoniam corpus in loco M urgeatur viribus duabus, quarum prior est vis gravitatis tendens deorsum secundum MO, altera est vis progrediendi secundum tangentem MC, siquidem supponamus gravitatis vim abesse à corpore, profecto ipsum moveretur æquabiliter secundum tangentem MC; & vero in tempore quo cecidit ex I ad M velocitate adquisita in eo descensu, (cui quidem velocitati supponimus æqualem esse velocitatem corporis in loco parabolæ M) describeret spatium MC duplum altitudinis MI; quemadmodum supra demonstratum est. Atqui eodem tempore si descendere incipiat ex loco M, describeret propter gravitatis vim, spatium MO æquale ipsi MI: Itaque quum corpus M, urgentibus duabus viribus seorsim, inveniri debeat intervallo ejusdem temporis in locis C, & O; profecto necesse est ut ipsum, utraque vi simul co-gente, in fine ejusdem temporis reperiatur in N, nempe in angulo apposito parallelogrammi MONC: qui quidem angulus contingere debet Parabolam datam MAN.

384. Sit F focus ejusdem Parabolæ, & jungatur MF. Ea, ut ostendunt Scriptores Conici, adæquabit partem quartam parametri, quæ refertur ad diametrum MO. Itaque quum NO, utpote parallela tangentи MC, sit ordinatim applicata ad diametrum MO, erit quadratum ex ipsa NO æquale rectangulo ex MO in MF quater sumptam: adeoque ut se habet MO ad ON, ita erit ON ad MF quater sumptam. Atqui MO est dimidium ipsius ON; (est enim MO æqualis MI, & NO æqualis MC) itaque ON erit pariter dimidium rectæ MF quater sumptæ: ex quo sequitur rectam MF esse vicissim dimidium ipsius ON sive MC. Atqui etiam MI est dimidium rectæ MC; quare rectæ MI, MF æquales erunt inter se. Quapropter altitudo IM, ex qua adquiritur velocitas, cum qua progreditur corpus in quovis Parabolæ loco M, (quæ quidem altitudo *sublimitas* deinceps appellabitur) æqualis est semper rectæ MF, sive etiam parti quartæ parametri, quæ refertur ad diametrum transversalem per punctum M. Ex quo non modo infestur, velocita-

citatem corporis describentis Parabolam eo esse majorem, quo magis ipsum absuerit ab axe, verum etiam velocitatem ejusdem corporis in Parabolæ vertice esse minimam: nam parameter axeos minima est omnium parametrotum. Manifestum autem est sublimitates omnes MI, AD, GN terminari ad directricem Parabolæ IDG: etenim ipsæ adæquant respectivæ rectas MF, AF, NF. Unde quemadmodum grave descendens verticaliter de quovis loco G directricis post percursum spatium GN adquirit eam præcise velocitatem, cum qua idem grave progrederetur in loco Parabolæ N; ita si vicissim idem grave velocitate, cum qua progreditur in quovis Parabolæ loco N, sursum verticaliter projiciatur, ipsum adscendet usque ad directricem IG.

385. Veniamus modo ad artem ballisticam, adque ea Problemata, quæ illic locum habent, resolvenda. Exeat pila incendiaria de loco M (Fig. 56.) secundum directionem obliquam MT, eaque describat Parabolam MAL, quæ occurrat horizonti in punto L: sit autem AP axis Parabolæ, & ID directrix ipsius. In hoc jaclu quatuor consideranda sunt. I directio iactus, quæ determinatur ab angulo TML, quem ipsa directio constituit cum horizontali ML. II impetus iactus, sive etiam velocitas, cum qua velocitate globus egreditur ex bombarda in loco M constituta, quæ quidem velocitas designatur per sublimitatem MI. III altitudo iactus, sive etiam maxima altitudo, ad quam pila per Parabolam progrediens adscendit supra lineam horizontalem ML, quæ quidem altitudo designatur per portionem axeos PA. Et IV denique amplitudo iactus, sive etiam distantia à loco M, ad quam pila decidit in horizonte, quæ quidem amplitudo designatur per rectam ML.

386. Jam quatuor ista sunt talia, ut si duo quævis data sunt, reliqua duo facile inveniri possint. Itaque quia cum quatuor quantitatibus sex tantum combinationes possunt institui; sex sola Problemata locum sibi vindicabunt in arte ballistica. Primus est. Datis directione, & impetu, invenire alitudinem, acque amplitudinem sive etiam dato angulo TML, & sublimitate MI, inventire

nire tum rectam AP, quum rectam ML. Secundum est. *Datis directione, & altitudine invenire, invenire impetum, & amplitudinem;* sive etiam dato angulo TML, & recta AP, invenire sublimitatem MI, & rectam ML. *Tertium est. Datis directione, & amplitudine invenire impetum, & altitudinem;* sive etiam dato angulo TML, & recta ML, invenire sublimitatem MI, & altitudinem PA. *Quartum Problema,* quod primum convertit ita se habet. *Datis altitudine, atque amplitudine, invenire directionem, & impetum;* sive etiam datis recta AP, & recta ML invenire angulum TML, & sublimitatem MI. *Quintum Problema,* quod secundum convertit est. *Datis impetu, & amplitudine invenire directionem, & altitudinem;* sive etiam data sublimitate MI, & recta ML invenire angulum TML, & rectam AP. Et *sextum* denique, quod tertium convertit est. *Datis impetu, & altitudine invenire directionem, & amplitudinem;* sive etiam data sublimitate MI, & recta PA invenire angulum TML, & rectam ML.

387. Hæc Problemata nullo negotio resolvuntur mediantibus regulis, quæ traduntur in *Trigonometria plana*. Educatur enim ex puncto T, in quo tangens MT occurrit axi PT perpendicularis TX ad ipsam tangentem MT; deinde demittatur ex puncto T perpendicularis TC ad rectam MX. Et jam in triangulo rectangulo MTX altitudo CT, quæ æqualis est ipsi MP adæquat medietatem amplitudinis: angulus MXT, qui æqualis est angulo TML, adæquat angulum illum, qui directionem determinat: basi MX, quæ dupla est ipsius MI, designat duplum ejus rectæ, quam sublimitatem adpellavimus: & denique segmentum MC, sive PT, quod duplum est rectæ AP, duplum altitudinis adæquat. Itaque omnia, quæ spectant ad artem ballisticam, determinari possunt ope trianguli rectanguli MTX. Nempe in primo Problemate, in quo datis directione, & impetu queruntur altitudo, & amplitudo, videndum est, quomodo datis in triangulo rectangulo MTX angulo MXT, & hypotenusa MX, determinari possit cum segmentum MC, quum altitudo CT. In secundo po-

ble:

blemate in quo datis directione, & altitudine queruntur impetus, & amplitudo, videndum est quomodo ex datis angulo MXT, & segmento CM determinentur tum hypothenusam MX, quam altitudo CT. In tertio Problemate, in quo datis directione, & altitudine queruntur impetus, & altitudo, videndum est quomodo in triangulo rectangulo MTX ex datis angulo MXT, & altitudine CT inveniri queant tum hypothenusam MX, quam segmentum MC. Neque difficilior erit resolutio trium Problematum sequentium, quae tria modo exposita Problemata convertunt: adeo ut diutius hic immorari non oporteat. Tantum ostendendum est hypothenusam MX duplam esse sublimitatis MI: id quod gratis adsumptum esse videtur.

388. Sit idcirco F focus Parabolæ: itaque quadratum ordinatae PM, sive etiam rectæ CT æquale erit rectangulo ex PA in AF quater sumpto. Atqui idem quadratum ex CT æquale est rectangulo ex MC in CX: quare rectangulum ex PA in AF quater sumptum æquale erit rectangulo MCX: atque adeo ut se habet PA ad MC sive PT, ita erit CX ad FA quater sumptam, sive etiam ad DF bis sumptam. Atqui PA adæquat medietatem ipsius PT; quare CX adæquabit ipsam DF. Praeterea quum sit AT æqualis AP, & AD æqualis AF; erit DT, sive CI æqualis PF: ostensa est autem CX æqualis ipsi DF: quare erit XI æqualis DP, sive IM; adeoque MX dupla erit sublimitatis MI.

389. Sed in hac de missilibus globis jactendis doctrina unum est, quod singularem animadversionem meretur. Scilicet quod, eodem manente impetu MI, amplitudo jactus ML eo major sit, quo magis angulus TML, qui directionem jactus determinat, acceperit ad gradus quadraginta quinque; maxima vero tum sit, quum angulus ille fuerit semirectus. Intelligere id licet ex eodem triangulo rectangulo MTX, de quo superius mentionem habuimus: in quo triangulo demonstratum est hypothenusam MX esse ad altitudinem CT ut se habet duplum sublimitatis ad medietatem amplitudinis, sive etiam ut se habet sublimitas ad quartam ampli-

amplitudinis partem. Et quoniam manente semper eadem impetu, sublimitas non mutatur, necesse est ut in triangulo rectangulo eadem semper maneat hypothenusa MX, quamcumque ponamus sive directionem jactus. Itaque quia altitudo TC trianguli rectanguli e major est, quo angulus TXM, qui aequalis est angulo TML accedit ad gradus 45, maxima vero tum evadit, quando idem angulus abit in semirectum, (quemadmodum facile intelligitur descripto semicirculo XTM super hypothenusam XM) inde manifestum fit amplitudinem jactus, quae dupla semper est altitudinis CT effiri majorem, quo magis angulus inclinationis TML accesserit ad gradus 45: maximam vero evadere tunc quem angulus ille fuerit semirectus. Sed intelligitur etiam amplitudinem eo casu aequalem fore ipsi hypothenusam MX; adeoque duplam esse sublimitatis MI.

C A P U T U L T I M U M.

De motu corporum aequabili in circumferentias circulorum: ubi de virium centripetarum mensuris.

390. **S**æpe numero dictum est, corpora omnia in motu constituta recta semper, & aequabiliter tendere moveri, dummodo nulla alia vis extrinseca ea inter progrediendum de pristino cursu depellat: cuius quidem rei hanc adtulimus certissimam causam, quod singula corpora, ob vim inertiae, conentur semper in eodem statu persistere, quo in statu actu constituta sunt; demonstratumq; etiam est in corporibus omnibus actis in gyrum adesse conaturum quemdam excusorium, sive potius vim recedendi à centro motus secundum lineas rectas contingentes orbes curvilineos, in quibus illa feruntur. Considerandum modo est, quod nisi hujusmodi vis recedendi à centro motus inhiberetur à vi contraria, & aequali versus idem centrum tendente, futurum esset, ut corpus excuteretur de orbe curvilineo, perque ejus

ejus tangentem elaberetur. Adeoque in omni corpore in gyrum acto duæ sunt vires considerandæ, quarum altera conatur retrahere corpus de centro per orbis tangentem, altera vicissim conatur retrahere corpus de tangente versus idem centrum.

391. Harum duarum virium priorem adpellabimus *centrifugam*, posteriorem *centripetam* nuncupabimus: aptissimis quidem vocabulis; nam priore vi corpus fugit à centro, at vero vi posteriore idem corpus petit centrum. Veluti si corpus A (Fig. 57.) describat æquabiliter circuli circumferentiam ABD, illud necesse est in quovis loco A duabus viribus agitari, quarum una dirigitur secundum circuli tangentem AT, altera vero tendit ad centrum C. Et sane sublata vi secundum tangentem AT, corpus recta descenderet versus centrum C; viceversa sublata vi, qua tendit ad centrum C, idem corpus elaberetur secundum tangentem AT: utraque autem vi interveniente potest corpus flectere cursum suum in circuli circumferentiam ABD. Manifestum autem est, si corpus dato tempore quamminimo describat arcum AM, ex quo puncto M demissa intelligatur perpendicularis MH ad tangentem MT, quantitatem vietum centripetæ, quum centrifugæ designari per hujusmodi perpendicularē MH, hoc est per subtensam evanescentem anguli contactus MAH. Nam quum AM, & AH sint fere æquales inter se propter summam parvitudinem anguli contactus MAH, siquidem removeretur vis illa, qua corpus tendit ad centrum C, corpus tempore, quo describit arcum AM, percurreret rectam AH, atque adeo vis centrifuga removeret ipsum à centro intervallo rectæ MH. Similiter sublata vi secundum tangentem AT corpus tempore quo describebat arcum AM recta cadendo versus centrum pertransiret spatiū AP, sive HM: ex quo sequitur in tempore quo describitur arcus quamminimus AM vim tum centrifugam quum centripetam designari per rectam HM.

392. Sed manifestum quoque est, quod si corpus motu æquabili percurrat circumferentiam ABD, vis centripeta in quovis loco M eadem semper sit, adeoque nul-

nullibi vis illa intendatur, aut remittatur. Diviso enim tempore in partes aequales, & infinite parvas, quoniam motus aequabilis supponitur, necesse erit, ut aequales circumferentiae partes aequalibus ictis temporis intervallis describantur. Itaque quum circulus eandem ubique habeat curvaturam, subtenfa HM, quae vis centripetæ quantitatem designat, erit ubique ejusdem longitudinis: adeoque vis centripeta constans manebit, atque immutata in omni loco.

393. Sint nunc duo corpora aequalia A, & a, quae describant aequabiliter circumferentias ABD, abd, & videamus quam proportionem habeant vires centripetas, quibus viribus ipsa retinentur in iisdem circumferentiis. Sint AM, & am arcus quamminimi, quos corpora A, & a eodem exiguo temporis intervallo pertransiunt, atque ex punctis M, & m demittantur in tangentes perpendicularia MH, mh. Constat vires centripetas corporum A, & a designari per subtensas evanescentes MH, mh: etenim per haec intervalla ipsa eodem tempore quamminimo accesserunt ad centra C, & c. Itaque vis centripeta corporis A erit ad vim centripetam corporis a ut HM ad bm; sive etiam demissis perpendicularibus MP, mp ad radios AC, ac, vis centripeta corporis A erit ad vim centripetam corporis a ut se habet AP ad ap. Itaque eo res redit, ut videamus quam proportionem habeant inter se rectæ istæ AP, & ap.

394. Quod ut fiat, intelligentur duæ chordæ AM, am, quæ propter summam arcuum parvitatem sensibiliter non different ab arcubus ipsis: itaque nihil vetat quin arcus sumantur pro chordis, & vicissim. Est autem quadratum chordæ AM aequale rectangulo BAP; & similiter quadratum chordæ am aequale est rectangulo bap: quare quadrata arcuum AM, am aequalia quoque erunt rectangulis BAP, bap. Ex quo sequitur rectam AP aequalem esse ei, quod oritur dividendo quadratum arcus AM per diametrum AB; & similiter rectam ap aequalem esse ei, quod oritur dividendo quadratum arcus am per ejus diametrum ab: quare recta AP erit ad rectam ap, ut se habet quadratum arcus AM ad pli-

adPLICATUM AD DIAMETRUM AB AD QUADRATUM ARCUS ~~am~~
 adPLICATUM AD DIAMETRUM ab . EST AUTEM VIS CENTRIPETA
 CORPORIS A AD VIM CENTRIPETAM CORPORIS a, UT SE HABET
 ΔP AD Δp : QUARE PROPTER RATIONUM Δ QUALITATEM ERIT
 QUOQUE VIS CENTRIPETA CORPORIS A AD VIM CENTRIPETAM
 CORPORIS a QUEMADMODUM SE HABET QUADRATUM ARCUS
 ΔM ADPLICATUM AD DIAMETRUM AB AD QUADRATUM ARCUS
 am ADPLICATUM AD DIAMETRUM ab . SCILICET SI DUO CORPO-
 RA Δ QUALIA DESCRIBANT EQUABILITER CIRCUMFERENTIAS DUO-
 RUM CIRCULORUM, VIRES IPSORUM CENTRIPETA ERUNT UT QUAD-
 RATA ARCUM QUAM MINIMORUM EODENS TEMPORIS INTER-
 VALLO DESCRIPTORUM AD DIAMETROS CIRCULORUM ADPLICATA.

395. SIT PRÆTEREA AX ARCUS QUIVIS DESCRIPTUS A COR-
 PORE A IN TEMPORE QUOVIS FINITO, & SIMILITER SIT ax AR-
 CUS EODEM TEMPORE DESCRIPTUS AB ALIO CORPORE a . ET
 QUONIAM CORPORA A, & a SUPPONUNTUR Δ QUALIBILITER MO-
 VERI, ERIT ARCUS AM AD ARCUM AX UT EST TEMPUS PER AM
 AD TEMPUS PER AX; & SIMILITER ARCUS am ERIT AD ARCUM
 ax UT EST TEMPUS PER am AD TEMPUS PER ax: NAM IN MOTU
 CORPORUM Δ QUALIBILITER TEMPORA SUNT INTER SE UT SPATIA PER-
 CURSA: ATQUI TEMPUS PER AM EST AD TEMPUS PER AX, UT
 SE HABET TEMPUS PER am AD TEMPUS PER ax: SUNT ENIM
 Δ QUALIA INTER SE TUM TEMPORA PER ARCUS EXIGUOS AM,
 am, QUUM TEMPORA PER ARCUS FINITOS AX, ax: QUARE ERIT
 QUOQUE AM AD AX UT SE HABET am AD ax; & PERMUTAN-
 DO UT SE HABET AM AD am ITA ERIT AX AD ax . ITAQUE
 QUUM VIS CENTRIPETA CORPORIS A SIT AD VIM CENTRIPETAM
 CORPORIS a QUEMADMODUM SE HABET QUADRATUM ARCUS
 ΔM ADPLICATUM AD DIAMETRUM AB AD QUADRATUM ARCUS
 am ADPLICATUM AD DIAMETRUM ab ; ERIT ETIAM VIS CEN-
 TRIPETA CORPORIS A AD VIM CENTRIPETAM CORPORIS a UT
 QUADRATUM ARCUS AX ADPLICATUM AD DIAMETRUM AB
 AD QUADRATUM ARCUS ax ADPLICATUM AD DIAMETRUM ab :
 ADEOQUE VIRES CENTRIPETA corporis A, & a Δ QUALIBILITER
 LATORUM IN CIRCUMFERENTIIS CIRCULORUM NON modo eam
 SERVANT RATIONEM, QUAM HABENT QUADRATA ARCUM MINI-
 MORUM SIMIL DESCRIPTORUM, VERUM ETIAM SUNT INTER SE
 UT QUADRATA QUORUMVIS ARCUM FINITORUM EODENS TEM-
 PORE DESCRIPTORUM AD DIAMETROS CIRCULORUM ADPLICATA .

Et quo-

Et quoniam in motu æquabili, quando tempora æqua-
lia sunt inter se, spatia percursa sunt ut velocitates: vi-
res centripetæ, quas ostensum est esse ut quadrata ar-
cuum simul descriptorum ad diametros adPLICATA, erunt
etiam ut quadrata velocitatum ad eisdem diametros
adPLICATA: sive etiam vires centripetæ erunt ut quadra-
ta velocitatum directe, & diametri inverse. Ex quo
sequitur, eodem manente círculo, vim centripetam au-
geri, vel minui in duplicata ratione velocitatis auctæ
vel diminutæ; vicissim vero eadem manente velocitate
vim centripetam augeri, vel minui in ratione simplici
diametri imminutæ, vel auctæ.

396. Quoniam autem in motu corporum æquabili
spatia percursa rationem habent compositam velocita-
tum, & temporum; circumferentiaz ABD, abd, quæ spa-
tia à corporibus descripta designant, rationem habe-
bunt compositam ex rationibus velocitatum, & tem-
porum; itaque quum circumferentiaz sint inter se ut
diametri AB, ab; ipsæ diametri rationem pariter habe-
bunt compositam ex velocitatibus, & temporibus; adeo-
que velocitates erunt ut diametri directe, & tempora
inverse; quadrata autem velocitatum erunt ut quadra-
ta diametrorum directe, & quadrata temporum inverse.
Ostensum est autem vires centripetas esse inter se, quem-
admodum se habent quadrata velocitatum ad diametros
circulorum adPLICATA; quare eædem vires centripetæ
erunt ut quadrata diametrorum directe, ut quadrata
temporum inverse, utque ipsæ diametri inverse; sive
etiam ut diametri directe, & quadrata temporum in-
verse. Itaque si tempora circulationum æqualia fuerint,
vires centripetæ erunt ut diametri, sive etiam ut radii; si
vero diametri fuerint æquales vires centripetæ dupla-
sam temporum rationem, sed inversam servabunt. Deni-
que si diametri fuerint inter se ut quadrata temporum,
vires centripetæ æquales erunt.

397. Quapropter si duo corpora describant æqua-
biliter circumferentias duorum circulorum, erunt i vi-
res eorum centripetæ, vel centrifuga in duplicata rati-
one arcuum eodem tempore descriptorum directe, & in ra-
tione

tione simplici diametrorum inverse. II eadom vires erunt in duplicata ratione velocitatum directe, & in ratione simplici diametrorum inverse. III illa eadem vires erunt inter se ut diametri directe, & quadrata temporum inverse. IV Si tempora circulationum equalia fuerint, atque adeo velocitates sint ut circumferentia, sive etiam ut radii, vires centripetae erunt etiam ut radii. V si diametri, sive etiam circumferentia fuerint aequales, atque adeo tempora velocitatibus reciproce respondant, vires centripetae erunt reciproce ut quadrata temporum. Et VI denique si diametri fuerint inter se ut quadrata temporum, hoc est si velocitates fuerint ut tempora, vires centripetae aequalis erunt inter se. Sed his omnibus Theorematis, quae illustriora sunt addendum est hoc aliud, quod in revolutionibus Planetarum primariorum circa Solem, & secundariorum circa primarios locum habet, quemadmodum Libro II. demonstrabitur. Scilicet si quadrata temporum, quibus corpora absolvunt suas revolutiones fuerint ut cubi diametrorum, vires centripetae erunt reciproce ut quadrata diametrorum, sive etiam reciproce ut quadrata radiorum. Nam quoniam per Theoremam III. vires centripetae sunt ut diametri directe, & quadrata temporum inverses quadrata autem temporum ponuntur esse ut cubi diametrorum, eadem vires centripetae erunt ut diametri directe, & cubi earumdem diametrorum inverse, sive ut quadrata diametrorum, aut etiam radiorum inverse.

398. Videamus modo quomodo conferri possint vires corporum revolventium centripetae cum vi aliqua nota, qualis est vis gravitatis, qua agente scimus corpora prope superficiem Telluris decidendo in minuto temporis secundo describere pedes 15, & adhuc unciam unam, modo tamen aeris resistentiam sublatam supponamus; quemadmodum supra demonstratum est. Describat itaque corpus grave A æquabiliter circumferentiam ABD cum ea velocitate, quam ipsum adquisivisset decidendo ab altitudine EF: dico vim centripetam, qua vi corpus A detinetur in circumferentia ABD, esse ad vim ipsam gravitatis, ut se habeat duplo altitudinis EF ad

ad radium circuli AC. Quoniam enim velocitas, cum qua corpus A fertur in circumferentia ABD æqualis sit velocitati illi, quain ob vim gravitatis ipsum sibi comparavit in descensu per EF, necesse est ut idem corpus A in tempore, quo descendit ab E ad F describat æquabiliter spatium duplum altitudinis EF: itaque si arcus AX duplus sit altitudinis EF, tempus descensus ab E ad F æquale erit tempori, quod impendit corpus ad describendum æquabiliter arcum AX. Est autem tempus per AX ad tempus per arcum quamminimum AM ut AX ad AM, sive etiam ut 2EF ad AM; quare erit quoque tempus descensus ab E ad F ad tempus per AM ut 2EF ad AM. Quapropter quum spatia à corporibus gravibus decidendo descripta sint ut quadrata temporum, erit spatium descriptum in tempore casus ab E ad F ad spatium descriptum in tempore latonis per AM ut 4EF ad AM; est autem spatium cadendo descriptum in tempore primo ipsa longitudine EF; itaque spatium in secundo tempore descriptum erit quadratum arcus AM applicatum ad longitudinem 4EF.

399. Considerandum modo est, quod vis centripeta corporis A, qua vi ipsum retinetur in circumferentia ABD tanta est, quanta postulatur ad hoc ut corpus A in tempore per AM descendere possit versus centrum C per intervallum HM. Itaq; quum vires sint ut spatia eadem tempore quamminimo descripta, erit vis gravitatis corporis A ad vim centripetam, qua ipsum retinetur in circulo ABD, quemadmodum se habet quadratum arcus AM applicatum ad 4EF ad HM sive ad AP. Est autem AP æqualis quadrato arcus AM applicato ad diametrum AB: quare erit pariter vis gravitatis corporis A ad ejusdem vim centripetam in circulo ABD, ut se habet quadratum arcus AM applicatum ad 4EF ad idem arcus AM quadratum applicatum ad diametrum AB; sive etiam ut se habet diameter AB ad 4EF; aut etiam ut est radius AC ad duplum altitudinis EF: Unde invertendo vis centripeta corporis A in circulo ABD erit ad ejus vim gravitatis, ut est duplum altitudinis EF ad radium. Itaque quia hic tria contingere possunt I ut

Q. 2 radius

radius AC æqualis sit duplo altitudinis EF. II ut radius AC major sit duplo ejusdem altitudinis EF. Et III denique ut radius AC minor sit duplo altitudinis EF : si quidem *primum* accidat vis centripeta , & vis gravitatis æquales erunt inter se ; si *secundum* contingat , vis centripeta minor erit vi gravitatis ; denique si *tertium* eveniat , vis centripeta gravitatis vim superabit. Et quoniam corpus decidendo ab altitudine EF comparat sibi velocitatem , cum qua ipsum moveatur in circulo ABD ; ea , quæ modo tradita sunt de proportione , quæ est inter vim centripetam , & vim gravitatis sic aliter possunt enunciari . I si corpus A describat circumferentiam ABD ea cum velocitate , quæ adquiritur decidendo ab altitudine , quæ dimidium radii adæquat , vis ejus centripeta gravitatis vim adæquabit . II si corpus A describat circumferentiam ABD ea cum velocitate , quæ adquiritur decidendo ab altitudine , quæ minor est , quam dimidium radii , vis ejus centripeta gravitatis vi minor erit : id quod inde etiam constare potest , quod corporis in dato circulo revolventis vis centripeta minuitur in ea ratione in qua minuitur quadratum velocitatis , ut supra demonstratum est . III si corpus A describat circumferentiam ABD ea cum velocitate , quæ adquiritur decidendo ab altitudine , quæ major est quam dimidium radii , vis ejus centripeta gravitatis vim superabit : id quod inde etiam constare potest , quod corporis in dato circulo revolventis vis centripeta augetur in ea ratione , in qua augetur velocitatis quadratum .

400. Revolvatur nunc corpus aliquod in circulo maximo Telluris cum ipsa vi gravitatis ad centrum illius tendente ; quæritur tum ejus velocitas , quem tempus unius revolutionis . Quoniam vis centripeta corporis revolventis in circulo maximo Terræ concentrico sua gravitati æqualis supponitur , necesse est velocitatem ipsius tantam esse , quantam profecto compararet sibi decidendo ex altitudine , quæ dimidium semidiametri Telluris adæquaret : hoc est decidendo ex altitudine pedum Parisiensem 9807891 : nam Telluris diameter constituitur pedum Parisiensem 39231564 . Et quoniam spatio

spatia decidendo per cursa computata ab initio motus sunt in ratione temporum duplicata : faciendo ut pedes 15, & adhuc uncia una ad pedes 9807891, ita quadratum unius minutus secundi, (quo tempore grave corpus decidendo per transit pedes 15, & adhuc unciam unam) ad quantum proportionalem, qui est fere 650247, habebitur quadratum temporis, quo tempore corpus decidendo describere potest pedes 9807891: adeoque

³
radix quadrata illius numeri, quae radix est fere 806

¹⁰

designabit numerum minutorum secundorum, qui postulantur ad describendam supradiem longitudinem pedum 9807891 motu perpetim accelerato.

401. Præterea, quoniam in motu accelerato velocitates adquisitæ rationem temporum servant, velocitas adquisita in fine descensus ex altitudine pedum 9807891 erit ad velocitatem adquisitam in fine descensus ex al-

³
titudine pedum 15, & uncia unius, ut se habet 806

¹⁰

ad 1: itaque quoniam corpus velocitate, quam sibi comparavit decidendo ex altitudine pedum 15, & uncia unius potest describere æquabiliter in tempore unius secundi pedes $20\frac{1}{6}$; sequitur idem corpus velocitate illa, quam sibi comparavit decidendo ex altitudine pedum *Parisensium* 9807891 describere posse pedes $24327\frac{1}{4}$, fere, etiam in tempore unius minutus secundi. Atqui cum hac velocitate corpus revolvitur in circulo Terræ concentrico: ergo velocitas, cum ipsum revolvitur circa Tellurem cum vi ipsa gravitatis tanta erit, quanta requiritur ad hoc ut describere possit arcum pedum *Parisensium* $24327\frac{1}{4}$ spatio unius minutus secundi. Id quod aliter etiam inveniri potest. Scilicet quum quadratum arcus AM, quem corpus describit in tempore unius minutus secundi sit fere æquale rectangulo BAP; sitque diameter BA pedum *Parisensium* 39231564, & sagitta AP pedum *Parisensium* 15, & uncia unius: (vis enim centripeta supponitur eadem

Q. 3

cum

(cum vi gravitatis) multiplicatis per se inutuo istis duobus numeris, producendum $591742748\frac{1}{4}$ erit quadratum arcus AM: adeoque ipse arcus AM erit pedum fere 24227.

402. Quod attinet ad tempus periodicum unius revolutionis, illud sic determinabimus. Quoniam circulus, in quo corpus revolvitur, Telluris maximum circumferentia adaequare supponitur, quemadmodum maximus circulus Telluris creditur esse pedum *Parisienium* 12249600, ita totidem pedes continebit circulus ille, in quo corpus gravitate sua revolvi supponitur; Atque ostendit est corpus in hoc circulo in tempore unius minutus secundi describere pedes $2427\frac{1}{4}$; itaque si fiat ut $2427\frac{1}{4}$ ad 12249600, ita tempus unius secundi ad quartum proportionalem, qui est fere $5066\frac{1}{4}$, habebuntur secunda temporis, quæ postulantur, ad hoc ut corporis integrum revolutionem absolvat; eaque secunda sunt, ut diximus, $5066\frac{1}{4}$, sive etiam hora una, minuta 24, & secunda $26\frac{1}{4}$ fere.

403. Denique supponamus corpus aliquod moveatur in circulo Terræ concentrico ad Lunæ intervallum eodem tempore periodico, quo ipsa Luna revolvitur circa Tellurem: scilicet diebus 27, horis 7, & minutis 43: & videamus quam rationem habeat vis ejus corporis centripeta ad vim centripetam corporis gravis revolventis etiam in circulo Telluri concentrico, sed prope superficiem Telluris. Quoniam tempus periodicum corporis revolventis ad intervallum Lunæ est dierum 27, horarum 7, & minutorum 43, sive etiam est minutorum secundorum 2360580: tempus autem periodicum alterius corporis revolventis prope superficiem Telluris inventum est secundorum $5066\frac{1}{4}$ fere; erit tempus primum ad tempus secundum ut 2360580 ad $5066\frac{1}{4}$, sive etiam ut 466 ad 1; adeoque quadrata temporum periodorum sunt inter se in ea ratione, quam habet 217156 ad 1. Præterea adlumpta Lunæ à Tellure distantia media semidiametrorum terrestrium $60\frac{1}{9}$ fere; erit radius circuli in quo revolvitur primum corpus ad radium circuiti in quo revolvitur corpus alterum ut

ut $60\frac{1}{3}$ ad 1: adeoque in eadem ratione erunt parites diametri eorumdem circulorum : cubi autem earum diametrorum erunt inter se fere ut se habet 217 201 ad 1. Atqui ostensum est in eadem fere ratione esse quadrata temporum periodicorum utriusque corporis : itaque ut se habent quadrata temporum corporum revolvantium, ita se habebunt cubi diametrorum. Quapropter quoniam in hac hypothesi vites centripetas corporum revolvantium sint inveterse, ut quadrata radiorum, quemadmodum supra demonstratum est: sequitur vim centripetam corporis revolventis in circulo Terræ concentrico ad intervallum Lunæ esse ad vim centripetam corporis gravis revolventis in circulo Terræ concentrico prope superficiem Telluris, ut se habet quadratum semidiametri orbis Lunaris. Et quotiam revera Luna movetur circa Tellurem in orbe ipsi pene concentrico intervallo dierum 27, horarum 7, & minutorum 43, non dubitandum est quin Luna retineatur in orbe suo à vi gravitatis ad Telluris centrum tendente, sed quæ eo loci decevit in duplicata ratione distantia.

SECTIO TERTIA.

De Qualitatibus Corporum.

464. **E**X iis, quæ in Physica generali consueverunt pertractari, illud est extremum, ut præcipuas corporum qualitates patillo diligentius, quam vulgus Philosophorum solet, persequantur: Nam hæc una est tutissima via cognoscendorum corporum, ut in proprietates ipsorum intendamus animum, earumque accuratissimam notitiam nobis comparemus. In quo Geometrarum industria, diligentiamque æmulari oportet; qui quum volunt alicujus figuræ naturam penitus cognoscere, quidquid proprietatum ad figuram illam pertinet, rimantur, atque investigant. Atque utram omnes corporis proprietates perspectæ nobis essent!

PHILOSOPHIE NATURALIS
nonnullarum enim nonnisi rudem habemus notitiam :
aliarum sola nomina comperta nobis sunt: fortasse sunt
& aliae , quas, ne suspicamur quidem, ad corpora perti-
nere . Nam illud certum est, intimam corporum consti-
tutionem tunc cognosci posse, quam omnes eorum pro-
prietates cognoscuntur: at iis ignoratis eorum naturam
occultam , atque ab hominum scientia longe remotam
esse oportet.

C A P U T P R I M U M.

*Qualitatum præcipua differentiæ indicantur.
De qualitatum divisione , easque per-
tractandi methodo.*

405. **I**N ipsis hujus operis *Prolegomenis* omnes corpo-
rum naturalium proprietates ad tres classes re-
vocavi . Ad primam classem retuli proprietates illas ,
quæ sunt *universales* , & *essentiales* ; ut sunt *soliditas* ,
extensio , *divisibilitas* , *figura* , *motus* , & *vis inertie* ; de
quibus accuratissime egisse videor. Ad secundam revo-
cavi illas, quæ videntur quidem esse *universales* , sed *ac-
cidentales* corpori sunt: quales profecto esse videntur
vis attractrix , *vis elastica* , & *vis gravitatis* , quas leviter
supra delibavi . Denique ad tertiam classem retulit
proprietates , quæ & *accidentales* corpori , & *particulari-
res* sunt , quo in numero sunt *calor* , *frigus* , *sapor* , *odor* ,
color , reliquaque hujusmodi; de quibus ne verbum qui-
dem ullum factum haec tenus est.

406. Sed placet nunc divisionem aliam proponere,
ipsiusque proprietatis , vel etiam affectionis vocabu-
lum, quod haec tenus usurpavi in *qualitatis* nomen com-
munare . Itaque omnium corporis qualitatum , (quod
nomen proprietates ipsius designat) duplex est genus :
aliae enim *primariae* sunt , atque *originales* ; aliae vero
sunt tantum *secundariae* , atque *derivative* . Qualitates
primarias adpello illas , quæ ab ipsa origine pertinent
ad corpus , neque ullum agnoscunt principium sui; præ-
terea

ter ipsum Deum rerum omnium opificem: in quo numero sunt *soliditas*, *extensio*, *divisibilitas*, *figura*, *motus*, atque *inertia*; uno verbo omnes proprietates, quas essentiales esse supra demonstratum est. Quapropter rogati quare corpus solidum sit, figuratum, mobile, extensem, divisibile, atque iners nihil ultra respondebimus, nisi quod Deus talem voluit esse ipsius constitutionem, atque naturam. Qualitates vero derivatis eas voco, quae ab illis primis dependent: adeoque illae non quidem ab origine pertinent ad corpus, neque sunt ei innatae, atque congenitae, sed potius adventitiae; in quo numero sunt *gravitas*, *levitas*, *elasticitas*, *vis attractrix*, *sapor*, *odor*, *color*: uno verbo omnes proprietates accidentales tum universales, quum particulares. Itaque rogati quare corpus sit grave, vel leve, vel elasticum, vel odorum, vel sapidum, haud quidem respondebimus talem esse ejus constitutionem, sed potius dicemus haec proficiunt ab illis primis qualitatibus, quas primarias appellavimus. Veluti in auro soliditas, extensio, divisibilitas, figura, &c. qualitatum primariarum locum obtinent. At vero dulcitas, color flavus, certum pondus, aliisque hujusmodi proprietates in censu sunt qualitatum secundiarum; quae quidem secundariae qualitates ex primis illis, tamquam ex proprio fonte manant, ac defluunt, ut postea demonstrabitur.

407. Hac qualitatum distinctione praemissa, illud primo adnotandum hic est, qualitates primarias in omnibus corporibus peraque occurtere, neque ab ipsis ulla ratione divelli posse: quum tamen qualitates secundariae, aut in omnibus corporibus minime deprehendantur, aut, si aliquae ex iis in omnibus occurrent, id tamen accidentaliter, & quasi casu fit, non autem necessitate aliqua; possentque corpora qualitates illas abjecere absque interitu substantiae. Veluti qualitates soliditatis, extensionis, divisibilitatis, figurae, &c. ita pertinent ad omnia corpora, ut citra naturae corporeae interitum ab ipsis divelli nequeant: At vero qualitates gravitatis, elasticitatis, frigoris, caloris nihil vetat quin absint a corporibus, in quibus sunt, absque eo, quod natura corporea

350 PHILOSOPHIAE NATURALIS

porea penitus intereat. Sed fatendum est, qualitates secundarias accidentales esse naturae corporae in genere spectatae, at vero essentiales esse huic vel illi corporum speciei. Ut ex. gr. qualitas caloris accidentalis est corpori in genere spectato: nam corpus in genere spectatum neque calidum est, neque frigidum; at eadem qualitas caloris essentialis est igni, itaque est ei essentialis, ut, extinto calore, statim ignis intereat, quia inquam maneat adhuc natura corporea. Similiter fluiditatis qualitas accidentalis est corpori in genere: nam corpus spectatum in genere neque fluidum est, neque durum, neque molle. At eadem qualitas fluiditatis essentialis est aquae, adeoque est ei essentialis, ut illa, amissa fluiditate, aqua naturam amissam censenda sit. Explicare, id licet exemplo figuræ, & trianguli, quod quidem est species quædam figuræ. Nam quod, productis lateribus, omnes anguli externi aequalis sint quatuor rectis, sane ea est proprietas universalis, atque essentialis omnium figurarum: adeoque nulla est figura, ad quam proprietas illa necessario non pertineat. Sed quod tres anguli uniuscuiusque trianguli aequales sint duobus rectis, id est quidem essentialis triangulo, at vero accidentale est figuræ in genere spectatae: adeoque dari possunt innumerae figuræ, ad quas proprietas illa minime pertineat.

408. Adnotandum est præterea, qualitates corporum secundarias nihil aliud esse, nisi potentias quasdam, sive facultates, quæ sunt in corporibus immittendi in nos earum qualitatum sensum. Nam calor in igne nihil aliud est, nisi facultas, sive potentia, quam habet ignis excitandi in nobis caloris; & similiter lumen in Sole, inque cæteris corporibus lucidis nihil aliud est, nisi potentia, quæ est in ipsis excitandi lumen in nobis. Hujusmodi potentias comparant tibi corpora medianibus qualitatibus primis: nam calor, qui excitatur ab igne, non aliunde proficiuntur nisi à motu concitatissimo particularum ignis, ut postea demonstrabitur: lumen vero, quod à Sole emanare videtur, oritur etiam à motu particularum ipsius, qui motus propagatione transmicitur usque ad oculos nostros.

409. Quæ-

409. Qualitatum autem tum primariarum, quoniam secundiarum (quamquam hic de secundariis tantum qualitatibus agendum nobis sit) notitiam nos adquirimus adminiculo sensuum. Nam colores, ac lumen oculis, sonum auribus, odores naribus, sapores lingua, reliquas qualitates per tactum cognoscimus. Itaque tot constitui possunt qualitatum classes diversæ, quot sunt humani corporis sensus. Et sane quemadmodum humana corpora quinque sensibus instrueta sunt, ita communiter quinque qualitatum secundiarum classes recensentur. Sunt enim quedam qualitates, quas ad sensum visus pertinere docent passim Philosophi; sunt aliae, quas ad sensum auditus: aliae, quas ad sensum odoratus: aliae, quas ad sensum gustus: aliae denique quas ad sensum tactus referunt: eoque ordine earum tractationem persequuntur.

410. Sed accuratius diligentiusque se hac in parte ges-sissent Philosophi, si tactum unicum esse, simplexque subsidium ad qualitates cognoscendas comparatum prou-nunciassent. Nam quoniam nos oculis vel lucem, vel colores perspicimus, id non fit absque tactu. Similiter quando sonum auribus, odores naribus, sapores lingua percipimus, in eo tactus praecipuae sunt partes: enim vero ad videndum necesse est nervos ei sensui destinatos convelli à materia quadam idonea, de qua, infra agendum nobis erit; ad sonum autem, vel odores, vel sapores percipiendos necesse quoq[ue] est, ut nervi illi, qui singulis, istis sensibus à natura sunt attributi, certa quadam ratione convellantur, atque agitantur: id quod non alio patet fieri posse intelligimus, nisi per contactum. Itaque quemadmodum sensus omnes tactui subjecti sunt, atque subordinati, ita si veritati consulendum erat, id videbatur fuisse constituendum, tactum unicum esse, atque solum sensum ad qualitates cognoscendas homini à natura attributum. Quo constituto illud addendum erat ad certas qualitates cognoscendas, ita nonnullas corporis partes fuisse à natura destinatas, ut qui iis partibus caret, eo ipso defitueretur adjumento earum pernoscendrum. Ut ecce colores, & sonus, quamquam cognoscenda-

erg per tactum, tamen oculis subjecta sunt; reliquæ autem partes corporis ad ea cognoscenda sunt prorsus ineptæ: itaq; qui à natura cœcus est, is nullam luminis colorumque notitiam habere potest. Præterea quamquam sapores percipiuntur etiam per tactum, attamen ad id solus palpatus à natura destinatus videtur: reliquæ corporis partes nihil ad idem valent. Idem dicendum est de sono, qui auribus solis, idem de odoribus, qui solis naribus percipiuntur: quæ fuisse causa mihi videtur, ob quam factum est, ut Philosophi visum, auditum, gustum, atque odoratum segregarent à tactu, à quo tamen sejungendi non fuerunt.

411. Itaque tum sensuum humani corporis, quum qualitatum, quarum notitiam nos per sensus adquirimus, hæc ni fallor, verissima est agnitio. *Omnes humani corporis sensus, omnesque qualitates continentur tantum sub tactu.* Tactus autem, quamquam per totum pene corpus humanum diffundatur, tamen in quibusdam partibus ipsius particularia nomina sortitur: nam in oculis visus dicitur: in naribus odoratus; in lingua gustus; in auribus vero auditus adpellatur; in reliquis omnibus corporis partibus retinet nomen genericum, tactusque dicitur. Unde quamquam oculis nos videre, auribus audire, lingua degustare, naribus olfacere dicamus, tamen generaliter nonnisi tactu nos sentire pronunciabimus.

412. Sentimus autem tactu modo mediato, modo immediato. Nam sapores corporum vix aliter, quam tactu immediato degustari possunt; odores autem propagantur ad magna intervalla, adeoque eos eminus etiam percipimus. Sed soni ad intervalla longe majora diffunduntur; atque ad intervalla longe adhuc majora diffunditur lux; quæ idcirco per contactum mediatum percipitur. Sunt etiam nonnulla, quorum comparare nobis possumus notitiam per contactum tum mediatum, quum immediatum. Veluti fluiditatem aquæ stagnantis in vase possum ego cognoscere tactu immediato, immittendo scilicet alteram manum in aquam, atque eam huc illuc leviter cum difficultate jactando; sed nihil

nihil vetat, quin eadem fluiditas cognoscatur etiam tactu mediato, puta baculo interposito, qui manu comprehensus susque deque per aquam jaſtari pariter potest.

413. Quæ cum ita sint qualitatum *Theoriam* duabus sectionibus comprehendere proposui, eo scilicet consilio, ut qualitates, quæ ad tactum proprie dictum pertinent, secernem ab illis, quæ ad reliquos quatuor sensus patim ferri solent. Itaque hac tertia lectione eas qualitates persequar, quæ ad sensus oculorum, aurium, narium, atque linguae pertinent; quales profecto sunt lux, colores, soni, odores, atque sapores. Sectione vero quarta, quæ hujus Libri primi novissima erit, de reliquis qualitatibus differam, quæ proprie ad sensum tactus referuntur; scilicet de gravitate, levitate, duritate, fluiditate, elasticitate, aliisque hujusmodi. Sed his omnibus præmittenda esse videntur nonnulla de sensationibus, de qualitatum natura, de earum propagatione, deque legibus, quibus ex diffunduntur; quæ quidem omnia brevissime perstringam Capite sequenti.

CAPUT SECUNDUM.

*De sensationibus. De qualitatum natura.
Qua ratione, quibusve legibus per regiones circumiectas propagentur.*

414. A primo quidem loco id videtur hic esse discussendum quid sensatio sit, & quomodo peragatur; nam qualitatum noticiam solis sensibus comparari posse supra demonstratum est. Itaque sentire nos dicimus, quando percipimus, intelligimus, vel quovis modo cognoscimus vices, atque commutationes corporis nostri. Veluti quando apis aculeo ferimur, fit vulnus in corpore nostro, à quo vulnera excitatur cogitatio, sensusque doloris. Similiter cum igni assidemus, agitatio quedam blanda, atque jucunda excitatur in partibus corporis, à qua deinde ortum trahit caloris sensatio. Quapropter ad sensationem duo necessaria esse videntur-

dentur. Primo enim necesse est aliquid corrupti, vivi, vel aliquo modo mutari in corpore nostro. Itaque si nulla corpori nostro mutatio contingat; aut nullus omnino sit sensus, aut saltem nullus noviter adveniet. Tum requiritur, ut nos ejus mutationis admoneamur. Itaque contingere possunt mutationes quamplurimae in corpore nostro, quamquam nullum nos earum sensum habeamus; scilicet quia fieri potest, ut earum minime nos admoneamur. Sic alienato animo, nihil sentire videamur eorum, quae corpori accidunt. Sic etiam in somnis raro sentimus ægritudines, atque passiones corporis. Denique quos paralysis torquet, iij vident ura libi manus sine ullo sensu doloris.

415. Quibus quidem observationibus uti possumus ad refellendos Scholasticos, qui sensationes adscribunt corpori, non animo. Nam si corpus sentit, non animus, difficile est explicatu quare alienato animo, vel sopito corpore, vel eo paralyti affectio sensationes desinant. Praecipue autem quin mens alio intenta est, nos apertis oculis nihil prouersus videmus eorum, quæ coram fiunc. D. Augustinus meminit cujusdam Afri, qui, quando ei placebat, ad imitatas quasi lamentantis hominis voces ita se auferrebat à sensibus, & jacebat simillimus mortuo, ut non solum vellentes, atque punentes minime sentiret, sed aliquando etiam igne ureretur adhuc sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere. Itaque idem Augustinus non uno loco docet, sensationes animi esse, non corporis: nam Libro XIV. de Civitate Dei hæc habet. Dolores, qui dicuntur carnis, anima sunt in carne, & ex carne. Alibi dolor carnis tantummodo dissensio est animæ ex carne, & quadam ab ejus passionē dissensio; sicuti animæ dolor, qui tristitia nuncupatur, dissensio est ab iis rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt. Præterea Libro VII. Genesios ita differit. Quum afflictiones corporis molestie sentit anima, actionem suam, qua illi regendo adeat, turbato ejus temperamento impediri offenditur; & hac offensio dolor vocatur. Audiamus quæso Marcum Tullium Ciceronem ita de hac re præclare differentem. Nos enī ne nunc quidem oculis cernimus ea,

qua

quæ videmus: neque enim est ullus sensus in corpore, sed viae quasi quædam sunt ad oculos, ad aures, ad narres & sede animi perforata.

416. Sed quod à Cicerone obscurius dictum est de viis, quæ à sensibus ad animi sedem ducunt, videndum est quomodo intelligi debeat. Docent Anatomici à cerebro ad omnes pene corporis partes tenuissima quædam nervorum fila, chordarum instar, protendi, quæ fila instrumenta esse sensuum haud temere conjiciunt. Nam per ea fila, sive etiam per eos duos, & vias, ut Cicero loquitur, anima, quæ in cerebro suum habet domicilium, admonetur eorum omnium, quæ externis corporis partibus, atque membris contingunt. Quippe sciendum est in unaquaque sensatione tria semper occurrere, quæ tamquam totidem gradus ipsius haberi debent. Nam quando calorem ex.gr. lentimus, *primus* ejus sensationis gradus est impetus particularum ignis in corpus nostrum, qui generaliter *actio objecti* adpellatur. *Secundus* ejusdem sensationis gradus est agitatio orta in partibus corporis nostri à pulsu, atque *tertii* particularum ignis, quæ generaliter *passio organi* dicitur. Denique *tertius* gradus ejusdem sensationis est translatio passionis organi usque ad cerebrum: quæ quidem translatio sit per fila nervorum, quæ à cerebro ad omnes corporis partes porrigitur. Id autem quum sit, mons sentit corpus, cui conjuncta est, adfectum suisse, tuncque sensatio perficitur. Quapropter si vias, de quibus loquitur Cicero interseptæ sint; hoc est si nervi exēcti, aut languidi, aut obstruti, aut plus æquo compresi sint, omnis sensus desinat necesse est.

417. In eo etiam allucinantur Scholastici, quod existimant qualitates secundarias esse prorsus similes sensationibus, quæ in nobis ab iisdem illis qualitatibus excitantur. Vulgare enim est apud ipsos, calorem ignis similem esse sensui caloris, quem nos ad ignis præsentiam habemus; frigus nivis simile esse sensui frigoris, quem, niveum contreditando, habemus; dulcedinem facchari non esse diversam à sensu dulcedinis, quam, faccharo linguae admoto, percipientem; denique lumen Solis

lis non esse diversum à sensu luminis in nobis ab ipso Sole excitato. Id quod quam absurdum sit, atque à veritate alienum sequentibus rationibus constabit. *Primo* enim sensationes unæquæq; quum animi sint non corporis, nequaquam similes esse possunt qualitatibus, quæ ad corpora pertinent: nam quemadmodum substantia spiritualis, & substantia corporea sunt res toto cœlo diversæ, ita proprietates utriusque in infinitum differre debent inter se. *Secundo* si dulcedo revera esset in saccharo; hoc est si id, quod est in saccharo revera simile esset sensu dulcedinis, quam homines, quibus placet saccharum, perfentiunt, nulla adferri posset causa, quare saccharum nonnullis deberet displicere: itaque quum multi illud fastidiant, dicendum est saccharum in se dulce non esse, sed tantum habere facultatem excitandæ dulcedinis non quidem in omnibus hominibus, sed in iis, quibus gustus est certo modo conformatus. Neque hic dicant nonnulli eos qui saccharum fastidunt, revera dulcedinem fastidire, atque aspernari; & si enim ita verbis pronuncient, tamen dubio procul est, sensationem in ipsis à saccharo excitatam longe diversam esse ab ea sensatione dulcedinis, quam, qui saccharo delectantur, experiuntur. Itaq; & ij qui saccharo delectantur, & ij qui idem fastidiunt utuntur quidem eodem vocabulo dulcedinis ad indicandam sensationem in ipsis à saccharo excitatam, at vero sensationes sunt longe diversæ: neque mirum est si in nomine convenienter; nam à prima infantia, quum saccharum degustare cœperunt, illud dulce vocari passim exaudiebant.

418. Idem dicendum est de odoribus, deq; coloribus, quibus iisdem non omnes homines æque delectantur. Quin imo accedit interdum, ut quod ætate integra nobis placere consuevit, id idem ætate jam inclinata fastidio sit. Hic absurdum est dicere qualitatem rei esse immutatam: at vero mutationem in organo contigisse versimilius est. Quo quidem admissò dicendum est, tunc easdem sensations excitari ab eodem objecto in pluribus hominibus, vel in eodem homine diversis temporibus, quando organa illorum eadem ratione conformata

mata sunt : vel etiam quando ejusdem hominis organum nullam mutationem labente tempore patitur. Memorabile est quod *Jacobus Rhoaultius* de se ipso memoriae prodidit . Is quum ad intervallum duum millium passuum tubo optico duos exercitus inter se pugnantes intueretur , diuturnitate autem spectaculi (duodecim enim horas continuas oculum ad id intentum habuerat) dextrum oculum defatigasset , sensit omnia corpora flava oculum defatigatum aliter , atque antea affecerant , & ut tunc etiam sinistrum oculum integrum affiebant , percellere . Expertus est etiam colorem , qui viridis adparebat oculo sinistro , cæruleum videri oculo dextro . Quod quidem experimentum documento esse potest , fieri posse , ut colores nonnulli aliter adpareant quibusdam hominibus , aliter aliis hominibus . Ad id enim nihil aliud postulari videtur , nisi aliqua in oculorum organo diversitas .

419. *Tertio si qualitates essent in corporibus eadem ratione , qua à nobis percipiuntur , dicendum pariter esset dolorem esse in igne , vel in aculeo apis , quando nos vel urimur , vel vulneramur . Nam si ex eo tantum , quod Sol excitat in nobis sensum lucis , vel rosa sensum odoris , vel lilyum sensum albedinis colligi posse contendimus Solem esse lucidum , rosam esse odoratum , lilyum esse album ; quid ni liceat etiam inferre ignem , atque aculeum apis dolorem continere , quia iij doloris sensum excitant in nobis ? quod tamen absurdum est . Atque ut huic argumento majus pondus accedat , ita propendum esse videtur . Quando nos ad modicum intervallum igni assidemus , sensum caloris experimur , qui quidem blandus est , atque jucundus ; præsertim vero si tempestas frigida sit , atque aspera . At vero quando igni propriores sumus , sic ut ab ipso igne pene tangamur , tunc molesta , atque ingrata incipit fieri sensatio illa , usque ad eo , ut doloris sensus subsequatur . Jam vero quum in posteriore sensatione nihil quidquam sit amplius , quam proximitas ignis , intelligi plane non potest quare calor esse debeat in igne , dolor autem , qui paullo post subsequitur in igne esse non debeat . Aut*

R

itaquę

itaque uterque tunc calor , quum dolor adscribendus est
igni, aut uterque igni denegandus est.

420. Erunt fortasse, qui querant, quid sit igitur in
objectionis, ex quibus sensations emanare videntur, quum
neque calor, neque frigus, neque odor, neque sapor,
neque lux, neque color in ipsis sint: cui quidem inter-
rogationi respondendum est, in corporibus qualitates
nihil aliud esse, nisi facultates, sive potentias excitan-
darum sensationum, quemadmodum superiori etiam
Capite adnotatum est. Scilicet calor in igne est facultas
excitandi caloris. Et similiter odor in rosa est facultas
excitandi odoris; qua ratione dolor in aculeo apis est
etiam facultas excitandi doloris. Præterea dicendum est
eas facultates corporibus inesse propter ipsas qualitates
primarias extensionis, soliditatis, figuræ, atque motus.
Nam ut corpus sit calidum necesse est, particulæ illud
componentes certa ratione esse agitatas: ut sit odorum
opus est, ut ex corpore particulae quædam subtilissimæ
continuo expirent, quæ ad vellicandas nares sint aptæ:
quapropter si particulari supradictarum vel motus, vel
exhalatio cesseret, desinet vel calor, vel odor in cor-
pore quod calidum erat, & odorum; quorum primum
contingit in aqua jam refrigerata; alterum in rosa, cæ-
terisque floribus jam exiccatis. Ex quibus consequtur,
qualitates corporum primarias esse quid reale, atque ve-
rum in objectis; qualitates vero secundarias nihil pro-
sus realitatis habere in ipsis objectis: nam extensio, fi-
gura, motus, & soliditas revera sunt in objectis; at vero
color, lux, frigus, calor, odor nihil sunt in corporibus
præter simplices potentias. Unde etiam idæ, quas ha-
bemus in mente nostra de qualitatibus primis cum
ipsis qualitatibus primis convenienti; at vero idæ,
quas habemus de qualitatibus secundis immane quan-
tum distant ab ipsis secundis qualitatibus.

421. Videndum modo est quomodo qualitates dis-
fundantur, & propagentur: nam qualitates saltem ali,
quas ad longa intervalla propagari per regiones cir-
cumiectas, id quidem manifestum est ex lumine, sono,
atque odoribus, qui eminus etiam percipiuntur: at ve-

ro secundum quam legem diffundantur, id non est æque manifestum. Et quidem corpus qualitatem aliquam circum circa emittens dupli modo potest illam diffundere, scilicet vel per lineas rectas, quemadmodum faciunt corpora lucida, quæ lucem quoquaversus per vias rectilineas emitunt, vel etiam per lineas curvas, ut corpora sonora, quæ sonum per undas aeras diffundere existimantur ad instar motus illius, qui jaſtu lapilli excitatus in superficie aquæ stagnantis diffunditur circum circa per undas. Sed utrovis modo diffundantur qualitates, illud extra omnem dubii aliam positum est, earum virtutem eo magis remitti, quo magis à centro sive à sede qualitatis dilceditur.

422. Sit enim A (Fig. 58.) corpus, à quo qualitas emanat, diffundens se per regiones circumjectas: spatiū autem corpori A circumfusum, per quod qualitas diffusa est distributum intelligatur in innumerās superficies concentricas ipsi corpori A. Et jam si vis qualitatem diffundi per lineas rectas, statuas oportet eam propagari per radios exeuntes è corpore A tanquam è centro. Itaque quum radii isti in recessu à centro magis semper, atque magis divergant, necesse est virtutem qualitatis jugiter minui in recessu ab eodem centro: nam qualitatis virtus ibi debet esse potentior, ubi radii per quos qualitas propagatur sunt magis conferti; ibi vero esse debet infirmior, ubi iidem radii, magis divergunt. Quod si autem vis, qualitatem diffundi per undas, idem prorsus consequitur: Etenim quæ virtus in distantia AB diffunditur per superficiem BCD, eadem virtus in distantia majore AB diffundetur per superficiem majorem bcd; in distantia autem adhuc majore AE diffundetur per superficiem longe majorem EFG; itaque quum qualitas diffundatur in recessu à centro per superficies semper maiores, atque maiores, necesse est ejus virtutem sensim diminui, atque languescere.

423. Sed non satis est deprehendisse virtutem qualitatis remitti in recessu à centro: oportet quoque cognoscere secundum quam proportionem ea remittatur.

R 2

Et qui-

Et quidem si qualitas diffunditur per lineas rectas, ejus virtus eo erit potentior, quo radii sunt magis conferti; eo vero erit languidior, quo iidemmet radii sunt minus conferti. Itaque virtus qualitatis proportionalis erit spissitudini radiorum. Atqui spissitudo radiorum in superficie BCD est ad spissitudinem radiorum in superficie EFG ut superficies posterior EFG ad superficiem priorem BCD; nam pro ut superficies EFG duplo, vel triplo, vel quadruplo major est superficie BCD, ita spissitudo radiorum in superficie BCD erit etiam duplo vel triplo, vel quadruplo major, quam in superficie EFG; quare virtus qualitatis in superficie BCD erit ad virtutem qualitatis in superficie EFG reciproce ut superficies EFG ad superficiem BCD. Itaq; quum superficies EFG sit ad superficiem BCD quemadmodum se habet quadratum distantiae AE ad quadratum distantiae AB, erit propter rationem æqualitatem, virtus qualitatis in superficie BCD ad virtutem qualitatis in superficie EFG ita quadratum distantiae AE ad quadratum distantiae AB. Ex quo consequitur, qualitatem circumcirca per lineas rectas diffusam ita propagari, ut ea decrescat in recessu à centro in ea ratione, in qua crescit quadratum distantia.

424. Eadem lex habet locum in diffusione qualitatum, quæ propagantur per undas. Nam qualitas, quæ in distantia AB occupat superficiem BCD, ea in distantia AE occupabit superficiem EFG; adeoque virtus qualitatis in superficie BCD erit ad virtutem qualitatis in superficie EFG ut se habet superficies EFG ad superficiem BCD: nam pro ut superficies EFG duplo vel triplo major est superficie BCD, ita qualitas in superficie BCD erit duplo vel triplo intensior quam in superficie EFG: est autem superficies EFG ad superficiem BCD ut quadratum distantiae AE ad quadratum distantiae AB: quare propter rationum æqualitatem erit virtus qualitatis in distantia AB ad virtutem qualitatis in distantia AE ita quadratum distantiae AE ad quadratum distantiae AB: Scilicet virtus qualitatis diffundentis

tis se circum circa per undas ita etiam propagatur , ut ea minuatur in ea ratione , in qua augetur distantia quadratum.

425. Unde modo facile erit conferre inter se virtutes duarum ejusdem generis qualitatum, quæ ex duobus corporibus , sive potius ex duobus centris virium inæqualium emanant . Nam ad æquales à corporibus , sive etiam à centris distantias dubitari vix potest, quin qualitatum virtutes sint inter se ut vires eorumdem corporum: itaq; quum virtus uniuscujusq; decrescat, ut crescat quadratum distantiae, sequitur virtutem qualitatis unius esse ad virtutem qualitatis alterius conjunctim *ut vis unius corporis ad vim alterius directe*, & *ut quadratum distantia unius ad quadratum distantia alterius reciprocè*. Ex. gr. si vis corporis A fit ad vim corporis B ut n^2 ad 1 , & queratur virtus qualitatis emanantis à corpore A in distantia m quam rationem habeat ad virtutem qualitatis emanantis à corpore B in distantia 1 , coripferemus virtutes istas else in ratione composita ex rationibus n^2 ad 1 , & 1 ad m^2 , quarum prior est ratio virium ipsorum corporum , posterior vero est duplicita ratio inversa distantiarum . Et quoniam ex earum rationum compositione oritur ratio , quam habet n^2 ad m^2 , liquet virtutem prioris qualitatis esse ad virtutem posterioris , ut se habet n^2 ad m^2 ; adeoque eæ virtutes æquales erunt inter se , quando n , & m sibi mutuo sequantur.

CAPUT TERTIUM.

De lucis natura , ejusque vulgaribus proprietatibus .

426. **A**D investigandam lucis naturam recensenda hic esse videntur præcipua phænomena, quæ circa eam vulgo observata sunt. Ec *primo* quidem quæ tria sint corporum genera, *lucida*, quæ lucem emittunt, *pellucida*, quæ lucem transmittunt, & *opaca* quæ lu-

cem reverberant, id videtur extra omnem dubii aleam esse constitutum, corpora lucida, sive lucem emittentia esse illa, quorum particulae sunt in perpetuo, & vehementissimo motu. Lucida namque potissimum sunt flammae, & corpora omnia ignita; patet autem vel ipso oculorum testimonio flammæ particulas continuo moveri; idemque de corporibus ignitis liquet ex eorum combustione; etenim quoniam non aliter consumantur, nisi per partium divisionem, procul dubio necesse est rapidissimo motu eorum particulas agitari.

427. Præterea ex collisione silicis cum chalybe, vel etiam arundinis Indicæ cum canna communis, frigido præterim, siccoque cælo, ignis fulgentissimæ scintillæ elicuntur: id quod non sit sine motu: nonnullæ enim corporum corporum particulae, dum colliduntur, exiliunt, agitationemque quandam concipiunt non dissimilem ejus, qua particulae ignes donatae sunt. Idem dicendum est de ligno computrescente, deque piscibus nonnullis, qui, dum corrumpuntur, valde lucidi sunt: nullum enim corpus computrescere, corrumpique potest, nisi per motum particularum suarum, quarum nonnullæ evolare foris debent. In quo prætereundum non est id, quod Clarissimus *Royles* experiendo reperit; is enim quoniam frustum ligni putridi in machina pneumatica inclusisset, ut aer exhauriatur, ita lumen extingui observabat; rursus vero intromisso aere, lignum putridum collucere, atque pristinum splendorem recuperare videbat. Ex quo experimento adparet aerem procreationis luminis in corporibus putrescentibus esse necessarium. Neque mirum: nam corruptio corporum, ut in loco demonstrabitur, aeris agitationi adscribenda est: itaque remoto aere, aut omnino perit, aut saltem minuitur motus ille, qui in partibus corporum computrescentium excitatus fuerat; adeoque cum ipso motu lux debilitetur, ac tandem extinguatur necesse est. Denique cicindelarum in tenebris lux non aliunde ortum habet, quam ab effluviis nonnullis, quæ ex earum corpore expirant: compertum est enim ipsarum lucem una cum vita extingui, ac terminari.

428. Secundo circa lucem illud etiam constat , eam ex quovis puncto corporis lucidi , veluti ex centro propagari undeque per regiones circumjectas secundum linearum numerum indefinitum , quæ lucis radii passim appellantur : nam lucis quantitas admodum exigua scintillam minutam adæquans conspici potest in omni puncto sphærae , cuius centrum occupat scintilla ; adeoque lux per radios ex centro sphærae ad totam superficiem emissos conspicitur . Horum radiorum subtilitas est ingens , & fere comparabilis cum lineis , radiosque geometricis : quanta enim luminis copia simili transire per exiguum foramen ! dum fere quarta cœli pars cum omnibus corporibus videtur uno intuitu simul ab oculo per foramen in charta tenuissima acicula factum . Præterea candelæ in alta turri existentis lumen ut ut subdebile , undiq; ad distantiam dimidii milliaris videtur : quare nullum in sphæra diametri unius milliaris est punctum , quod non radium lucis recipiat ; horum autem radiorum ingens vis è parva candelæ flamma egredientium subtilitatem profecto magnam arguit in luce . Denique eadem radiorum subtilitas colligi potest ex eo , quod lux penetret poros adamantium , gemmarum , vitrorum , aliorumque corporum pellucidorum ; qui pori quum sint angustissimi , transitum nonnisi tenuissimo corpori concedere possunt .

429. Lux itaque diffunditur à corpore lucido per radios rectos , & tenuissimos : sed notandum hic est radios lucis esse rectos , quotiescumque ipsi per medium pellucidum , quod ejusdem sit ubique densitatis pertransirent ; at vero refringi , ac detinueri , quando ad aliud medium diversæ densitatis oblique offendunt . Videmus namque radios lucis , qui ex aere in vitrum , vel aquam oblique impingunt , non recta hæc corpora pertransire , sed altos reflecti ab horum corporum superficie , altos vulnerius pergere à recto suo tramite declinando . Res nullo negotio probari potest duobus experimentis sequentibus . Primum experimentum ita se habet . Sit AMB (Fig. 59.) vas aliquod aqua vacuum , in cuius fundo constituta sit moneta aliqua argentea

M; manifestum est hujusmodi monetam futuram inconspicuum oculo in O constituto; ut pote qui partem vasis NB videre tantum potest, partem vero reliquam AMN, in qua parte constituta est moneta nullo modo potest conspicere. At oculo in O, & moneta in M manentibus immotis, si quidem infundatur aqua in vas AMB ad altitudinem CD, futurum erit ut moneta M fiat conspicua eidem oculo O: nam radius MI, qui egreditur è moneta, quique si aqua abesset è vase recta progrederetur ad E, in transitu ab aqua ad aerem, hoc est à densiori medio in rarius, flectit se in radium IO, adeoque ad oculum tendit, efficitque ut is monetam conspiciat. Ex quo experimento consequitur lumen in transundo de aqua in aerem, hoc est de medio densiori in medium rarius ita refringi, ut à perpendiculari XIZ, quam axem refractionis supra adpellavimus, discedat. Consequitur etiam partem vasis MN, quæ antequam aqua infunderetur in vas inconspicua erat oculo O, fieri eidem oculo conspicuum postquam aqua ad altitudinem CD in vas AMB immissa est.

430. Alterum experimentum ita se habet. Si in loco O, in quo oculum situm esse posuimus, posita sit candela, quæ lumen suum immittat intra vas AMB aqua destitutum, pars ipsius NB lumine candelæ directo illuminata mirum in modum collucebit, pars vero reliqua AMN, quæ nihil luminis directi recipit, suboscura erit, & penumbrosa. At, aqua ad altitudinem CD in vas infusa, penumbra, quæ antea usque ad locum N pertingebat, retrahet se ad M, parsque vasis MN eodem modo tollucebit, quo collucet pars NB; adeoque post aquæ infusionem pars vasis MB erit illuminata, pars vero AM erit penumbrosa. Nam radius OI, qui egreditur è candela, quaque, si aqua abesset è vase, progrederetur ad N, in transitu ab aere in aquam hoc est à rario mediò in densius flectit se in radium IM, efficitque ut pars vasis MN, quæ antea erat penumbrosa, nunc colluceat. Ex quo experimento consequitur, lumen in transundo de aere in aquam, hoc est de medio rario in medium densius ita refringi, ut ad perpendicularē XIZ, axem refrā-

refractionis adpellatam, accedit. Sed de isthac lucis refractione uberiorius infra.

431. *Tertium phænomenon circa lucem observatum respicit temporis spatiū, intra quod illa transmittitur à corpore lucido ad oculos nostros: nimirum constat quotidiana experientia, eam spatio temporis adeo brevi interiectum medium peragrare, ut facile credideris in instanti, & nulla interpolata mora in oculos nostros incurrere. Et quidem Cartesius, qui lucem non motum materiæ lucidæ, sed conatum ejus ad motum esse arbitrabatur; (nam si Cartesio fides danda est, lux Solis, cæterorumque corporum lucidorum nihil aliud est, nisi pressio quædam à Sole, atque corporibus lucidis facta in Universo undequaque pleno, quam pressionem per globulos interjectos, sive etiam per secundi elementi materiam usque ad oculos nostros deferri docuit) in eam abiit sententiam, ut diceret lucis transmissionem esse instantaneam; pressio enim transmittitur ad longa quævis intervalla in momento temporis; id quod exemplo baculi cuiusvis longitudinis confirmavit. Contra Gassendus, qui lucem excitari per emissionem cuiusdam materiæ à corporibus lucidis creditit, eam non in instanti, sed in spatio temporis propagari censuit, acriterque ea de re cum Cartesio disputavit. Sed item istam diremisse primus omnium videtur Romerus, qui per Eclipses satellitum Jovis demonstravit, lucem spatio temporis propagari à corporibus lucidis, & impendere in transitu suo à Sole in Terram septem circiter, vel octo minuta. Nimirum, ut fusius Libro II. demonstrabitur, Eclipses satellitum Jovis, quum Tellus inter Solem, & Jovem interposita sit, accident circiter septem, aut octo minuta citius, quam secundum tabulas accidere debent; quum vero Sol interponitur inter Terram, & Jovem, tunc Eclipses septem, aut octo minuta serius, quam secundum tabulas contingunt; quæ duo evincunt lucem propagari in distantia, qualis inter Terram, & Solem intersedit, spatio septem, vel octo minutorum.*

432. *Denique circa lucem illud etiam constat obser-*

servationibus, quod etli radii ejus per aerem in oculos nostros incurant, aere tamen sublati, adhuc lucis sensationem in nobis excitent. Si enim ope machinæ pneumaticæ omnis aer ex vase vitro educatur, spatiū illud, quod intra vas continentur quamquam aeris expers sit, adhuc tamen lucem ad nos transmittet: idemque cernere quoque licet in Barometris, per quārum partēs superiorem, quæ vacua est, eodem modo radii lucis transmittuntur, ac si ea aere plena esset: id quod arguit vehiculum lucis non esse aerem, sed rem ab aere longe diversam.

433. His præmissis videamus modo quid de lucis natura sentiendum sit. Quoniam demonstratum est ea corpora esse lucida, quorum particulae sunt in perpetuo, & concitatissimo motu, cogitandum est lucis sensationem per rapidissimum illum motum in nobis excitari, quatenus nempe motus ille ex corpore lucido ad nostros usque oculos defertur. Sed quum duplice ratione supradictus motus ad oculos nostros deferri possit, scilicet vel per *translationem* cūjusdam materia celeriter agitatae, quam corpora lucida contīnuo emittunt, ut placuit Epicureis, & novissime summo Viro Isaac Newtono, vel per *communicationem*, in quantum particulae corporis lucidi communicant motum suum materiæ vicinæ, quæ aliam sibi proximam pellit, atque hæc rursus aliam, donec ad oculos nostros deveniat, videndum est quoniam modo is tevera deferatur: Mihi videtur verisimilius, motum particularum corporis lucidi deferri ad oculos nostros communicatione potius, quam translatione; quia ea ratione facile intelligimus, quomodo lux tanta celeritate ad oculos nostros perveniat, præsertim si materiam, per quam lux transmittitur, summa elasticitate pollentem supponamus. Cartesium hic tuto, atque impune prætereundum cenfui. Quis enim credit propagationem lucis non per motum, sed per pressionem fieri, quum lux, præcipue Solis, corpora calefaciat, & præterea in transitu de uno medio in aliud refrangatur? id quod sine incremento vel decremente motus fieri non posse suprademonstratum est.

434. Hanc

434. Hanc potro materiam, per quam rapidissimus particularum materiæ lucidæ motus ad nostros usque oculos defert aerem non esse, id utique colligitur ex eo, quod modo adnotatum est; scilicet quod, sublato aere, adhuc radii lucis feriant oculos nostros. Itaque necesse omnino est inotum illum transmitti per materiam aere longe subtiliorem, quæ quidem materia, exhausto aere, tamen adhuc in vacuo permanet. Cogitandum est autem materiam istam, quam *medium æthereum* appellare licet, longe ratiorem esse, longeque subtiliorem quam aerem, longeque adhuc magis elasticam, atque actuosam: cogitandum est præterea eam omnia corpora facillime permeare, perque cœlos universos vi sua elasticæ esse diffusam.

435. Hujus autem medii ætheræ vim elasticam immensam esse ex vibrationum suarum celeritate colligere possumus. Nam soni, quos per aeternum propagari inferius demonstrabitur, feruntur circiter 1140 pedes *Anglicos* intra minutum temporis secundum, adeoque minutorum septem, aut octo primorum spatio circiter centum milliaria *Anglica* emetiuntur; lumen autem à Sole ad nos defertur, circiter septem, aut octo minutorum primorum spatio; quæ quidem inter Solem & Terram distantia est circiter 7000000 milliarium *Anglicorum*; si quidem Solis parallaxis horizontalis sit circiter 12 secundorum. Itaque velocitas soni erit ad velocitatem luminis ut 100 ad 7000000, sive etiam ut 1 ad 70000; ex quo illud consequens est elasticitatem aeris, per quem sonus diffunditur esse longe minorem elasticitate ætheris, per quem lux propagatur.

436. Atque hic rursus summam radiorum lucis tensionitatem animo comprehendere possumus. Quum enim tanta sit eorum velocitas, profecto nisi ingens esset eosdem subtilitas, immensas vires singuli radii exercerent contra corpora obiecta: sunt enim vires corporum conjunctim ut velocitates, & quantitates materiæ, quemadmodum supra expositum est. Sunt qui, inito calculo, compererunt, lucem coagulatam in corpusculum ponderis unius grani, velocitate illa, qua à Sole ad nos

nos defertur , eadē vires exercere debere contra obſtacula objecta , quas exerceret globus tormentarius ferens librarum 862 summa vi pulveris pyrii explosus.

437. Quapropter ad lucis generationem haec postulantur . Primo necesse est particulas corporum , quae lucida adparent rapidissimo motu agitari . Tum requiriatur , ut motus ille translatione deferatur ad oculos nostros , quae quidem translatio fit , ut vidimus , per medium quoddam æthereum summa elasticitatis vi donatur . Denique necesse est , ut oculis certa ratione concussis , anima admoneatur ejus concussionis : haec tria si accidunt , lucis sensatio in nobis excitatur . Quo circa miraculo esse non debet , si omnia corpora fixa , quum sunt ultra certum gradum calefacta , lucida fiunt ; scilicet quia calorem concipere nequeunt absque eo quod componentes particulae agitantur , & commoveantur . Mirum præterea esse non debet , si corpora omnia , quae partibus abundant terrestribus , & præsertim sulphurolis , lumen emittunt , quotiescumque partes istæ sunt satis agitatæ ; sive id calore fiat , sive attritu , sive percussione , sive putrefendo , sive motu aliquo vitali , sive alia quavis de causa : ut aqua marina sanguiente procella , quæ noctu splendet , lumenque emittit ; argentum vivum in vacuo agitatum ; felis dorsum , vel equi collum manu oblique in loco tenebricoso affictum ; ligna , carnes , & pisces dum putrefuscunt ; vapores ex aquis putridis , qui ignes fatui vulgo adpellantur : metæ foeni , segetisque subhumidæ fermentescentes : cicindelæ , & animalium quorundam oculi motu quodam vitali : Phœnix Bononiensis radiis luminis agitatus : electrum , & adamantes aliqui feriendo , premendo , vel fricando ; chalybis strigmenta silice decussata ; ferrum iætibus malorum calefactum , donec sulphur sibi injectum accendat ; axes curvum motu rotarum rapidiore incensi ; & certi liquores inter se permixti , quorum particulæ cum impetu concurrunt ; ut oleum vitrioli à vitro pari pondere distillatum , dein dupla proportione mixtum cum oleo caryophyllorum sive anisi .

438. Præterea globus vitreus diametro circiter octo , vel

vel decem unclarum machinæ versatili infixus, ut circa axem suum motu celerrimo circumagatur, qua sui parte, vola manus adposita, inter volvendum conficitur, lucebit. Quod si eodem tempore charta alba, aut linteum album, vel etiam digitus extremus ita admovetur, ut circiter quarta, vel dimidia unciae parte distet à vitro, qua parte motus ejus est celerrimus; vapor electricus frictione manus è vitro excitatus, & ad chartam albam, linteum, vel digitum allisus ita agitabitur, ut lucem continuo emittat, efficiatque ut charta illa alba, linteum, vel digitus, tamquam candela lucescat. Quin è vitro erumpens ea vi nonnumquam ad digitum allidetur, ut etiam tactu percipi queat. Quod idem quoque evenit quando cylindrus è vitro, electroque longus, & amplius charta manu admota eo usque conficitur, donec vitrum incaluerit. Ilbi notandum est electricitatem quasi semper cum luce esse coniunctam. Neque mirum; nam electricitas frictione commovetur, à qua lucem etiam in nonnullis corporibus excitari vidimus.

439. Hic non alienum esse arbitror ea, quæ summus Philosophus Isaac Newton de luminis natura commentus est, in medium proferre. Putat vir summus lumen emitti ex corporibus lucidis non aliter, atque odores emittuntur ex corporibus odoris; qua in re Epicureis favere videtur, qui non communicatione, uti dictum est, sed translatione lucem ad oculos nostros deferri docuerunt; in quantum scilicet materia lucida, quæ jugiter ex corporibus lucidis egreditur per interjecta spatia velocissime fertur ad oculos, ilisque percussis sensationem lucis excitat. Hanc porro emissionem luminis arbitratur fieri per motus vibrantes partium suarum, in quali etiam motu naturam caloris constituit: quod in causa esse existimat, quare corpora omnia fixa, quando sunt ultra certum modum calefacta lumen emittant, & splendeant, quemadmodum supra adnotatum est. Vult præterea adeo ingentem esse, atque immanem partium luminis subtilitatem, ut nihil supra effungi possit; adeo ut mirum videri non debeat, si Sol nullum

habet.

haec tenus passus sit sensibile decrementum, quamquam per multa annorum millia perpetuo lumen ex se emiserit. Quia in re prætereundum non videtur id quod Clarissimus *Nieuwentiit* de lucis subtilitate protulit, scilicet lucem à Sole emissam, & in sphæram propagatam, cuius circulus maximus orbitæ Saturni æqualis est, forte non æquare pondere suo multorum granorum pondus; nam partem decimam quartam unius grani ex sebo incenso posse illuminare sphæram, cuius diameter est unius milliaris, expertum ipse se esse fatetur.

440. Particularum porro luminis neque unam esse magnitudinem censet laudatus *Isaac Newton*, neque vibrationes illarum ejusdem celeritatis: ex quo variatem colorum deducit, ut postea explicabitur. Vult autem lumen incidente in fundum oculi excitare vibrationes quasdam in tunica retina prossus similes vibrationibus partium suarum; quæ quidem vibrationes propagatæ inde per solidas nervorum opticorum fibras in cerebrum usque, sensum ibi videndi excitant. Quum enim corpora densa, & fixa conservare calorem suum diutius videantur, &c, ut quodque corpus densissimum est, ita calorem suum diutissime conservet, utique vibrationes partium suarum natura sunt durabili, adeoque propagari possunt in longinqua usque spatia per solidas materiæ uniformis ac densæ fibras, ad transmitendos in cerebrum motus sensuum omnium organis impressos. Etenim motus is, qui potest in una eademque parte alicujus corporis se conservare, poterit itidem in longinquum propagari ex una parte in aliam; dummodo id corpus sit homogeneum, ne scilicet iste motus reflectatur, vel refringatur, vel interrumpatur, vel quovis modo perturbetur per inæqualitatem aliquam in corpore. Nervorum capillamenta singula solida esse, & uniformia posuit *Newtonius*; ut scilicet motus vibrans materiæ lucide per ea uniformiter, & non interrupere ab uno usque extremo ad alterum propagetur.

CAG

CAPUT QUARTUM.

De Luminis attractione. De ejusdem inflexione, refractione, & reflexione.

441. IN particulis corporum naturalium vim quamdam existere, qua vi particulæ illæ se mutuo petunt, & attrahunt, id quidem innumeris experimentis Capite VIII. Sectionis prima demonstrare conatus sum. Jam vis isthæc attractrix manifestissima est in lumine prope corporum quorumlibet partes angulatas, (quales sunt nummorum ex auro, argento, & ære cuforum termini, & cultrorum, lapidum, aut vitrorum fractorum acies) transente. Ut enim post *Grimaldum* observavit *Isaac Newtonus* radii luminis in transitu prope corporum, vel opacorum, vel perspicuum angulos detinquentur à viis rectilineis, circumque corpora incurvantur, quasi attracta in eadem corpora; & ex his radiis, qui in transitu illo propius accedunt ad corpora, magis incurvantur; quali magis attracti verius illa; ut schema 6o apertissime demonstrat.

442. Si cui placeat hanc luminis incurvationem experiri, is adhibere poterit cultrum, faciendo ut radius luninis in cubiculum tenebricissimum per foramen exiguum in fenestra operculo sagittum immisius transeat prope aciem ipsius; observabit enim radium illum non recta progredi, sed circa ipsam cultui aciem nonnihil incurvari. Sed apertius idem deprehendet adhbitis binorum cultorum aciebus ex adverso constitutis. Nam faciendo, ut radius lucis immisius in cubiculum tenebricosum transeat inter duas illas acies, si dividet se medium in partes duas, quarum partium altera incurvabitur circa unam cultri aciem, altera circa aciem aliam inflegetur: adeo ut in spatio binis istis partibus interposito umbra contueatur valde nigra, & tenebrosa. Et quoniam binæ istæ acies cultorum quo propriis admoventur, eo magis umbra interposita evadit latior, liquet

liquet attractionem luminis eo magis augeri, quo magis distantia acierum diminuitur.

443. Sed quemadmodum non omnia corpora sunt ejusdem constitutionis, ita non omnia etiam eodem modo agunt in lucem eam æqualiter infleßendo, & incurvando. Nam regulariter lux aliquanto magis infleßitur transeundo prope corpora dentiora, quam prope corpora minus densa; sive corpora illa sint fluida, sive sint dura, sive denique mollia sint; ut magis prope aurum, quam prope argentum vel ferrum; magis prope chryſtallum, quam vitrum, vel aquam; magis prope aerem quam prope aetherem, qui longe subtilior est atque rarius. Præterea quum corpora agant in lucem aliquo interjecto intervallo, illud constat intervallum istud majus esse circa corpora densiora, quam circa corpora minus densa; quæ omnia luculentissimis experimentis comprobata sunt. Quapropter circa singula corpora effingenda sunt spatia quædam tenuissima, sive etiam quædam brevissimæ atmosphæræ, in quas quando incident radii, iij concutiuntur, infleßuntur, atque incurvantur.

444. Veluti si MN (*Fig. 61.*) referat superficiem planam corporis X, & PQ ipsi MN parallela referat superficiem illam, ad quam extenditur vis ejusdem corporis X, quæ facit ut radii transeuntes prope ipsum infleßantur, erit spatum tenuissimum inter duas superficies MN, PQ interceptum, atmosphæra corporis X, sive etiam locus, in quo radii attrahuntur versus idem corpus X: rectæ autem 12, 34, 56, 78, 9. 10, 11. 12, quæ ad utramque superficiem perpendiculariter insinuantur, designabunt directionem attractionis. Itaque si radius lucis procul adveniens incidat in superficiem MN perpendiculariter, is in transitu per spatum attractionis PMNQ accelerabitur quidem, quia scilicet perpetuo trahitur versus superficiem MN, sed cursum, sive directionem non mutabit; nam directione motus radii conspirat cum directione vis attrahentis. Vice versa si radius lucis egrediatur ex corpore X, quod diaphanum esse suppono, secundum directionem perpendiculararem ad superficiem MN, is in transitu per spatum attra-

attractionis PMNQ retardabitur quidem, quia scilicet perpetuo trahitur versus superficiem oppositam MN, sed cursum, sive directionem non mutabit; nam directione motus radii omnino contraria est directioni vis attrahentis. At vero si radius lucis incidat oblique in superficiem MN, is non modo accelerabitur, dum transit per spatium PMNQ, verum etiam cursum mutabit; quia hoc casu directione motus radii angulum aliquem constituit cum directione vis attrahentis.

445. Esto enim R₂ radius obliquus, quem remota attractione recta progredientem ponamus offendere ad corpus X in loco M. Manifestum est radius istum, postquam pervenit ad locum z superficie PQ, quæ est terminus attractionis, attrahi versus corpus X secundum directionem z; quapropter is duabus tunc viribus agitabitur, quarum directiones sunt z M, & z z; adeoque progredietur per diagonalem zaf, primaque temporis minima particula perveniet ad a describens spatium infinite parum za: quo loco quum rursus attrahatur versus corpus X secundum rectam az, necesse erit, ut denuo cursum fecerit; adeoque movebitur per diagonalem abg, secundaq; temporis particula æquali perveniet ab b: ubi rursus attrahetur versus X secundum rectam bz; itaque tertia vice cursus ipsius mutabitur in bch, describens spatium infinite parvum bc; tum vero mutabitur eadem de causa in cdi, atque id idem semper contingit, usque donec radius ad ipsam corporis X superficiem MN perveniat. Ex quo sequitur ipsum incedere in spatio PMNQ secundum semitam curvilineam zabcdz; quæ quidem semira, ut constat ex ipsa demonstratione, concava est versus corpus attrahens X. Et quidem si corpus istud X sit pellucidum, sic ut transitum radio non deneget, is perget vulerius moveri secundum rectam dzo, quæ scilicet contingit semitam curvilineam zabcdz in punto z.

446. Ponamus nunc radium lucis Ozz oblique progredientem per corpus pellucidum X respectu superficie MN foris exire in punto zz: eadem prorsus ratione ostendetur, eum in egressu ex superficie incurvatum iri, & vero ejus semitam, dum progrederit per spatium

PMNQ, fore curvam quandam $\text{z}_1 \text{d} \text{e} \text{b} \text{a} \text{z}$ etiam concavam versus superficiem MN; deinde vero elapsurum secundum rectam zR , quæ contingit supradictam curvam in puncto z : adeo ut statui possit radius lucis dum moveretur per corporum tenuissimas illas atmospheras, de quibus supra mentionem habuimus, incurvari, curvasque quasdam exiguae describere, quæ concavæ sunt versus ipsorum corporum superficies, unde atmosphæræ initium capiunt.

447. Quibus animadversis explicanda modo est refractio luminis, ejusque causa indicanda est. Demonstratum est Capite superiori radius lucis dum de uno medio oblique transgreditur in aliud medium, sive etiam dum de uno corpore pellucido transit in aliud corpus pellucidum contiguum, refrangi; refractionem autem modo fieri ad perpendicularem, modo vero à perpendiculari: scilicet fieri ad perpendicularem, quando corpus de medio rariori transit in medium densius, fieri vero à perpendiculari, quando vicissim corpus de medio densiori transit in medium rarius. Cujus causam ut investigemus, sit MN superficies quædam tenuissima dirimens duo media diversæ densitatis X, & Z, si que X medium densius, & Z medium rarius. Quamquam utrumque medium suam habeat atmospharam, tamen in transitu luminis de uno medio in aliud habenda est tantum ratio atmosphæræ corporis densioris X; nam ea sola agit in lumen, quamquam non cum tota sua virtute, sed tantum cum quadam parte suæ virtutis; nam pars reliqua consumitur ad infirmandam, atque frangendam virtutem oppositæ atmosphæræ. Rebet Jacobus's Gravesande. Consideravimus hancenam attractionem medii densioris, quia hac prævaleat; non tamen contemnenda est actio medii rarioris, quia bac minuit actionem medii densioris, quo eo minor erit in lumen, quo media inter se minus densitate differunt: idcirco nulla datur refractio, ubi densitates mediorum sunt æquales, & eo major est, quo haæ densitates magis differunt inter se.

448. Jam si radius lucis R₂ de medio rariori Z tran-

transeat in medium densius X , is ante ingressum, dum progrereditur per spatium $PMNQ$, in quo spatio agit vis medii densioris X , accelerari debet, scilicet quia jugiter attrahitur versus superficiem MN secundum lineas 12, 34, 56, 78, &c. perpendiculares ad eamdem superficiem. Quod si vero radius lucis O_1 de medio densiori egrediatur in medium rarius, is post egressum dum moveretur per spatium $PMNQ$, in quo spatio agit vis medii densioris X debet retardari, scilicet quia jugiter attrahitur versus superficiem MN secundum lineas 11, 12, 9, 10, 18, 56, &c. perpendiculares ad eamdem superficiem. Atqui demonstratum est *Capite V. Sectionis superioris* refractionem oriri ex mutatione velocitatis corporis transiunt oblique de uno medio in aliud medium, & vero eam fieri ad perpendicularem quando velocitas augetur, fieri vero à perpendiculari, quando velocitas minuitur; Itaque quando radii lucis transiunt oblique de medio rario in medium densius, quia accelerantur, refrangi debent ad perpendicularem; quando vero transiunt de medio densiori in medium rarius, quia retardantur, refrangi debent à perpendiculari. Sed ut refractioni locus detur, necesse est radios oblique transfire de uno medio in aliud medium; si enim decidant perpendiculariter in superficiem media densitatis diversæ dirimentem, iij nullam refractionem subibunt; id tantum accidet, ut eorum motus vel acceleretur, si transiant in medium densius, vel retardetur, si transiant in medium rarius.

449. Illud hic sedulo adnotandum est, refractionem proprie non fieri in ipso transitu de uno medio in aliud, sed vel ante transitum inchoari, vel post transitum continuari. Nam quando radius lucis R_2 de medio rario transit in medium densius, refractione inchoatur in puncto 2, & definit in puncto 11, scilicet in ipso transitus loco; quando vero radius lucis O_1 transit in medium rarius, refractione inchoatur in puncto 11, scilicet in ipso transitus loco, & definit in puncto 2. Adnotandum est præterea, radios lucis vel ante incidentiam, vel post emergentiam describere semitas quasdam curvilineas

concavas versus superficies refringentes, quas tangunt ipsi radii incidentes refractique. Etenim radius R_2 , antequam pervadat superficiem MN corporis densioris, incurvatur in semitam $2abcd_1$ concavam versus ipsam superficiem MN , quæ quidem semita tangitur à radio incidenti R_2 in punto 2, & à radio refracto O_1 in punto 11. Radius vero O_1 , postquam egressus est ex superficie MN , incurvatur in semitam $11dcba_2$ concavam versus ipsam superficiem MN , quæ quidem semita tangitur à radio incidenti O_1 in punto 11, & à radio refracto $2R$ in punto 2.

450. Id animadvertisit primus omnium Newtonus, cujus hæc sunt verba : *Fit igitur refractio non in puncto incidentia, sed paulatim per continuam incurvationem radiorum factam partim in aere, antequam attingunt vitrum, partim, si fallor, in vitro postquam illud ingressi sunt;* quamquam vereor ne fallsum sit id, quod dubitanter ait de incurvatione radiorum facta post ingressum in vitrum. Adnotandum est denique radiorum luminis refractionem esse omnino contrariam refractioni cæterorum corporum : nam cætera corpora in transitu de uno medio in aliud ita refranguntur, ut accedant ad perpendicularē, quando transitus fit de medio densiori in medium rarius, recedant vero à perpendiculari, quando vicissim transitus fit de medio rarioř in medium densius: quum tamen in radiis lucis contrarium obtineat. Cujus diversitatis causa ex eo repetenda esse videtur, quod cæterorum corporum refractio oriatur præcipue ex mediorum resistentia; luminis vero refractio ex mediorum attractione potissimum oritur. Itaque quia media quo sunt densiora, eo majorem velocitatem corporibus, quæ per illa moventur detrabunt, atque eo majorem velocitatem tribuunt radiis, qui per eorumdem atmospheras progrediuntur; (scilicet quia corpora densiora magis resistunt quam riora; è contra vero attractio corporis densioris major est quam attractio corporis rioris:) mirum esse non debet, si refractio radiorum omnino contraria sit refractioni cæterorum corporum.

451. Hic

451. Hic non alienum est nonnulla de refractionum causis differere. Sunt quibus placet in hoc negotio ita philosophari. Moveatur globus per medium aliquod cum data velocitate; Jam si globus gravitatis expers, medium vero ejusdem ubique resistentiae esse ponatur, is motu retardato recta semper perget moveri, donec motus ipsius sistatur; quod si accidat ut globus in aliqua illius medii parte minorem ex una plaga resistentiam, quam ex alia patiatur, jam eo loci exorbitabit is de priori suo cursu rectilineo, & propendens ad eam plagam, secundum quam minus ipsi resistitur alia via ire perget. Atque hinc causam dari opinantur, cur dum corpus oblique incidit in superficiem media densitatis diversae dirimentem refringatur, & modo accedat, modo vero recedat à perpendiculari. Alii ex adverso ita ratiocinantur. Moveatur globus per medium aliquod cum data velocitate. Jam si medium ejusdem ubique densitatis esse ponatur, globus æque attrahetur ab omni parte; adeoque si nihil inter progrediendum sollicitari à gravitate fingamus, recta semper movebitur, usque donec velocitas ejus extinguitur. Quod si vero eo loci devenerit globus, in quo magis ab una plaga quam ab alia attrahatur; jam is deflectet de priori suo cursu rectilineo, atque propendens ad eam plagam, ad quam magis attrahitur, alia via ire perget.

452. Jam qui priorem explicandi rationem sequuntur, aut non satis libi constant, aut id de refractionibus luminis statuant oportet, quod experimentis refrigeratur. Constat enim experientia lumen accedere ad perpendicularē tunc, quum intrat medium densius, ab illa vero recedere quum incidit in rarius; ratione vero, & ipsa experientia edocemur media eo majorem resistentiam facere, quo densiora sunt; nam credere cuin Cartesianis idcirco hoc contingere in lumine, quia faciliorem ipsi transitum præbent corpora densiora, quam riora ob stabilitatem, quod ajunt, pororum, in hac tanta luce Philosophiæ vix memoratu dignum existimo. Qui vero favent secundis, quamquam in explicandis luminis refractionibus minime hæreant, ac

ipsis non leve negotium faciesunt cæterorum corporum refractiones. Constat enim experientia nonnulla corpora recedere à perpendiculari in ingressu medii densioris, accedere vero ad illam in ingressu rarioris; quum tamen attractionis ratio contrarium postulare videatur. Corpora quippe eo majori vi attrahente donata esse dicuntur, quo densiora sunt.

453. Adeo, & tertia opinio, quæ attractionem cum resistentia consociat. Hæc si non verior, at saltem phænomenis refractionum explicandis videtur accommodatior. Qui huic sententiæ subscribunt speciosiores sunt; arbitrantur enim corpus dum de medio-densiōri in rarius, vel de rarioī in densius migrat posse æque, & accedere, & recedere à perpendiculari; quin imo interdum fieri, ut irrefractum pergaat, etiam si oblique incidat in superficiem mediorum refringentem. Nam quum in duorum mediorum confinio corpus à duplice causa, attractione nempe, & resistentia inæqualiter sollicitatum credant, sintque hæc causæ ita comparatae, ut altera alterius effectum aut tollat, aut minuat, sit hinc ut, quum resistentia, & attractio pares sunt inter se, tunc corpus ire pergaat irrefractum, quum vero sunt inæquales corpus lequatur jus, & potestatem illius causæ, quæ magis potest. Quò quidem posito causam dari arbitrantur, cur lumen, dum medium densius penetrat, semper accedat ad perpendicularē, ab ea vero semper recedat, dum intrat in rarius. Opinantur quippe resistentiam, quam lumen subit in quocumque medio semper minorē esse attractione, quam patitur in eodem medio. Neque sane id absurdum est in systemate attractionum, in quo luminis attractio debet esse immensa, quippe quum lumen omnium, quæ in rerum natura sunt corporum, est longe tenuissimum.

454. Cæterum leges, quæ obtinent in refractione radiorum luminis eadem sunt atque illæ, quæ locum habent in refractione motus cæterorum corporum, de quibus legibus eodem Capite V. Sectionis secunda differimus. Hujusmodi ergo leges tres sunt. Prima lex est ut radius incident, radius refractus, & axis refractionis

finis

fuit in uno, eodemque plano. Secunda lex est: ut sinus anguli incidentia sit ad sinum anguli refractionis in ratione data, hoc est ut velocitas emergentia ad velocitatem incidentia. Et tertia denique lex, quae ex secunda consequitur, est: ut refratio sit à perpendiculari, quando velocitas incidentia maior est velocitas emergentia, sit vero ad perpendiculari, quando vicissim velocitas incidentia minor est velocitas emergentia.

455. Sed in refractione radioruin, quæ sit à perpendiculari unum est, quod singularem animadversionem meretur, scilicet posse ipsam quandoque in reflexionem converti. Nam si radius Ott (Fig. 61.) ea obliquitate incidat in superficiem dirimentem medium rarius à medio densiori, ut ejus velocitas in medio densiori, quæ est velocitas incidentia, sit ad velocitatem in medio rario, quæ est velocitas emergentia, ut se habet sinus totus ad sinum anguli incidentia; tunc radius minime penetrabit in medium rarius, sed secundum communis superficii longitudinem feretur. Etenim sinus anguli incidentia est ad sinum anguli refractionis, ut se habet velocitas emergentia ad velocitatem incidentia; atqui ex hypothesi velocitas emergentia est ad velocitatem incidentia, ut sinus anguli incidentia ad sinum totum; ergo propter rationum æqualitatem erit quoque sinus anguli incidentia ad sinum anguli refractionis, ut idem sinus anguli incidentia ad sinum totum: unde & angulus refractionis erit rectus, & radius secundum longitudinem superficie utrique medio communis post incidentiam movebitur. Quod si vera adhuc obliquius radius incidat in superficiem media diversæ densitatis dirimentem, tunc tantum abest, ut medium rarius penetrare possit, ut neque etiam secundum ipsius longitudinem feratur, sed retro ad oppositam plagam revertatur.

456. Hanc reflexionis speciem, in quam refractione interdum mutatur, explicavit Newtonus propositione XCVI. sive Philosophia Naturalis his ferme verbis: Si velocitas luminis ante incidentiam major est, quam postea, dico quod lumen, inclinando linea incidentia,

reflectatur tandem, & angulus reflexionis fiat aequalis angulo incidentia. Id quod sic ostendit. Sit GH (Fig. 62.) radius incidentis, H punctum incidentiae, AEEa spatium attractionis, quod distributum sit in infinita spatiola aequalia, & infinite parva ABba, BCcb, CDdc, DEed; sitque ea radii incidentis GH obliquitas ad planum primum AA, ut sinus incidentiae sit ad radium circuli, cuius est sinus in ea ratione, quam habet idem sinus incidentiae ad sinum emergentiae ex plano Dd in spatium DEed; & ob sinum emergentiae jam factum aequalem radio, angulus emergentiae erit rectus, adeoque linea emergentiae coincidet cum plano Dd. Perveniat radius ad hoc planum in punto R: & quoniam linea emergentiae coincidit cum eodem plano, perspicuum est radium non posse ultra pergere versus planum Ee. Sed manifestum est quoque non posse eundem radium pergere in linea emergentiae Rd: propterea quod perpetuo attrahitur, vel impellitur versus medium incidentiae. Revertetur itaque inter plana Cc, Dd describendo rectam infinite parvam Rq aequalem, eodemque modo inclinatam ac recta QR, secabitque planum Cc in eodem angulo in q, ac prius in Q; dein pergendo in rectis infinite parvis qp, pb rectis prioribus QP, PH aequalibus, & similiter inclinatis, secabit reliqua plana in iisdem angulis in p, & b, ac prius in P, & H, emergentque tandem eadem obliquitate in b, qua incidit in H: adeoque radius lucis hoc casu non modo reflectetur; verum etiam fiet angulus reflexionis gha aequalis angulo incidentiae GHA.

457. Ut ergo refractio in reflexionem convertatur duo necessaria esse videntur. Primum est, ut velocitas luminis ante incidentiam major sit quam postea. Alterum vero est: ut ea sit obliquitas radii incidentis, ut sinus anguli incidentiae sit ad radium circuli, cuius is est sinus, quemadmodum se habet velocitas emergentiae ad velocitatem incidentiae; sive etiam ut se habet sinus anguli incidentiae ad sinum anguli refractionis. Horum primum nos admonet, hujusmodi reflexionem tunc tantum contingere, quando radii ex medio densiori trap-

transirent in medium rarius, puta ex vitro in aquam, vel ex vitro in aerem; nam velocitas in transitu de medio densiori in medium rarius minuitur. Alterum vero docet nos, determinari posse obliquitatem radiorum, quae postulatur ad hoc ut iij reflectantur, modo data sit ratio, quae intercedit inter sinum anguli incidentiae, & sinum anguli refractionis, sive etiam inter velocitatem emergentiae, & velocitatem incidentiae: nam ad inventandam obliquitatem illam nihil aliud faciendum est, quam ut determinetur angulus, cuius sinus sit ad radius, sive sinum totum, quemadmodum se habet sinus anguli incidentiae ad sinum anguli refractionis. Ut, quoniam radii in transiendo de vitro in aerem ita incurvantur, ut sinus anguli incidentiae sit ad sinum anguli refractionis quemadmodum se habet 20 ad 31, sequitur radios, si quidem decidant ex vitro in aerem ea obliquitate, ut angulus incidentiae sit vel graduum 40.10, vel major eo reflexionem subituros. Nam ut se habet 31 ad 20 ita est radius ad sinum anguli 40.10. Et similiter quoniam radii in transiendo de vitro in aquam ita incurvantur, ut sinus anguli incidentiae sit ad sinum anguli refractionis, ut se habet 80 ad 93, sequitur radios, si quidem decidant ex vitro in aquam ea obliquitate, ut angulus incidentiae sit vel graduum 59. 25, vel major eo reflexionem subituros. Nam ut se habet 93 ad 80, ita est radius ad sinum anguli 59. 25. Ubi notandum est, captis accuratissimis experimentis, innocuisse sinum anguli incidentiae ad sinum anguli refractionis in radiis, qui oblique decidunt ex aere in vitrum, else ut 31 ad 20, in radiis vero, qui oblique decidunt ex aere in aquam esse ut 4 ad 3: Ex quibus nullo negotio deducitur, sinum anguli incidentiae else ad sinum anguli refractionis in radiis, qui oblique decidunt ex vitro in aquam ut 80 ad 93. Etenim quum sinus anguli incidentiae sit ad sinum anguli refractionis in radiis, qui decidunt ex vitro in aerem ut 20 ad 31, & præterea sinus anguli incidentiae ad sinum anguli refractionis in radiis, qui oblique decidunt ex aere in aquam ut 4 ad 3, erit ex æquali sinus anguli incidentiae ad sinum anguli re-

fra.

fractionis in radiis qui decidunt ex vitro in aquam in ratione composita ex 20 ad 31, & ex 4 ad 3, sive etiam ut 80 ad 93.

458. Adeo, & aliud genus reflexionis, quod scilicet sit ab occurso partium solidarum: nam si lumen decidat vel in superficiem aquæ, vel in superficiem vitri, vel in superficiem cuiusvis alterius corporis, profecto necesse est, ut quamplurimi radii impingant in partes solidas sive impervias eorum; itaque quum iij elasticis sint retro redire debent; nam corpora elastica prævalido obstaculo illis reflecti debere *Sectione superiori* demonstratum est. Et quoniam radii luminis perfectissima elasticitate donati sunt, necesse est quoque eos ita reflecti, ut angulus reflexionis æqualis sit angulo incidentiæ; nam & id de corporibus perfecta elasticitate donatis eodem in loco ostensum est.

459. Scio summum vitum Isaacum Newtonum existimavisse utriusque reflexionis unam esse naturam, & causam: id quod quamquam sub specie quæstionis proponat ad calcem *Librorum Opticorum* his verbis: *An non radii luminis, qui in corpora incidentes reflectuntur, vel refringuntur, inflecti incipiunt antequam ad corpora ipsa perveniunt?* *Et reflectuntur, refringuntur, atque inflectuntur una, eademque vi varie se in variis circumstantiis exerente?* tamen *Propositione VIII. Libri II. ejusdem operis*, in qua demonstrare nititur causam reflexionis non attribuendam esse impactioni luminis in partes solidas, sive impervias corporum, haud quidem subdubitans, sed fidenter id asseverat. At si veritati consulendum est, facteri oportet argumenta à Newtono ibidem adlata tantum ostendare reflexionem illam, quæ subsequitur refractionem, quæque accedit, quando radii luminis de medio densiori in medium rarius certa obliquitate transfeunt, non attribuendam esse impactioni luminis in partes solidas, sed potius virtuti cuiusdam atmosphæræ, quemadmodum à nobis quoq; supra explicatum est. Accedit quod is nullibi ostendit, quomodo eadem causa, quæ facit ut radii inflectantur in transitu prope corpora angulata, refrangantur in transitu de uno medio in aliud,

aliud, & quandoquo etiam reflectantur in transitu de medio densiori in medium rarius, (quæ quidem causa, uti demonstratum est vis quedam attrahendi) efficiat etiam ut iidem radii reflectantur semper, quando offendunt ad corpora opaca. Hujusmodi reflexio, si non ortum dicit ab impactu luminis in partes eorum solidas, non alia ratione explicari posse mihi videtur, nisi effingendo circa corpora opaca quasdam atmospheras, quæ vi haud quidem attrahendi, sed repellendi donatae sint. Quo quidem admisso, duplex atmosphæra contrariis omnino viribus donata attribuenda esset corporibus diaphanis, à quorum superficiebus radii partim reflectuntur, partim vero refranguntur; id quod parum verisimile est. Incredibileque etiam est, quod idem Newtonus adfirmat radios illos, qui in solidas corporum partes impingunt restinguiri intra ipsa corpora, & penitus intercidere.

460. Videamus modo, an verum sit id quod à Petro Fermatio Senatore Tolosano primum proditum est, tempus motus radii refracti esse brevissimum; Referat BA (Fig. 63.) superficiem dirimentem media densitatis diversæ, litque RA radius incidens, & AP radius refractus. Contendebat laudatus Vir tempus, quo eget lux ad describendum spatiū RAP motu refracto in A minus esse tempore, quod impedit lux ab eodem loco R ad P per aliam quamvis viam, etiam si fortasse irrefracta progrediatur per viam brevissimam RBP; quod quam à veritate alienum sit, paucis hic ostendam. Sed prius demonstrare oportet velocitatem lucis ante incidentiam esse ad velocitatem lucis post emergentiam, quemadmodum se habet secans complementi anguli incidentia ad secantem complementi anguli refractionis. Etenim velocitas lucis ante incidentiam est ad velocitatem lucis post emergentiam, ut sinus anguli refractionis ad sinus anguli incidentiae: atqui sinus anguli refractionis est ad sinus anguli incidentiae, ut secans complementi anguli incidentiae ad secantem complementi anguli refractionis: (sunt enim sinus duorum angulorum reciproce secantes complementorum eorumdem angularum); quare

quare erit quoque velocitas incidentia ad velocitatem emergentia, ut se habet secans complementi anguli incidentia ad secantem complementi anguli refractionis.

461. Describantur nunc centris R, & P radiis RA, RB, PB, PA arcus AX, BF, BC, AD, producaturque radius refractus PA usque ad punctum C; ex quo demittatur perpendicularis CEM ad superficiem BA: supponamus autem velocitatem incidentia esse ad velocitatem emergentia, ut se habet a ad b . Et quoniam FA

a . FA

a

major est quam EA, erit —— major quam ——: nam
 b . EA b

prior quantitas est ad posteriorem ut FA ad EA. Præterea AF ad AC rationem habet compositam ex AF ad AE, & ex AE ad AC; atqui sumpta recta AM pro radio live sinu toto, AE evadit secans complementi anguli incidentia, & CA evadit secans complementi angulo refractionis: atque adeo AE est ad AC, ut secans complementi anguli incidentia ad secantem complementi anguli refractionis; sive etiam ut velocitas incidentia ad velocitatem emergentia, atq; adeo ut a ad b ; itaque AF ad AC habebit quoque rationem compositam ex AF

AF a . AF

ad AE, & ex a ad b unde erit —— = ——: ostensum

a . AF

AC

b . AE

a

est autem quantitatem —— majorem esse quantitatem —;

AF b . AE

a

b

quare erit quoq; —— major quam ——; ex quo sequitur

AC b

AF ad AC majorem habere rationem; quam a ad b .

Est autem a ad b ut velocitas incidentia ad velocitatem emergentia: quare spatium AF ad spatium AC sive BD, majorem habebit rationem quam velocitas incidentia, cum qua velocitate describitur spatium AF ad velocitatem emergentia, cum qua velocitate describitur spatium BD; ex quo facile colligitur tempus per spatium FA majus esse tempore per spatium BD; itaque quoniam tempora per spatio RF, RB in medio incidentia aequalia sunt, & similes aequalia sunt inter se tempora per spa-

spatia PA, PD in medio emergentiae, sequitur tempus per spatum RA, AP majus esse tempore per viam brevissimam RBP.

462. Hæc, quæ haetenus de luminis refractione, & reflexione in medium nos protulimus, sunt, ut mihi videatur, sanissima, atque vacua ab errore. Nullum enim est physicum argumentum, in quo illustriores Philosophi magis lapsi sint, quam in hoc. Ut enim cæteros præterream, summus Vir Renatus Cartesius docuit, lucem minorem resistentiam subire inter progrediendum per media densiora, quam per media rariora; id quod absurdum est, quum lux cæterorum corporum legem sequari debeat, quibus eo magis resistitur, quo media densiora sunt. Verum quidem est, lucem velocius progredi per media densiora, quam per media rariora; attamen id attractioni tribuendum est, quæ efficit, ut velocitas lucis angeatur in transitu de medio rariori in medium densius, minuatur vero in transitu de medio densiori in rarius. Petrus vero Permatius contra Cartesium censuit, lucis motum eo esse tardiorum, quo medium est densius; id quod aperte repugnat observationibus, ex quibus constat lucem accedere ad perpendicularē quando transit in media densiora, ab illa vero recedere, quando transit in media rariora: Ex quo errore alius ortum duxit, scilicet lucem refractam brevissimo tempore de uno ad alium locum progredi. Et denique Isaac Newton, qui veritus duo refractionis genera effingere, negavit radios luminis reflecti à partibus solidis, sive imperviis corporum, in quas impingunt.

CAPUT QUINTUM.

*Refractionis, reflexionisque radiorum lucis selectiora quedam phænomena recensentur,
atque explicantur.*

463. **R**efractionis quatuor sunt effectus præcipui. *Primus effectus est, quod objecta per refractio-*

Etionem numquam adpareant in locis, in quibus re vera constituta sunt. Id ostensum est supra exemplo monetae M (*Fig. 59.*) in fundo vasis AMB constitutæ; quæ quidem altius adpareat in loco *m*, si vas aquam contineat, sic ut radii de moneta exeentes refractionem possint subire: quo quidem experimento supra usi sumus ad probandum radios transeundo de medio densiori in medium rarius deflectere à perpendiculari. Sed id idem confirmant remi integræ, qui sub undis adparent fracti, modo tamen pars eorum demersa sit, pars reliqua extra aquas sit constituta. Sit enim AB (*Fig. 64.*) superficies aquæ, & DCF remus, cuius pars DC supra aquam emineat, pars reliqua CF demersa sit. Manifestum est partem CF sub aqua demersam adparere altiorem in CG; itaque remus integer DCF videatur necesse est tamquam fractus in C, sive etiam quasi compositus ex duabus partibus DC, CG angulum obtusum DCG continentibus in puncto C.

464. Atque inde ratio peti potest, quare corpora per prisma vitreum conspecta adpareant modo altiora, modo depressiora, pro ut scilicet angulus prismatis refringens sursum spectat, vel deorsum. Sit enim ABC (*Fig. 65.*) prisma vitreum, cuius angulus refringens C (sive angulus constitutus ex lateribus BC, CA, quæ latera radios refrangunt) spectet primo sursum, sitque objectum in M. Manifestum est radium MI transeuntem ex aere in vitrum recta pergere non posse ad *b*, sed inclinari debere in viam IH, quæ magis accedit ad perpendiculari. Sed manifestum est præterea radium IH exuentem ex vitro in aerem recta pergere non posse ad *a*, sed inclinati debere in viam HO, quæ magis recedit à perpendiculari, sive potius ab axe refractionis: Itaque oculus in O constitutus spectabit objectum M, per radium OH₂; quod idcirco videatur necesse est in loco altiori *m*. Sp. Et secundo angulus C deorsum, sitque objectum in M. Adparet radium MI transeuntem ex aere in vitrum recta pergere non posse ad *b*, sed inclinari debere in viam IH, quæ magis accedit ad axem refractionis. Sed manifestum est præterea, radium

radium MH ex euentem ex vitro in aerem recta pergere non posse ad o , sed inclinari debere in viam HO , quae magis recedit à perpendiculari, sive potius ab axe refractionis. Itaque oculus in O constitutus spectabit objectum M per radium OHm , atque adeo conspiciet ipsum in loco humilio m .

465. Secundus refractionis effectus est, quod objectum distantiam alteret, atque commutet. Nam moneta M in fundo valis AMB (Fig. 59.) constituta adparet oculo O in loco altiori m ; adeoque distantia ejus ab oculo fit minor. Itaque quum angulus incidentia MIZ , propter parallelas, æqualis sit angulo IMm ; angulus vero refractionis OIX propter easdem parallelas æqualis sit angulo ImQ , cuius complementum est angulus ImM ; quumque sit Im ad IM ut sinus anguli IMm ad sinus anguli ImM , sive etiam ImQ , erit Im ad IM ut sinus anguli incidentia ad sinus anguli refractionis: ex quo sequitur *distantia adparentes vel monetae à punto incidentia l* est ad *distantiam veram Ml monetae ab eodem punto incidentia, ut se habet sinus anguli incidentia ad sinus anguli refractionis*, sive etiam ut se habet 2 ad 4: nam in hac ratione est sinus anguli incidentia ad sinus anguli refractionis in radiis transversibus ex aqua in aerem. Et quoniam in Trigonometricis habemus, quod sinus anguli incidentia est ad sinus anguli refractionis, ut se habet secans complementi anguli refractionis ad secantem complementi anguli incidentia, erit etiam *distantia adparentes vel monetae à punto incidentia ad distantiam veram Ml monetae ab eodem punto incidentia, ut se habet secans complementi anguli refractionis ad secantem complementi anguli incidentia*. Id quod inde etiam constare potest, quod sumpta recta IQ pro radio sive sinu toto, Im evadit secans anguli QIm , qui est complementum anguli refractionis OIX , sive mIZ , & IM evadit secans anguli QIM , qui est complementum anguli incidentia MIZ . Præterea vasorum aquam continentium fundi, quamquam perpendiculariter conspecti, tamen altiores adparent, eorumque distantia adparent ab aquæ superficie est ad distantiam veram, ut

ut se habet ; ad 4: Id quod refractioni etiam adscriben-
dum est ; qui adscribendum pariter est , quod plani va-
forum amplorum aquam continentium fundi adpareant
tamquam concavi , praesertim oculo ad ipsam aqua superficiem proxime admoto .

466. *Tertius refractionis effectus respicit mutationem magnitudinis objectorum.* Nam objecta omnia sub aquis constituta majora apparent , quam si extra aquam conspicerentur . Neque vero difficile est hujus mutationis rationem adforre . Sit enim ACDB (Fig. 66.) scyphus vitreus , cuius fundus CD spectetur ab oculo in O constituto . Manifestum est , si scyphus nihil aquæ contineat , fundum CD spectatum iti ab oculo O sub angulo COD , quem radii ab extremis partibus fundi excurrentes continent in eodem oculo : nam in ea hypothesi omnis absit refraction . Sed intusa aqua in scyphum ad altitudine bHi manifestum est etiam radios CH , DI qui antea irrefracti tendebant ad oculum O , nunc refractionem à perpendiculari subeuntes tendere ad locum humiliorem o ; oculum autem spectaturum fundum CD per radios refractos bO , iO , quibus correspondunt radii integri Cb , Di . Unde fundus scyphi CD videatur necesse est sub angulo majori bOi , tive etiam cOd ; ex quo fit ut ipse fundus per refractionem visus sit cd , longe amplior , quam verus fundus CD .

467. *Denique novissimus refractionis effectus est , quod objecta interduum multiplicentur.* Sit enim ABCD vitrum trapetii figuram referens , cuius latera duo opposita AB , CD sint inter se parallela ; sitque objectum in M , & oculus in O , que sint ita constituta , ut recta MO perpendicularis sit ad utraque latera AB , CD . Itaque radius MJ perpendiculariter decidens primum in superficiem AB , tum vero in superficiem CD irrefractus tendet ad oculum O : qui idcirco videbit objectum verum secundum directionem radii OM . At vero quum radii MH , Mb refrangantur primo in HL , bl , tum vero in LO , lO , necesse est ut oculus O conspiciat etiam objectum M secundum radios OLP , Olp , ipsumque referat ad loca P , & p . Ex quo sequitur objectum M tri-

M trinum adparitum, semel in loco M, iterum in P, tertio autem in p. Manifestum autem est objectum hic adparere trinum, quia tres sunt facies, CA, AB, BD, quæ radios ab objecto M exentes excipiunt. Itaque si longe plures sint facies vitri, quæ lucem refringunt, objectum eo magis multiplicabitur: id quod eodem proflus ratiocinio constabit. Videndum est schema 67.

468. His refractionis effectibus, qui præcipui habentur, subjungendi sunt duo alii sequentes, aliquanto minus insignes. *Primus* est quod radii propter refractionem quandoque convergant, sive coeant in unum, & idem spatium tenuissimum, quod *focus* appellari consuevit: scilicet quia corpora in eo spatio constituta corripiuntur ab igne, atq; statim inflammantur actione radiorum solarium. *Secundus* est quod radii propter refractionem quandoque divergent, sive segregentur à se mutuo. Primum accidit per interpositionem vitri ex utraque parte sphærice convexi, quod vulgo *lens*, & *vitrume ustorium* adpellatur; alterum contingit per interpositionem lenti ex utraque parte sphærice concavæ, quemadmodum licet ex schemate 68 intelligere. Obiter hic admoneo, quod si lumen Solis colligatur in focum interposita lente utrinque convexa, illud vires habeat liquefaciendi metalla, omniaque combustibilia incendi: quin immo si duæ sint lentes utrinque convexæ, altera post alteram collocata, & focus multo minor, & vis longe fortior evadet, usque adeo ut corpora combustibilia utcumq; humida incendat, immo ea urat etiam in mediis aquis, ita tamen ut partes eorum internas, quæ scilicet ab aqua minime tanguntur, consumat, atque corruptat, externas vero, quæ ab aqua tanguntur, intaq; pene servet. Præterea metalla quælibet mutat in vitrum, lapides fundit, & vitrificat; gemmis colorem aufert, easque reducit in pulverem; vegetabilia quævis in cineres, & hos in vitra redigit. Denique salia in spiritus mutat, id quod nullo igne terrestri artificiali fieri adhuc licuit. Ex quibus intelligi potest, quanta sit virtus radiorum solarium à lente collectorum, quantaque sit vis ab iis exercita contra corpora objecta. Sed intelligit

gitur etiam quare , quando cœlum nubilum est , radiorum solarium vis longe potentior sit . Id fortasse evenit ex eo , quia guttæ aquæ per aerem volitantes gerunt vices totidem lentiū utrinque convexarum , quæ solares radios colligunt, atque congregant.

469. Dicendum nunc est de reflexione , cuius quum duas species distinxerimus , alteram , quæ fit in transitu luminis de medio densiori in medium rarius cum certa obliquitate , alteram vero ab occurso partium solidarum , de utraque breviter differendum est . Circa primam reflexionis speciem id admonebimus , eam eo minorem obliquitatē postulare , quo medium , in quod lumen transit , fuerit minus densum ; scilicet lumen ad integrum reflexionem minorem obliquitatem requirere , dum transit de vitro in aerem , quam dum transit de vitro in aquam ; & adhuc minorem dum transit de vitro in ætherem , quam dum de vitro transit in aerem , vel in aquam . Res hoc experimento deprehendi potest . Sit ABC (Fig. 69.) prisma vitreum rectangulum in A , in cuius basim BC incidat lumen candelæ F ea obliquitate , ut ipsum totali reflexione progrederiatur ad O ; adeoque oculo in O constituto adpareat candelæ in f , tamquam in speculo . Sit autem obliquitas radiorum tanta , ut tunc primum radii reflecti incipient à superficie BC , quam ab aere tangi supponimus . Sed candelæ , oculo , & prismate manentibus immotis , fac deinde superficiem BC tangi ab aqua , quæ aere densior est : videbis statim candelam ad f disparere ; scilicet quia radii , qui antea , dum superficies BC tangebatur ab aere , reflectebantur ad O , nunc refranguntur ad P ; neque adparebit rursus candelæ in f , tamquam in speculo , nisi postquam radii minori obliquitate deciderunt in superficiem BC . Cujus phænomeni hæc , ni fallor , est causa , quod brevissima illa atmosphæra superficie BC , unde reflexio ortum habet (de qua superiori Capite mentionem habuimus) eo potentior sit , quo medium ipsam superficiem BC contingens fuisse minus densum , eo vero sit infirmior , quo idem medium densius fuerit . Itaque eo citius incipiet reflexio , quo medium contingens superficiem BC fuerit minus den-

densum; usque adeo ut si pone superficiem AB collatum sit aliud prismata, vertice deorsum ita spectante, ut bases adamus sim congruant inter se, ejusdem, vel majoris fortasse densitatis cum prisme ABC, nulla omnino in quavis radiorum obliquitate accidat reflexio.

470. Circa alteram vero reflexionis speciem, quae fit ab occursum partium solidarum notabimus, eam speculorum esse fundamentum. Specula vocamus *superficies illas, quae objecta contra posita distincte representant cum suis coloribus*. Ad eorum perfectionem duo necessaria esse videntur. *Unum est ut eorum superficies sine levissimæ, politissimæque, ad hoc scilicet ut lumen ordinatum reflectere possint; nam si lucis radii huc illuc passim sine ullo certo ordine reflectantur, aut nulla fiet imago objecti, aut nonnisi indistincta, & confusa.* Confirmatur id quotidiana experientia, à qua ut edocemur corpora omnia, quorum superficies lèves sunt, atque politæ, ut tabulæ quædam ligneæ, marmora, chalybs, adamas, crystallus, vitrum, gemmæ, aqua stagnans, ac quiescens &c. speculorum munere fungi; ita discimus quoque eadem corpora amittere vim representandi objecta, si aspera evadunt, vel etiam si pulveribus consperguntur; pulveres enim inæqualitatis aliquid ipsis conciliant. Alterum vero est, ut *materia, ex qua specula elaborantur, non sit adeo porosa; lux enim ut reflecti possit impingere debet in solidas corporum partes.* Id quod in causa est, ut specula eo sint perfectiora, quo materia, ex qua elaborata sunt, est magis compacta, hiantibusque poris minus referta: nam tabulæ ligneæ, ut ut levissimæ, quum porosæ sint, imperfecte objecta representant; at vero chalybs, & marmor perfectissimum speculorum instar sunt; cristallus autem, quæ & ipsa porosa est, ut speculi munus obire possit, argento vivo consternitur, in cuius solidas partes radii quum decidunt, retro redire debent.

471. Sed quam nos impactioni in partes speculorum solidias tribuimus lucis reflexionem, Newtonus, ut supra adnotatum est, alii alicui rei tribuendam esse censuit, cujus hæc sunt verba: *Si radii luminis reflectentur*

rentur impingendo in solidas corporum partes, reflexiones eorum à politis corporum superficiebus non possent esse tam accurate, tamque ad certam normam directas, quam reapse sunt. Etenim quum vitrum arena, vel stamno usq; vel pulvere Samio politur, existimari utique non potest corpora ea, perfricando, & atterendo vitrum, efficere posse, ut minimæ ipsius particulae accurate lœves, & perpolitæ fiant universæ; adeo ut superficies earum omnes vere sint planæ, eodemque omnes sp̄edent, unamque omnes plane aquabilem constituant superficiem. Quanto minores erunt particulae pulverum istorum, tanto minores quidem esse debebunt rasura, quibus ea vitrum perpetuo interradent, & atterent usque dum expolitum sit: verum quantumvis exigua illæ fuerint, non poterunt tamen vitri faciem alia illa ratione complanare, ac coæquare quam deterendo id, & deradendo, & pardes ejus prominentes defricando: adeo ut perpolire vitrum nihil aliud sit nisi asperitatem ejus entenus adradendo minuere, & lœvipare, quo ad rasura in superficie ipsius minutiores sint factæ, quam ut oculis cerni queant. Quare si lumen reflecteretur impingendo se in solidas partes vitri, utique dispergi deberet id quinquaversum à vitro accuratissime perpolito, aque ac ab asperrimo. Manet itaque quaestio illa non dum plane expedita, qui fiat ut vitrum pulveribus adradentibus expolitum tamen lumen tam ad certam normam reflectat, quam revera facit. Atque bac quidem quaestio non videtur aliter expidiri posse, quam si dicamus radii cuiusvis reflexionem effici non utique ab uno corporis reflectentis punto, sed ut aliqua per totam corporis superficiem aquabiliter diffusa, qua nimirum id in radium ita agat, ut tamen illum non contingat immediate. Mendose: nam si corporis reflectentis superficies, ut ut lœvissima, suis rasuris, quamquam minutissimis, luxuriat quemadmodum Newtonus contendit, utique superficies terminans vim illam, quæ per totum corpus circum circa diffunditur, suas etiam inæqualitates habebit; videtur enim istam illi parallelam esse debere: adeoque questioni ab Iсаaco Newtono propositæ, si ea locum habet, neque etiam ab

472. Speculorum autem multiplex est genus pro figuræ, sive etiam superficie diversitate. Nam si superficies speculi plana est, speculum erit *planum*; si concava est erit *concavum*, si convexa est, erit *convexum*; quorum quidem speculorum, & complures sunt, & mirabiles affectiones, quas *Catoperica* considerat. Hic satis nobis erit admonuisse radios solares in speculum *concavum* sphæricum incidentes ita inde reflecti, ut colligantur in spatium quoddam tenuissimum, quod spatium *focus* pariter consuevit adpellari; scilicet quia corpora in eo spatio constituta cito abeunt in ignem. Experiundo autem cognitum est vim speculorum *concavorum* ad comburenda corpora longe majorem esse, quam vim lentium utrinque convexarum ad eadem corpora comburenda. Atque hinc obiter patet quare imæ valles æstuent, dum montium juga frigent. Valles enim sunt instar speculorum *concavorum*. Scilicet radii solares repercuti undique ex lateribus montium in valles, majorem tum motum, quum calorem ibi excitant: id quod aperte ostendit ipse vallium aer, qui transeuntes suffocare, graviterque opprimere solet.

CAPUT SEXTUM.

De ineqvati radiorum luminis cum refrangibilitate, quum reflexibilitate; ubi de compositione luminis solaris.

473. **H**A&tenus vulgares, atque communes proprietates luminis persequutus sum: exponendas sunt modo nonnullæ lucis affectiones, quas novissime detexit Isaac Newton. Harum affectionum potissima est, quod radii luminis non eamdem subeant refractio-
 nis quantitatem, sed alii magis refrangantur, alii min-
 us, quamquam circumstantia pares, immo eadem sint. Ut si radii duo RI, ri, (Fig. 70.) decident oblique in su-
 perficiem planam homogeneam refringentem AB se-

cundum directiones RI, ri parallelas inter se: haud quidem credendum est cum veteribus eos ita refrangi in punctis I, & i ut æqualiter vel accedant, vel recedant à refractionis axibus XIZ, xiz, pro ut scilicet à ratiore medio in densius transeunt, vel contra à densiori in rarius; adeo ut angulis incidentiæ RIX, rix æqualibus respondere debeant æquales anguli refractionis ZIN, zin. **Newtonus** enim experiundo coenperit, in iisdem prorsus circumstantiis nonnullos radios magis ad perpendiculariæ accedere, quam alios, in transeundo de ratione medio in densius; contra vero nonnullos radios magis recedere à perpendiculariæ, quam alios in transeundo de medio densiori in medium rarius.

474. Hæc experimenta effecerunt, ut laudatus **Vir** diversos refrangibilitatis gradus in radiis luminis contenti plaretur, novumque, atque inauditum Theorema in Opticam invehernet, scilicet in iisdem circumstantiis quosdam radios esse magis refrangibiles, quosdam vero alios esse minus refrangibiles. Refrangibilitatem ipse vocavit dispositionem illam radiorum luminis, qua ita comparati sunt, ut in transeundo ex uno corpore translucido, sive medio in aliud refringantur, sive de via deflectantur. Majorem vero, vel minorem refrangibilitatem adpellavit dispositionem eam, qua apti sunt, ut in paribus incidentiis super unum idemque medium magis minusque de via detorqueantur. Denique pro ut radii hanc potius, quam illam dispositionem sortiuntur, minus, vel magis refrangibiles vocavit.

475. Compertum est etiam à **Newtono** hanc inæqualem radiorum luminis refrangibilitatem in iisdem prorsus circumstantiis numquam à colorum diversitate esse sejunctam. Observabat enim radios, qui unius ejusdemque coloris sensum immitterent, eundem refrangibilitatis gradum in paribus circumstantiis sortiti; at vero radios, qui diversorum colorum sensus immitterent, alios, atque alios refrangibilitatis gradus in iisdem circumstantiis sortiti: ex quo illud intellexit eos radios non esse æque refrangibiles, qui diversorum colorum sensations excitarent.

476. Hæc

476. Hęc autem cognovit primum Newtonus captis duobus experimentis, quorum *primum* fuit hujusmodi. Chartam accepit nigram, oblongam, rigidam lateribus inter se parallelis definitam, eamque, linea transversa ad perpendiculum ab uno latere ad alterum ducta, medianam in duas aequales partes dispertivit. Harum partium alteram colore rubro infecta, alteram cæruleo, sive indico ad violaceum accedente; colores autem largi erant, ac saturi, atque insuper crasse illiti, ut phænomenon evidenter, notabiliusq; exhiberetur. Hujusmodi chartam coloribus ita discretam per prisma vitreum inspexit, cuius angulus refringens erat circiter gradum 60, observavitque, quod si angulus refringens lumen spectaret; (qua in positione ostensum est Capite superiori objecta propter refractiones nonnihil altiora contueri) pars illa, qua erat colore cæruleo infecta, altius videretur refringendo attolli, quam illa, que erat rubra. Contra autem si prismatis angulus refringens deorsum spectaret; (quo in situ ostensum est eodem Capite superiori objecta propter refractionem humiliora videri) pars illa, que cæruleo colore maculata erat, aliquanto inferius demitti videretur, quam rubra. Quamobrem in utroque horum casuum *id luminis*, quod a cærulea charta parte per prisma ad oculum fluebat maiorem in iisdem circumstantiis refractionem patiebatur, quam *id quod fluebat à parte rubra*; & consequenter magis refrangibile erat.

477. Alterum Newtoni experimentum erat hujusmodi: chartam coloribus rubro, cæruleoq; infectam supra memoratam, atque tenui serico nigerrimo filo saepius circumvolutam ad parietem admovit, sitque ad horizontem perpendiculari ita collocavit, ut colorum alter ad dextram esset positus, alter ad sinistram. Tum ante chartam in colorum confiniis ab inferiori parte, & parvo admodum interjecto intervallo candelam adposuit, que lumen quam clarissimum chartæ affundet; noctu enim capiebatur experimentum. Deinde ex adverso chartæ, sex ferme pedum intervallo, erexit super tabulatum lentem vitream, que radios è diversis char-

& partibus fluentes colligeret, eosque radios ita colle-
ctos exceptit charta alba citra lentem collocata, ut ibi
chartæ coloratæ imaginem contempnaretur: eodem
proflus modo, quo lens ad fenestræ foramen adpolita
corporum foris objectorum imagines in cubiculo tene-
bricoso chartæ albæ plagula exceptas depingit.

478. Chartam autem istam albam ultro, citroque
modo lentem versus, modo à lente movebat, ut qui-
bus in locis rubrarum, cœrulearumque chartæ coloratæ
partium imagines distinctissimæ exhiberentur, inve-
niret. Ea loca facile dignoscetabat ex imaginibus linearū
nigrarum, quæ erant ipsa fila ferica chartam coloratam
completentia; etenim imagines subtilium istarum, te-
nuissimarumque linearum feriarum confusæ erant, &
vix discerni poterant, nisi quo tempore colores ex ultra-
que parte cujusque lineaæ terminis maxime distinctis
definiebantur. Contemplatus igitur qua potuit majori
diligentia quibus in locis rubrarum, cœrulearumque
chartæ coloratæ partium imagines distinctissimæ adpa-
rerent, deprehendit quo loco rubra chartæ pars videba-
tur distincta, eodem loci partem cœruleam semper con-
fusam videri, adeo ut lineaæ nigræ ei inducta vix po-
tuerint discerni. E contrario autem, quo in loco cœrulea
chartæ pars maxime distincta videbatur, eo in loco
partem rubram semper videri confusam, adeo ut lineaæ
nigræ ei inducta vix discerni potuerint; locum autem
chartæ albæ, quo loco pars rubra adparebat distinctissi-
ma, remotiorem esse à lente, quam locum ubi pars cœ-
rulea videbatur distinctissima. Quum itaque utriusque
luminis rubri scilicet, & cœrulei incidentia in lentem
plane eadem fuerit, & tamen lumen cœruleum pro-
prius lentem colligeretur, lumen vero rubrum longius
à lente; sequitur non omnes radios in iisdem circumstan-
tiis esse aequo refrangibiles, sed majorem refrangibilita-
tis gradum sortiri radios cœruleos, minorem vero radios
rubros.

479. Neque vero solum lumen candelæ reflexum à
superficiebus corporum coloratorum, sed & ipsum quo-
que lumen solare compositum esse ex radiis diverse re-

franc.

frangibilibus deprehendit; id quod probationibus ab experimentis etiam desumptis adstruere conatus est. Experimenta autem quum per prisma vitreum ut plurimum caperet, haud quidem temere illud solaribus radiis objiciebat, sed in eo apte, riteque collocando totus erat. Primum enim sic prisma solaribus radiis per parvum rotundum foramen in cubiculum tenebricolum immisso immissis objiciebat, ut prismatis axis incidentes radios perpendiculariter exciperet. Tum, prismate circa axem suum lente rotato, notabat diligentissime situm, quo in situ lumen Solis refractum altissimum esset. Videbat enim refractam Solis imaginem in parte depictam per prismatis circa axem suum conversionem moveri, & primo altius, atque altius ferri, tum vero consistere tantisper, ac morari, deinde deprimenti, atque descendere. Ergo in capiundis experimentis semper prisma in hujusmodi situ siti jubebat, in quo nempe lumen Solis refractum & altissimum esset, & stationorum; in tali quippe positione futurum ait, ut *refractio*n*e*s in utroque anguli refringentis latero, hoc est ad ingressum, & egressum luminis, aquales essent inter se. Hic ego subsito, triaque quærenda centeo. Primum descensus imaginis, atque adscensus unde proficiuntur. Secundum unde fiat, ut lumen Solis refractum certum adscendendo limitem superare non possit, quo in limite stationarium tantisper evadat; deinde vero regrediatur. Et tertium, quid causæ sit, quod quando lumen Solis, & stationarium est, & altissimum, eo tempore refractio*n*e*s* luminis in duobus anguli refringentis lateribus pares sint inter se.

480. His tribus quæstionibus ut satisfaciam, non radios ex toto Solis corpore fluentes considerabo, sed unicum illum radium animo mihi proponam, qui ex centro Solis egressus ad centrum imaginis tendit; cæteri enim hujus radii, qui præcipiuntur est, legem sectari debent. Manifestum autem est hunc Solis radium binas refractio*n*e*s* in duabus prismatis ACB (Fig. 71.) lateribus AC, BC passum eo altiore locum in adverso parte sibi comparaturum, quo major fuerit summa duarum

rum refractionum, quas patitur unam dum incidit in vitrum in puncto E, alteram dum emergit è vitro in puncto H; altissimum vero locum non alio tempore ab isto Solis radio sortitum iri, nisi quin prædictarum refractionum summa maxima sit. Unde causa dari potest adscensus, descensus, & stationis imaginis; pro ut enim summa illa refractionum incrementum suscipit, vel decrementum imago adscendit, vel descendit; quum vero maxima evasit, eo tempore imago consistat oportet, atque moretur. Manifestum est præterea, refractions quæ sunt in vitroque latere AC, BC anguli refringentis ACB non esse æquales inter se, nisi quum radius Solis EH semel refractus æque inclinatur ad latera pismatis refringentia, sive etiam quum triangulum ECH ex duobus anguli refringentis lateribus, & radio semel refracto confectum illoscelis est. Quapropter satisfieri poterit tertiaz questioni, si quidem demonstretur summam duarum refractionum tunc maximam esse, quum ipse radius semel refractus æque est inclinatus ad latera pismatis refringentia.

481. Hujus Theorematis demonstrationem brevitas ergo prætermitto, eo magis, quod ad alia mihi properandum est: tantum principia hic subjungam, quæ ad demonstrationem illam concinnandam conducunt. Ea duo sunt, quorum alterum geometricum est, alterum diopticum, sed quod ex geometrico illo luculentissime consequitur. Geometricum ita se habet. Si fuerint quatuor anguli, quorum sinus datam habeant rationem ad sinus quatuor aliorum angulorum, sintque priores anguli posterioribus maiores singuli singulis; differentia angulorum erunt huiusmodi, ut maxima, & minima simul sumptu ceteris duabus semper sint minores. Diopticum vero, quod ex geometrico modo exposito profluit, tale est: Si duo radii ex eadem plaga venientes, & utcumque inclinati inter se incident in punctum aliquod superficie media densitatis diversa dirimentis; ipsorum inclinatio eo minor post refractionem erit, quo obliquius incidenter in superficiem refringentem; ex quo consequitur maximam fore inclinationem illam, quum alter

alter radiorum quasi normaliter, minimam vero, quum alter radiorum obliquissime incidit in superficiem mediorum refringentem, sive quum ipsam superficiem radit, atque stringit.

482. Prismate in ea, quam demonstravimus, positione collocato, excipiebat *Newtonus* lumen Solis refractum chartæ albæ plagula ad perpendiculum radiis objecta, comperiebatque imaginem, quæ directo lumini radio, nullo interpolito prismate, rotunda fuisset, oblongam esse in PT (*Fig. 72.*), non tamen ovalem, sed duabus rectis inter se parallelis ab lateribus, & duobus semicirculis ab extremitatibus terminatam. Præterea comperiebat latitudinem imaginis Solis diametro accuratissime respondere: quippe imago octodecim pedum cum dimidio à prismate distabat; quo quidem intervallo interjecto prædicta imaginis latitudo subtendebat angulum ad prisma circiter dimidii gradus, qui est Solis adparens diameter. At longitudinem imaginis dimentiens, eam latitudine quinques circiter majorem esse reperebat: quum tamen ex legibus *Optics* vulgo receptis longitudo latitudini æqualis esse debuisset. Quin enim prisma in ea positione constitutum esset, ut radii in ingressu, atque in egressu eamdem refractionis quantitatem subirent, profecto radii YKHP, & XLIT, quorum radiorum prior ab inferiori parte Solis ad superiorem partem imaginis post refractiones in punctis K, & H, posterior autem à superiori parte Solis ad inferiorem imaginis partem post refractiones in punctis L, & I tendebat, eamdem inter se post, ac ante quam refraæcti fuerant inclinationem habere debebant; refractiones enim in punctis K, & H æquales fere erant refractionibus in punctis L, & I, singulæ singulis. Itaque longitudo imaginis PT subtendere debebat angulum ad prisma, qui esset dimidii gradus, quæ quidem longitudo & æqualis ipsi latitudini, & consequenter imago plane rotunda futura erat. Quum igitur è contrario experientia evincatur, imaginem istam non rotundam esse, sed latitudinem ipsius circiter quinque partibus longitudine superari, omnino radii, qui majori refractione ad superiorema ima-

imaginis extremitatem P mittuntur magis quam ij,
qui ad inferius ejusdem extremum T progredivintur re-
frangibiles sint necesse est.

483. Hujusmodi imago oblonga coloribus hoc or-
dine dispositis distincta est ; infima ejus pars T rubra
adparet ; superior P violacea ; partes autem intermediae
sunt ordine flavæ, virides, & cœruleæ : Ex quo sequitur
lumen rubrum humillimo loco constitutum minime
omnium esse refrangibile, lumen vero violaceum, quod
supremam imaginis partem occupat esse maxime re-
frangibile ; intermedia vero lumina flavum, viride, &
cœruleum intermedios refrangibilitatis gradus sortiri .
Sed colligitur etiam lumen Solis directum non esse ho-
mogeneum , sed potius heterogeneum compositum ex
radiis tum diversorum calorum, quum diversarum re-
frangibilitatum ; qui quidem radii coloribus imbuti
quamquam ad quinque vel forte septem genera revoca-
ri posse videantur violaceum, indicum, cœruleum, vi-
ride, flavum, aureum , & rubeum , tamen credibile est
innumeræ alia intermedia colorum genera occurtere
per differentias quam minimas ab extremitate superio-
ri P ad inferiorem T pergentia , & serie continua in se
invicem perpetuo desinentia : adeo ut totidem sint co-
lores, quot sunt radiorum refrangibilitate inter se diffe-
rentium genera.

484. Illud hic notandum est *primo*, quod si refracta
Solis imago PT iterum secundo prisme procul à pri-
mo in situ transverso constituto refrangatur in latus ;
qui radii in primo prisme plus quam reliqui refringe-
bantur , hoc est violacei , & cœrulei, iidem in secundo,
deinde vero in tertio , quartoque prisme plus refrin-
gantur ; qui vero radii in primo prisme minus quam
reliqui refringebantur , hoc est rubei , flavique , iidem
in secundo , tertio , quartove prisme minus etiam re-
fringantur ; adeo ut merito illi adpellari possint *magis*
refrangibiles, hi vero *minus refrangibiles*. Adnotandum
est *praterea* colores imaginis refractæ non posse per re-
fractiones mutari ; nam color rubeus homogeneus post
quemvis refractionum numerum manet semper rubeus ;
idem.

Idemque accidit reliquis coloribus flavo, viridi, cœruleo, & violaceo. Adnotandum est *denique* colores istos ut nulla refractione, sic nulla etiam reflexione immutari posse: etenim corpora omnia, quæ sunt natura colore albo, cinereo, rubro, flavo, viridi, cœruleo, aut violaceo; ut charta, cineres, minium, auripigmentum, indicum, cœruleum montanum, aurum, argentum, cuprum, herba, cyanus, viola, plumæ pavonizæ, & similia: ea in lumine rubro homogeneo posita, plane rubra videntur; in lumine cœruleo plane cœrulea; in lumine viridi, plane viridia; & generaliter quicumque sit color luminis homogenei in quo hujusmodi corpora collocata sunt, ea istum colorem semper exhibebunt, cum hoc tantum discrimine, quod illorum alia lumen istud fortius reflectant, alia languidius: Neque ullum corpus invenietur, quod luminis homogenei colorem reflectendo, immutare possit.

485. Quemadmodum autem radii lumen solare componentes refrangibilitate differunt inter se, ita differunt quoque *reflexibilitate*, ita ut qui radii magis refrangibles sunt, iidem sint quoque magis reflexibles. Sed id intelligendum est de ea reflexionis specie, quæ non sit ab impactu in partes solidas, sed potius ab activitate atmosphæræ, quæque locum habet in transitu luminis de medio densiori in medium rarius. Rem *Newtonus* sic expertus est. Prisma, cuius bini anguli ad basim æquales inter se, semirectique essent, tertius autem rectus, collocavit in Solis luminis radio per fenestræ operculi foramen in cubiculum tenebricosum transmissò; effecitque ut is radius refractus primum in uno prismatis latere, deinde vero in basi ejusdem depingeret coloratam Solis imaginem: Tum converso lente circa axem suum prismate, curavit ut lumen Solis semel refractum occureret prismatis basi cum ea obliquitate, quæ facit ut radii reflectantur potius, quam refrangantur. Quibus paratis observavit radios violaceos, & cœruleos, qui majori refractione afficiebantur citius, quam reliquos reflecti; hoc est minorem obliquitatem postulari in istis radiis, ad hoc ut reflexi possint, quam in

In viridibus, flavis, aureis, aut rubeis, qui majori egebant obliquitate ad hoc ut reflecti possent: ex quo intellexit radios, qui sunt magis refrangibiles, esse quoque magis reflexibles; radios vero, qui sunt minus refrangibiles esse pariter minus reflexibles.

486. Supereat ut de luminis solaris compositione breviter hic differamus. Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, satis adparet, luminis solaris alborem compositum esse ex primariis omnibus coloribus apta proportione inter se commixtis; qui quidem colores idcirco segregantur in refracta Solis imagine ope prismatis comparata, quod iij non eamdem subeunt refractionis quantitatem, sed alii magis refranguntur, alii minus, adeoque pro suo refrangibilitatis gradu certum in imagine locum sibi vindicant separatum à cæteris, conspicuique evadunt. Sed idem adparet etiam ex eo, quod universi radii colorati, vel lente utrinque convexa, vel speculo concavo in unum coacti albitudinem efficiunt; post decussationem vero rursus separati suum quisque colorem exhibit. Nam quemadmodum lumen solare, antequam partes ejus refractione separate essent, album erat, ita remixtis istis partibus iterum fit album; & radii colorati, ubi coeunt, non se invicem destruunt, sed miscentur tantum; quemadmodum pulvis rubeus, flavus, viridis, cœruleus, & violaceus æqua portione mixti subalbificant omnes, quamquam singuli proprium colorem retineant. Et quoniam radii, postquam coierunt in unum, divergunt deinde, & decussantur, necesse est ut iij pristinum suum colorem demonstrent.

487. Erunt fortasse, qui querant, unde accidat, ut colores omnes primarii, & homogenei inter se permixti albedinis sensum excident. Id oritur à varietate impressionum, quas singula radiorum genera in sensorio faciunt. Nam si radii rubei soli, vel flavi, vel violacei agant in sensorium, utique coloris vel rubei, vel flavi, vel violacei sensatio suborietur; at vero si eodem tempore simul agant radii rubei, flavique, suborietur tum sensatio coloris, qui proprie neque rubeus erit, neque flavus; sed tamen, qui trahet ad utrumque. Idem accidit, si

duo

duo quivis alii, vel tres colores, vel quatuor agant simul in sensorium; semper enim orietur novi coloris sensatio. Itaque si omnes radii colorati simul impressionem faciant in sensorio, utique necesse erit, ut suboriatur sensatio coloris, qui quidem distinctus sit a coloribus omnibus in Solis refraacta imagine depictis; adeo ut minus esse non debet, si ex omnibus coloribus permixtis albedo suboriatur.

488. Comprobari id potest sequenti luculentissimo experimento. Lumen Solis per prisma satis amplum transmissum fac ut incidat deinde in pectinem proxime post prisma collocatum. Pectinis dentium intervalla aliquanto latiora esse debent, ut scilicet lumen coloratum transire per ea possit, ac tendere ad chartam album ultra pectinem collocatam. Et jam si charta modo intervalllo distet a pectine, videbis lumen per intervalla dentium transmissum totidem fascias colorum parallelas inter se, atque contiguas, neque quidquam alboris sibi admixtum habentes in charta depictas exhibere: quae quidem colorum fasciae, si pecten ultro, citroque in transversum moveatur, ascendere vicissim atque descendere videbuntur. Sed ad id necesse est pectinis motum esse lentissimum; si enim adeo celer sit, ut colores distincte cerni amplius, atque internosci non possint, jam confuso inter se, atque permixto in unum colorum omnium sensu, charta tota alba adparebit.

489. Jam quidem luminis hujusce, quod ex colorum omnium permixtione album hoc modo videtur nulla revera pars est alba; nam quedam fasciae sunt rubrae, alias flavae, alias virides, alias caruleae, alias purpureae; quae quando sui impressiones in sensorio adeo lente faciunt, ut singulæ distincte percipi possint, utique colorum singulorum sibi invicem ordine perpetuo succedentium distinctus sensus excitabitur. Si autem haec impressiones tanta celeritate se invicem consequuntur, ut singulæ distincte percipi non possint, jam ab universis unus communis omnium excitabitur sensus, qui neque erit unius dumtaxat coloris, neque alterius

394 PHILOSOPHIE NATURALIS
rius cuiusvis, sed ex aequo omnium; isque est sensus,
qui vocatur albedinis.

490. Intelligere id licet exemplo carbonis carentis,
qui si sepius in circulum summa cum celeritate circum-
agatur continens, perpetuusque circulus igneus con-
spicietur. Cujus quidem rei causa haec est; quod sensus,
quem carbo, dum est in diversis partibus istius circuli
excitat, manet in sensorio impressus, usque donec carbo
sit eodem loci iterum reversus. Consimili itaque ratio-
ne quum colores se invicem summa celeritate conse-
quuntur, utique sensus uniuscujusque coloris in senso-
rio usque eo impressus manet, donec coloris omnes or-
dine transierint, isque primus color iterum revertatur.
Itaque colorum omnium invicem succendentium im-
pressions simul sunt in sensorio, & coniunctim unum
communem omnium sensum excitant. Adeoque ex hoc
experimento non modo liquet ex commixtis colorum
omnium impressionibus excitari in nobis sensum albi-
tudinis; verum ipsam albitudinem compositam esse ex
coloribus univeris commixtis inter se.

C A P U T S E P T I M U M .

De Coloribus generatim. Tum de corporibus coloratis, diaphanis, & opacis.

491. **D**emonstratum est Capite superiori, lumen so-
lare album compositum esse ex innuineris
diverorum generum radiis, ut coloribus, ita refrangi-
bilitate, atque reflexibilitate differentibus inter se: ex-
que his radibus violaceos omnium maxime esse refrangi-
biles, rubeos vero esse omnium minime refrangibiles.
Id postulat ut radios lucis distinguamus in *homogeneos*,
& *beterogeneos*. Heterogenei radii sunt, qui & colore, &
refrangibilitatis, reflexibilitatisque gradu differunt in-
ter se. Homogenei vero appellantur radii illi, qui ejus-
dem coloris sensum excitant, adeoque eundem habent
gra-

gradum refrangibilitatis, atque reflexibilitatis: quorum radiorum alii rubei sunt, alii aurei, alii flavi, alii virides, alii cærulei, alii indici, alii denique violacei. Ubi notandum est, me colorem radiis minime affingere, quum dico radios rubeos esse, vel aureos, vel flavos, vel virides, vel cæruleos, vel indicos, vel violaceos. Scio enim radios revera coloratos non esse, sed tantum potentias quasdam, sive dispositiones habere, quibus ita comparati sunt, ut sensum hujus, vel illius coloris existent in nobis. Nam quemadmodum sonus in campana, aut chorda musica, aut quovis corpore sonante nihil aliud est, nisi motus quidam tremulus, & in aere nihil aliud, nisi motus iste à corpore sonante propagatus, in sensorio autem sensus motus istius sub forma soni; sic colores in rebus quidem objectis nihil aliud sunt, nisi dispositio, qua illæ hoc, vel illud genus radiorum copiosius, quam cæteros reflectunt; & in radiis nihil aliud, nisi dispositio, qua illi hunc, vel illum motum ad sensorium transmittunt, in sensorio autem sensus motuum istorum sub forma colorum.

492. Quum autem radii solares, pro colorum diversitate, diversos habeant gradus refrangibilitatis, necesse quidem est, ut lumen solare album, quando refrangitur, coloribus distinctum adpareat; qui quidem colores non oriuntur ex novis modificationibus luminis refractione comparatis, quemadmodum docuit *Cartesius*, sed potius sunt ipsi solari lumini congeniti; adeoque erant in eo antequam refrangeretur: permixti autem, confusique inter se colorem album constituebant. Sed necesse est quoque, ut idem lumen solare album, quando certa quadam obliquitate, transundo de densiori medio in rarius, reflectitur, colores varios induat; etenim non omnes radii solares sunt æque reflexibles, sed quidam majorem postulant obliquitatem ad hoc ut reflecti possint, quidam alii minorem, quemadmodum superiori Capite demonstratum est. Ex quibus repetenda est vera causa, atque origo colorum, qui adparent tum in Solis imagine refraæta per prisma vitreum comparata, quum in bullis, quibus, aqua sapone incrassata, pueri ludere solent. Co-

lorum, qui in iride conspiciuntur, eadem procul dubio est origo, ut fuisus *Libro III.* demonstrabitur; radii enim solares reflectuntur, atque refranguntur in guttis aqueis roridam nubem componentibus. At vero quum Cometarum caudæ numquam coloribus sint variegatae, adparet quam falsa sit opinio eorum, quibus persuasum est, Cometarum caudas oriri à refractione lucis in progressu ipsius à Cometæ capite ad Tellurem.

493. Quærentibus autem unde accidat, ut corpora quævis naturalia conspecta per prisma vitreum varios colores ostendant, quamquam ea sint rubea tantum, vel flava tantum, vel violacea tantum, respondendum est lumen ex corporibus naturalibus reflexum heterogeneum esse, non homogeneum, atque in eo lumine etsi longe major sit copia radiorum ejusdem coloris cum ipsis corporibus, attamen admixti sint nonnulli alii radii colorati, qui ob inæquales refrangibilitatis gradus segregati in transitu per prisma vitreum, colores suos oculo demonstrant. Præterea quærentibus unde fiat, ut radii solares congregati in transitu per lentem aliquam gibbam colores nonnullos in foco ostendant, præcipue vero rubeum, & violaceum, respondendum est id oriri ex inæquali radiorum refrangibilitate. Etenim quum in iisdem circumstantiis magis refrangantur radii violacei, quam rubei, necesse est violaceos prius convergere, deinde vero rubeos; adeoque in charta nonnihil circa focum collocata adparere debet circulus violaceus candorem lucis circumcirca complectens; in charta vero nonnihil ultra focum collocata adparere debet circulus rubeus eundem lucis candorem circumcirca complectens.

494. Ex proprietatibus luminis modo expositis explicare possumus colorum in corporibus naturalibus permanentium rationem. Et primo quidem si corpora ejus sint constitutionis, ut parata sint omnia radiorum genera ex æquo reflectere, ea alba sint oportet; albedo enim compositur ex omnibus radiis coloratis simul commixtis. Contra quum niger albori contrarius sit, existimandum est corpora nigra nullos, aut pene nullos, omni-

omnino radios reflegeret; ideoque ut corpus sit nigrum, necesse est lumen ab eo exceptum vel in totum, vel magna ex parte extingui intra ipsius corporis poros. Quorum quidem veritas confirmari potest ex eo, quod radii Solis lentis gibbae transmissu coacti corpora nigra facillime incendant, alba autem ægerrime comburant, quamquam & hæc, & illa flammarum facillime concipient. Quum enim corpus album radios pene omnes reflectat, ab iis parum concutietur; nigrum vero quum radios suffocet, atque extinguat, primum quidem incalescat, deinde vero convertetur in ignem. Præterea quum experientia constet corpora alba visum fatigare, nigra vero reficere, inde quoque manifestum est, quamplurimos radios ex corporibus albis in oculos advenire, ex nigris vero aut nullos, aut paucos; sic enim visui nullum incommodum adfertur.

495. Colores reliqui in corporibus naturalibus ortuntur ex eo, quod ex ipsis superficiebus certa radiorum genera reflectuntur reliquis omnibus copiosius, & ab aliis alia. Veluti *minium* reflectit radios rubros copiosissime, cæteros radios minus copiose, atque inde rubrum videtur. *Violæ* vero reflectunt radios violaceos copiosissime, cæteros autem minus copiose, indeque trahunt illum colorem. Et generaliter omne corpus reflectit radios, qui sunt suo ipsis colore copiosius, quam reliquos, & colorem suum inde dicit, quod isti in reflexo lumine prævaleant, ac dominantur.

496. Etenim si in luminibus homogeneis collocentur corpora diversorum colorum, ea in eo lumine, quod sit suo ipsum colore, clarissima, & luminosissima semper videbuntur. *Cinnabaris* e.g. in lumine rubro homogeneo maxime resplendet; in viridi manifesto fit minus splendens; in cæruleo etiam adhuc minus. *Indicum* in lumine violaceo-cæruleo fulgentissimum est; fulgor autem iste pro ut id inde pedetentim per lumen viride, & flavum transvehitur ad rubrum, minuit se paulatim. Præterea color luminis homogenei non potest corporum naturalium reflexione ullo modo immutari, id quod supra quoque adnotatum est. Quod si corpora

naturalia nequeunt reflexione sua colorem ullius generis radiorum omnino immutare, utique ea corpora non poterunt alia de causa adparere colorata, quam quia radios illos reflectant, qui vel natura eo sunt colore, quem ipsa exhibent, vel qui aliqua sui permixtione eum conficerent debeat.

497. Hæc de coloribus satis. Illud hic tantum prætereundum non est, colores vulgo distribuit in *veros*, *quales* in aulæis insunt, & *falsos*, quales prismate vitreo exhibentur, qualesque adparent in Iride. Mihi hæc diviso nullo fundamento inniti videtur, quando hi quidem æque veri sunt, atque illi; idem enim lumen, quod causa est colorum in aulæis, est origo colorum in prisma. Neque quidquam verius illi, qui quum omnes colores æque veros esse fateantur, tamen eos in *fixos*, & *fugitivos* distribuunt, *fixos* adpellantes colores, quos alii *veros* dixerunt, *fugitivos* vero, quos *falsos*. Nam si prisma semper ad oculum applicatum fuerit, semper quoque adparebunt colores; adeoq; hi æque fixi erunt, atque colores aulæorum.

498. Supereft, ut in quo consistat opacitas, aut pelluciditas corporum hic demonstremus. *Aristoteles*, & post eum *Cartesius*, omnesque pene Physici corporis pellucidi formam positam esse contendunt in *meatibus reticulis*, seu potius *undique transversariis*, & per viis; formam vero corporis opaci in eo sitam esse arbitrantur, quod viciissim omnes ejus meatus recti non sunt, aut *saltem non plane*, & *undique porvii*. Alter visum est *Perraultio*, qui incredibile exultans vitrum, crystallum, aquam, reliquaque corpora pellucida ita multis meatibus transversariis, & undique per viis patere, *fallam hypothesis* proposuit circa pelluciditatem corporum. Arbitratus autem est ea corpora esse translucida, quorum partes consimiles sunt, itaque inter se conjunctæ, ut tremulus materiae æthereæ motus, in quo lunen consistere contendit, cum illis communicari, perque eas propagari possit.

499. Sed nos hac in re *Newtono* subscribimus, qui interruptionem partium causam esse præcipuam, quam obrem

obrem corpora nonnulla sint opaca sibi in animum indexit. Quum enim omnia corpora porosa sint, partesque eorum sint idcirco interruptæ, si quidem pori materia aliqua repleti sint, quæ partibus ipsis vel par sit, vel ferre par densitate, ea erunt pellucida; quod si autem pori aut omnino vacui sint, aut potius repleti sint mediis, quæ longissime ab iisdem partibus densitate differunt, ea erunt opaca. Quod ut reëius intelligatur memoria recolendum est, nullum dari corpus, cuius partes minimæ non sint pellucidæ: nam si in cubiculo obscuro, in quo lumen solare per foramen intrat, rite obtegatur foramen lamina aliqua tenui corporis opaci, per hanc lumen aut transibit, aut saltem non omne intercipietur; quod quidem non continget, nisi lamina illa tenuis translucida esset. Jam vero quum partes itæ translucidæ, ex quibus corpus coalescit, inter se coniunctæ poros relinquant, liquidem pori iti vel vacui sint, vel repleti sint medio densitate ab ipsis particulis differente, lumen dum transit per hujusmodi corpus, singulis ut ita dicam momentis incidet in superficiem media densitatis diversæ separantem; itaque aut reflegetur aut refrangetur; haec autem innumeræ reflexiones, atque refractiones, in causa erunt ut lumen ad oppositam corporis superficiem minime perveniat. Oritur ergo opacitas corporum à poris, sive potius ab interruptione partium pellucidarum. Cui consequens est, quod si pori repleantur medio ejusdem densitatis cum ipsis corporis particulis, ipsum corpus ex opaco translucidum, vel etiam ex minus translucido magis translucidum evadet.

300. Hanc de opacitate atque pelluciditate doctrinam sequentia experimenta confirmant. Primo charta, si aqua, vel oleo madefiat, fit magis translucida: aqua enim, vel oleum implet poros, in quibus aer prius hospitabatur, constat autem ea accedere densitatibus suis, magis quam aerem, ad densitatem chartæ. Secundo si plures laminæ vitreas simul conjungantur, ex erunt minus translucidæ, quam frustum vitri ejusdem crassitiei, ac omnes laminæ simul; id quod aeri inter laminas

interj: Qo tribendum est. *Tertio* si fuerint duodecim
laminæ vitreæ, quantum fieri potest ejusdem crassitie; sex autem conjunctæ sint inter se, sexque alia pariter
inter se conjunctæ sint: si quidem alteræ sex aquæ im-
mergantur, eæ pelluciditate alteras vincent, quia aqua,
quæ in hoc calu interstitia laminarum replet, densitate
minus differt à vitro, quam aer. Contra corpora perfe-
ctæ pellucida sola partium separatione fiunt opaca.
Nam liquidum quodvis perfectæ pellucidum si ita agi-
tetur, ut spumas agat, statim opacum evadet propter
interstitia aere repleta. Præterea resina terebinthina,
& aqua quamquam sint corpora translucida, tamen
commixta inter se corpus formant opacum. Ad hæc
aqua & oleum, licet separata sint translucida, tamen
commixta evadunt opaca. Idem accidit nubibus, quas
ex aqua, & aere conflari constat; quamquam enim aqua,
& aer seorsim pellucida sint, tamen commixta in nubi-
bus sunt opaca. Denique vitrum quantumvis translu-
cidum, si redigatur in pulverem, vel etiam si rinas-
tagit opacum evadit; utroque enim calu inter ejus parti-
culas aer se se insinuat, qui pelluciditatem vitro aufert.

CAPUT OCTAVUM.

*De Sono: ubi iterum de lumine, sed cum
sono comparato.*

501. **A**D soni naturam investigandam duo præci-
pue expendenda esse videntur. *Primum* quid
accidat corpori sonoro, dum sonus editur. *Alterum*
quale sit vehiculum soni, sive etiam quale sit medium,
per quod sonus à corpore sonoro ad aures nostras defer-
tur. Ut ab eo, quod accidit corporibus sonoris ordina-
mūr, notum est chordas musicas vehementer tensas, si
digitis comprehensæ subito demittuntur, sonitum edere.
Iam hujusmodi chordæ non modo carent motu oscil-
latorio, eundo scilicet, atque redeundo ad instar pen-
dulorum, sed præterea omnes earum partes agitantur
motu

motu sibi proprio, quo ad se modo accedunt, modo vero recedunt. Nam quo magis chorda discedit à sua rectitudine, eo gracilior fit; id quod nequaquam fieret, nisi partes ipsius recederent à se mutuo. Contra quo magis chorda ad rectitudinem se componit, eo densior, sive crassior evadit; id quod fieri nequit, nisi ejus partes ad se mutuo accedant. Quocirca in chordis sonoris percussis duplex motus considerandus est, quorum primus *oscillatorius* appellari potest, isque est totius chordæ euntis, atque redeuntis; alter motus *tremulus* dici meretur, isque ad singulas chordæ partes proprie pertinet. Patet autem tremorem eo esse majorem, quo motus chordarum oscillatorius est vehementior; utique adeo, ut tremor ille remittatur, pro ut remittitur motus oscillatorius chordarum.

502. Neque vero in chordis tantum, verum etiam in omnibus corporibus sonoris hujusmodi binos motus licet animadvertere; quorum motuum causa alia, atque alia est pro corporum sonororum diversitate. Chordarū Fidis tremor oritur à plectri asperitate. Plectrum enim, cum quo chordæ percutiuntur picis, vel resinæ confricatione fit ad instar serræ denticulatum. Tremor campanæ proficiscitur ab iētu clavæ, sive mallei: nam campana post percussionem clavæ è rotunda statim fieri debet ovata, extendendo se tum versus partem eam, ubi percussa est, quum versus partem oppositam; deinde ea quum magna elasticitatis vi donetur, profecto necesse est, partes illas, quæ à centro maxime discesserunt, eorum sensu accedere, & quidem proprius aliquanto, quam prius, ad instar pendulorum: ita quæ longioris in figura ovata campanæ diametri puncta extrema fuerunt, fiunt extrema brevioris: eoque pacto campanæ ambitus alternis figuram suam circularem mutabit in ovatam, nunc vero extendendo se secundum diametrum unam, nunc vero extendendo se secundum diametrum, quæ sit ad illam perpendicularis. Ex hac autem figuræ alterna mutatione, quæ species est oscillationis, tremor in partibus campanæ subsequatur necesse est. Tremorem istum in particulis campanæ facile quis animadvertiset,

modo manum ad campanam ita oscillantem admoveat; consimili enim tremore, sive potius quodam quasi torpore manum affectam esse sentiet.

503. Quæ quum ita sint, dicendum est sonum chordarum, cæterorumque corporum sonorum haud quidem oriri ab earum motu oscillatorio, ut nonnulli falso arbitrantur, sed potius à tremulo partium motu. Præterea existimandum est nullum, aut omnino insensibilem sonum edi tunc, quum particularum tremor exiguis est; at vero pro ut tremor ille intensior est, vel remissior, majorem, vel minorem sonum procreari: quæ omnia ne temere hic dixisse videamus, conabimur plurimarum observationum auctoritate adstruere, atque extra omnem dubii aleam ponere.

504. Primo itaque constat, chorda clavicymbali percussa, sonum edi; eum autem paulatim ita languescere, ut tandem penitus extinguitur: quamquam extinto sono superlit adhuc tum motus chordæ oscillatorius, quum aliquis tremor in partibus ipsius; ex quo infertur sonum neque ex chordæ oscillationibus, neque ex quali partiū ipsius tremore proficiisci. Constat præterea sonum de integro excitari, si durante adhuc chordæ motu oscillatorio ita prope ipsam admoveatur corpus aliquod durum, ut chorda eundo, ac redeundo illud percutiat. Hunc sonum de integro excitatum frustra quis contendat adscribendum esse novis chordæ oscillationibus; tantum enim abest, ut oscillationes novæ subnascantur in chorda, ut potius priores ab occurso, & percussione corporis minuantur, atque languescant. Probabilius autem est sonum de integro excitatum proficiisci à tremore partium chordæ, qui à percussione ejusdem corporis augeri aliquantulum potuit. Eadem prorsus phænomena contingunt in campana pulsata, cujus sonus extinguitur antequam oscillationes desinant: deinde vero denuo procreatur, si campana eundo, ac redeundo in aliquod obstaculum incurrat.

505. Secundo quum chorda violine plectro stringitur sonus editur; amoto vero plectro, statim cessat sonus, quamquam vibrationes ipso oculorum testimonio

mini-

minime desinant. *Tertio* si chorda, vel plectrum sebepingui ita incraspetur, ut lœve fiat, excitabuntur quidem oscillationes in chorda, quamquam nullus sonitus subsequatur: scilicet quia plectro lœvi facto, nullus, vel levis tremor chordæ particulis infertur. *Quarto* si campanæ pulsatae, vel chordæ percussæ admoveatur manus, aut lana, sonus statim cessabit, quamquam oscillationes non intermittent: credibile est autem tremulum motum particularum ex contactu langescere. *Denique* quum longior chorda percutitur, non unus sonus exauditur, sed plures, & quasi integer concentus, ut peritissimi musici testantur: id quod ex eo proficiuntur, quod oscillationum unus quidem est gradus, tremorum vero plures, pro ut nonnullæ partes citius, aliæ vero lentius eunt, redeuntque.

506. Quum autem sonus in corporibus sonoris nihil aliud sit, nisi tremulus partium motus, manifestum est non omnia corpora æque sonora esse posse, quum non omnium particulae æque possint contremiscere. Sed manifestum est quoque, sonum in nonnullis corporibus serius, in aliis citius extingui debere, pro ut scilicet tremulus partium motus serius perit, vel citius. Et quoniam eorum corporum particulae possunt magis, atque diutius contremiscere, quæ elasticiora sunt, non mirum est si chordarum, si campanæ, si vitri sonus vehementior sit, atque diuturnior, ligni autem percussi sonus sit minus vehemens, minusque diuturnus. Adparat etiam quare plumbeum, lutum & cætera hujusmodi corpora vim resiliendi longe exiguum habentia sonum aut nullum, aut admodum debilem reddant, quamquam graviter percutiantur.

507. In sono autem considerari solet *gravitas*, & *acuties*, unde *sonorum* consideratio profecta est. Toni enim omnes ad duas potissimum species referri solent, ad *graves* scilicet, & *acutos*. Graves tonos vocamus, qui excitantur à chordis lente vibratis; acutos vero dicimus, qui à chordis cito vibratis procreantur. Unde quemadmodum sonitus ex motu tumulo partium corporis elasticí proficiuntur, ita sonus *acutus*, vel *gravis*
à vec

à velocitate , vel tarditate oscillationum ejusdem corporis elasticī pendere videtur ; quæ res nos admonet, ut de oscillationibus chordarum sonorarum nonnulla hic breviter differamus.

508. Esto igitur chorda utcumque tensa AB, (Fig. 72.) quæ digitis in medio comprehensa ita inflectatur, ut lumen AČB adquirat : non dubitandum est , quio ea , si statim demittatur , ad pristinam rectitudinis figuram propter elasticitatis vim redire admittatur . Elasticitas autem , quum agat indelinenter in chordam ACB , usque donec ea ad pristinam rectitudinem se se componat, certum etiam est motum chordæ, sive etiam motum puncti C esse perpetuo acceleratum ; singulis enim momentis novi velocitatis gradus, manentibus prioribus, accedunt ad chordam, dum ad pristinam figuram redire nititur. Ex quo sequitur punctum C, quum adsequutus est locū c, maximam velocitatem sibi comparavisse, cum qua velocitate perget porro ire , sed motu retardato, deinde redibit, variaisque oscillationes exiguae peraget. Unde motus chordæ AB euntis, ac redeuntis resoluti potest in motus binorum oppositorum pendulorum æqualium AC, BC , quorum unum oscillat circa punctum A , alterum oscillat circa punctum oppositum B. Et quoniam ostensum est *Sectione superiori* , oscillationes pendulorum brevissimas utcumque inæquales æquali tempore absolvit; etiam oscillationes brevissimæ chordæ AB licet inæquales æquali tempore peragantur necesse est.

509. Si qui sint , qui subtiliorem ejusdem rei demonstrationem requirant, iij animo reputare debebunt, vim illam elasticitatis , ob quam vim sit, ut chorda inflexa ad pristinum statum redire conetur , eo majorem esse , quo magis chorda ipsa inflectitur , sive quo major est sagitta Cc, quæ inflectionem designat . Itaque chorda eundo, ac redeundo haud quaquam usgebitur æquali vi elasticitatis in locis singulis, sed vires illæ crescent, vel decrescent in ratione sagittarum Cc , sive etiam in ratione distantiarum à situ AcB, in quo sita chorda, antequam inflesteretur , constituta erat . Atqui descensus atque

atque adscensus corporis per arcus cycloides, utcumque inaequales, idcirco aequalibus temporibus expediri supra demonstratum est, quia vis accelerans corpus in quovis loco est ut arcus cycloidis inter locum illum, & punctum ipsum interceptus, sive etiam est ut iter emetendum: quare ob eamdem causam necesse erit, ut oscillationes ejusdem chordæ, utcumque inaequales, eodem tempore peragantur.

510. Quapropter motus chordarum vibratarum eodem modo se habebunt, ac motus pendulorum oscillantium per arcus cycloides, sive etiam, quod eodem reddit, per arcus circulares brevissimos. Ad hos motus sequentia Theorematum pertinent: I Si duo pendula fuerint inaequalium longitudinum, urgantur autem viribus absolutis aequalibus: quadrata temporum singularium oscillationum erunt ut eorum longitudines; sive etiam durationes singularium oscillationum erunt in subduplicata ratione longitudinum pendulorum. II Si duo pendula fuerint eisdem longitudinis, urgantur autem viribus absolutis inaequalibus, quadrata temporum singularium oscillationum erunt reciproce ut vires, quibus urguntur; sive etiam durationes singularium oscillationum erunt reciproce in subduplicata ratione virium. III Si duo pendula fuerint inaequalium longitudinum, & præterea urgantur viribus absolutis inaequalibus: durationes singularium oscillationum erunt in ratione composita ex subduplicata ratione longitudinum direcede, & subduplicata ratione virium inverte.

511. Ex his tribus Theorematibus tertium consequitur ex primo, & secundo: primum ostensum est superiore Sectione eo loco, ubi de funipendulorum motu reciproco atque est: secundum vero Theorema ita ostendi potest. Sint duo corpora A, & B, quæ à vi aliqua immutabili, & constanti, ad instar vis gravitatis terrenæ indelinenter incitata, descendant deorsum. Manifestum est primo, si vires sint æquales spatia percursa fore in duplicata ratione temporum: id enim ostensum est supra de corporibus, quæ à vi gravitatis incitantur ad descendendum deorsum; adeoque idem locum habere debet

bet in corporibus, quæ viribus majoribus, vel minoribus urgentur, dummodo vires ipsæ nullam mutationem deinceps subeant. Sed manifestum est præterea, si vires sint inæquales, spatio eodem tempore descripta fore in ratione ipsarum virium; nam divido tempore in particulas æquales, & infinite parvas singula spatia his temporis particulis æqualibus peragrata erunt in ratione virium, adeoque componendo in eadem ratione erunt spatia tota. Quapropter si tum vires, quum tempora fuerint inæqualia, spatia descripta erunt conjunctim ut vires, & quadrata temporum. Ex quo deinde sequitur, si spatia percursa æqualia fuerint, vires esse in duplicitate temporum ratione reciproce; tempora vero esse in ratione subduplicata virium reciproce.

512. Pendeant modo corpora A, & B de filis æquilibus PA, QB, (Fig. 74.) eaque inæqualibus, uti dictum est, viribus incitata oscillent in arcus circulares brevissimos CD, cd; dico tempora singularum oscillationum esse in subduplicata ratione reciproca virium, quibus ipsa incitantur. Est enim tempus oscillationis minimæ circularis CD ad tempus casus per dimidiam penduli altitudinem EA in ea ratione, quam habet circuli circumferentia ad diametrum, quemadmodum superiori Sectione ostensum est. Præterea tempus casus ab altitudine EA vi, qua pendulum PA urgetur est ad tempus casus ab æquali altitudine eB vi, qua urgetur pendulum aliud QB in subduplicata ratione vis posterioris penduli ad vim prioris penduli, ut modo ostensum est. Denique tempus casus ab altitudine eB est ad tempus oscillationis minimæ circularis cd in ea ratione, quam habet diameter ad circumferentiam circuli; quare, conjunctis omnibus rationibus, erit tempus oscillationis minimæ CD ad tempus oscillationis alterius minimæ cd in ratione subduplicata reciproca vis penduli posterioris ad vim penduli prioris.

513. Hæc Theorematæ facile aptantur ad chordas sonoras oscillantes, modo prænoscantur tum vires, quibus viribus ipsæ ad oscillandum incitantur, quum longitudines ipsarum. Nam primo si vires elasticæ, que

chor-

chordas ad oscillandum incitant, æquales fuerint, tempora oscillationum ex Theoremate primo erunt in subduplicata longitudinum ratione. Secundo si longitudines fuerint æquales, vires vero inæquales, tempora oscillationum ex Theoremate secundo erunt in subduplicata ratione inversa virium. Denique si tum longitudines, quin vires fuerint inæquales, tempora oscillationum erunt ex tertio Theoremate in ratione composita ex subduplicata ratione longitudinum directe, & subduplicata ratione virium inverse. Itaque eo res redit, ut ostendamus hic, qua ratione proportiones virium indagari possint, quibus viribus chordæ ad oscillandum incitantur.

514. In chordis oscillantibus quatuor occurunt consideranda, scilicet *materia* ex qua elaboratae sunt, *longitudo*, *crassities*, & *tensura*, sive *major vis*, vel *minor*, quæ adhibetur ad chordas tendendas. Primo enim, cæteris paribus, chordæ quæ ex materia magis elastica elaboratae sunt majori vi ad oscillandum incitantur, minori vero, quæ ex materia minus elastica constant. Secundo, cæteris quoque paribus, majori vi ad oscillandum incitantur chordæ breviores, quam chordæ longiores. Tertio, cæteris etiam paribus, majori vi incitantur ad oscillandum chordæ minus crassæ, quam chordæ crassiores. Et denique si cætera paria sint, majori vi ad oscillandum incitantur chordæ magis tensæ, quam chordæ, quæ minus intenduntur. Quæ omnia satis explicanda sunt. Adsumptis duabus chordis, si quidem eæ sint ejusdem longitudinis, ejusdem crassitiei, atque ejusdem tensuræ, vires, quibus ad oscillandum incitantur tunc æquales erunt, quum ambæ constant ex materia æqualiter elastica, sive etiam quando homogeneæ sunt; at vero vires erunt ut elasticitates ipsius chordis congenitæ, quando heterogeneæ sunt. Præterea si chordæ fuerint homogeneæ, ejusdem crassitiei, ejusdemque tensuræ, tunc ipsæ æqualibus viribus ad oscillandum incitabuntur, quando fuerint ejusdem longitudinis: si enim sint longitudinis diversæ, vires erunt in ratione ipsarum longitudinum inverse. Etenim quum vis chordarum elastica intendatur ex tensura, profecto necesse

cessit est, ut eadem vis tendens majorem effectum producat in chorda breviori, in qua adeo minor copia materiæ, quam in longiori chorda homogenea, & ejusdem crassitiei; eruntque effectus, sive vires adquisitæ in ratione ipsarum materiæ quantitatum inverse, sive etiam in ratione longitudinum inverse, quibus quantitates materiæ proportionales sunt.

§15. Et quoniam, quum longitudines chordarum æquales sunt, tempora oscillationum sunt in subduplicata ratione reciproca virium, que ipsas chordas ad oscillandum incitant: in primo casu, in quo cætera quidem paria sunt, materiæ tantum ex quibus chordæ elaboratæ sunt, supponuntur esse diversæ, tempora oscillationum erunt in subduplicata ratione inversa virium elasticarum, quibus à natura chordæ donantur. Insuper quia quum longitudines, & vires inæquales sunt, tempora oscillationum rationem habent compositam ex subduplicata ratione longitudinum directe, & subduplicata ratione virium inverse: in secundo casu, in quo cætera quidem paria sunt, longitudines tantum chordarum ponuntur esse diversæ tempora oscillationum erunt bis in subduplicata ratione longitudinum, adeoque erunt in ratione simplici longitudinum. Nam videntur vires elasticas chordarum esse reciproce in simplici ratione longitudinum suarum. Ex quibus duobus Theorematis consequitur tertium; scilicet si cum materiæ, quum longitudines fuerint diversæ, tempora oscillationum erunt in ratione composita ex subduplicata ratione virium elasticarum reciproce, quibus à natura chordæ prædictæ sunt, & ratione simplici longitudinum directe; adeo ut tempora illa æqualia sint, si vires elasticæ, quibus chordæ à natura donantur fuerint directe in duplicata longitudinum ratione.

§16. Videamus modo quid eventurum sit, si cætra quidem paria sint, solæ vero crassitudines chordarum fuerint diversæ. Quamquam vires tendentes æquales supponantur, tamen majorem effectum producet vis tendens in chorda subtiliori, quam in crassiori ejusdem longitudinis, ob minorem scilicet copiam materiæ;

erunt.

eruntque effectus, sive etiam vires quibus ad oscillandum chordæ incitantur, ut ipsa quantitates materiae inverse: sive etiam ut quadrata diametrorum ipsarum chordarum inverse, quibus materia quantitates proportionales sunt. Quapropter tempora oscillationum, quæ sunt reciproce in subduplicata virium ratione, quibus ad oscillandum incitantur, erunt direcťe ut diametri ipsarum chordarum. Denique si cætera paria sint, vires autem tendentes fuerint inæquales, vires, quibus chordæ ad oscillandum incitabuntur erunt in ratione virium tendentium; adeoque tempora oscillationum, quæ sunt reciproce in subduplicata ratione virium, quibus ad oscillandum incitantur, erunt in subduplicata ratione virium tendentium reciproce.

517. Tempus itaque, quo tempore peraguntur singulæ chordarum oscillationes quadrupliciter minui potest: I si chordæ elaborentur ex materia magis elastica, quo casu tempus minuitur in subduplicata elasticitatis ratione, sed inversa. II si chordæ fiant breviores; quo casu tempus minuitur in ratione simplici ipsius longitudinis directe. III si chordæ fiant subtiliores; quo casu tempus minuitur in ea ratione, in qua minuitur diameter. Et IV denique si chordæ magis intendantur, quo casu tempus minuitur in ratione subduplicata tensura, sed inverse. Ex quibus facile colligi possunt casus omnes, quibus chordarum diversarum oscillationes eodem tempore absolvuntur; quorum casuum sequentes sunt elegantissimi.

518. *Primus*, si elasticitates, quibus à natura chordæ ejusdem tum crassitie, quum tensuræ donantur fuerint in duplicata ratione longitudinum directe: hoc est si quanto elasticitas unius chordæ vincit elasticitatem alterius, tanto quadratum longitudinis illius superat quadratum longitudinis istius, tempora oscillationum æqualia erunt. *Secundus*, si elasticitates quibus à natura chordæ ejusdem tum longitudinis, quum tensuræ donantur fuerint in duplicata ratione diametrorum directe; hoc est si quanto elasticitas unius chordæ vincit elasticitatem alterius; tanto diameter illius superat dia-

me-

metrum istius, tempora oscillationum æqualia erunt. *Tertius*, si elasticitates, quibus à natura chordæ ejusdem tum longitudinis, quum crassitiei donantur fuerint in ratione simplici inversa virium tendentium; hoc est si quanto elasticitas unius chordæ vincit elasticitatem alterius, tanto vicissim vis tendens posteriorem chordam superat vim tendentem chordam priorem; tempora oscillationum æqualia erunt. *Quartus*, si longitudines duarum chordarum ejusdem tum elasticitatis, quum tensuræ fuerint reciproce ut diametri; hoc est si quanto longitudo longitudinem superat, tanto vicissim diameter diametro minor sit; tempora oscillationum æqualia erunt. *Quintus*, si longitudines duarum chordarum ejusdem tum elasticitatis, quum crassitiei fuerint directe in subduplicata ratione virium tendentium; hoc est si quanto quadratum longitudinis unius chordæ superat quadratum longitudinis alterius chordæ, tanto vis tendens priorem chordam major sit vi posteriorem chordam tendente, tempora oscillationum æqualia erunt. *Sextus*, si diametri duarum chordarum ejusdem tum elasticitatis, quum longitudinis fuerint directe in subduplicata ratione virium tendentium; hoc est si quanto quadratum diametri unius chordæ superat quadratum diametri alterius chordæ, tanto vis tendens priorem chordam major sit vi posteriorem chordam tendente tempora oscillationum æqualia erunt. Et *ultimus* denique: si duæ chordæ ejusdem quidem elasticitatis, sed longitudine, & crassitie inæquales tantum tantum in ratione composita ex duplicata ratione crassitiei, & duplicata ratione longitudinis, tempora oscillationum æqualia erunt.

519. Quibus sic explicatis ad tonos modo redendum est, quos diximus à tarditate, vel velocitate oscillationum pendere; tonus enim acutior est, vel gravior, pro ut oscillationes citius, vel serius absolvuntur. Intensitas soni nihil prorsus confert ad tonum immutandum; chorda enim agitata eundem semper tonum edit, sive per majus, sive per minus spatium eat redeatque, quamquam sonus nunc major, nunc minor exaudiatur:

diatur: cuius rei causa est, quod oscillationes chordarum sive breviores sint, sive longiores semper eodem tempore absolvuntur.

520. Tonorum autem quidam *consoni* sunt, quidem *dissoni*, quidam denique *unisoni*. Unisonos vocamus, qui ab oscillationibus æque diuturnis oriuntur: Scilicet si duo corpora tremula temporibus æqualibus suas vibrationes absolvant, nulla inter tonos dabitur differentia, qui idcirco unisoni erunt. Itaque quum supra enumeraverimus septem casus elegantiores, quibus tempora oscillationum duarum chordarum æqualia sunt, sequitur iisdem illis casibus tonos chordarum unisonos esse. Consonos autem tonos generaliter appellamus illos, qui proficiuntur ab oscillationibus, quarum tempora certas quasdam rationes habent inter se: quarum rationum præcipuæ habentur 2 ad 1; 3 ad 2; 4 ad 3; 5 ad 4; & 6 ad 5. Si tempora oscillationum fuerint ut 2 ad 1; hoc est si quo tempore chorda aliqua unam oscillationem absolvit, chorda alia duas peragat, consonantia vocatur *Octava*, sive *Diapason*. Et quoniam, cæteris paribus, tempora oscillationum servant rationem longitudinum, si chorda quævis duplo brevior reddatur, ea sonabit octavam. Si tempora oscillationum fuerint ut 3 ad 2; hoc est si quo tempore chorda aliqua duas oscillationes absolvit, chorda alia tres peragat, consonantia vocatur *Quinta*, sive *Diapente*. Itaque, cæteris paribus, chorda, cuius longitududo sit ad longitudinem alterius chordæ ut 2 ad 3 sonabit quintam. Si tempora oscillationum fuerint ut 4 ad 3; hoc est si quo tempore chorda aliqua tres oscillationes absolvit, chorda alia quatuor peragat, consonantia vocatur *Quarta*, aut *Diateffaron*. Itaq; cæteris paribus chorda, cuius longitududo sit ad longitudinem alterius chordæ ut 3 ad 4 sonabit quartam. Si tempora oscillationum fuerint ut 5 ad 4; hoc est si quo tempore chorda aliqua quatuor oscillationes absolvit chorda alia quinque peragat, consonantia dicitur *Tertia major*, sive *Ditonus*. Quapropter, cæteris paribus, chorda, cuius longitududo sit ad longitudinem alterius chordæ ut 4 ad 5 sonabit tertiam majorem. Denique si tempora

X oscil-

oscillationum fuerint ut 6 ad 5, hoc est si quo tempore chorda aliqua quinque oscillationes absolvit, alia chorda sex peragat, consonantia dicitur *Tertia minor*, live *Sesquiditonus*. Adeoque chorda, ceteris paribus, cuius longitudine sit ad longitudinem chordæ alterius ut 6 ad 5 sonabit tertiam minorem.

521. Adsum & aliæ rationes minus illustres, ad quas si tempora oscillationum conformata sint, toni quoque erunt consoni; de quibus consulendi sunt *Scriptores Musicarum*. Ceteræ rationes, quæ numero sunt infinitæ, tonos dissonos subministrant. Ex dictis autem haud difficile erit definire, quæ esse debeat chordarum vis elasticæ, longitudinis, crassitiei, tensuræque proportio ad hos, vel illos tonos edendos. Nam datis tonis dantur rationes temporum, quibus temporibus absoluntur oscillationes chordarum. Ex datis autem temporibus facile colliguntur proportiones prædictæ per Theorematum supra expolita. Ex hac autem doctrina patet, quare instrumentis musicis adhibeantur chordæ diversæ crassitiei, & saepè etiam longitudinis diversæ; & quare chordæ breviores tonos reddant acutiores; & quomodo eadem chorda à tono gravissimo Bassi ita per omnes tonos sequentes possit excurrere, ut tandem trideat præ acutie; ad id enim nihil aliud faciendum est, nisi ut chorda illa magis magisque tendatur. Ceterum quæcumque de chordis demonstrata sunt, obtinent pariter in ceteris corporibus sonoris: scilicet in campanis, poculis vitreis, &c. Ea enim in similes oscillationes aguntur, quum eundo, & redeundo ex rotundis evadant ovalia, & vicissim ex ovalibus rotunda, deinde iterum ovalia; quemadmodum ipso oculorum testimonio fit manifestum,

522. Dicendum nunc est de soni vehiculo, sive etiam de medio, per quod sonus à corporibus sonoribus ad nostras usque aures transfertur. Hoc medium aerem esse inde constare potest, quod aere sublatu nullus exaudiatur tonsus, quamquam corpora sonora graviter percussa sint. Nam pulsata intra machinam pneumaticam, ex qua aer educitus sit, campanula, nihil soni persentitur; contra vero si intus aer sit, sonus auditur, quamquam

quam machina sit accuratissime clausa. Ex quo experientia liquet ad sonum exaudiendum necesse esse, ut aer concutiatur à corporibus sonoris. Credibile autem est in concusso aere circulos, sive undas excitari ad instar illarum, quæ excitantur in aqua, quum quidpiam grave decidit in eam: cum hoc tantum discrimine, quod undæ in aqua se diffundunt secundum ipsius superficiem horizontalem, in aere vero quoquo versus in sphæram propagantur.

523. Neque vero difficile erit harum in aere undarum originem investigare. Quum enim ad sonum procreandum necesse sit corporis sonori partes contremiscere, partes istæ tremulæ vicibus alternis eundo & redeundo ita suo urgebunt, & propellent partes aeris sibi proximas, & urgendo compriment easdem, ac condensabunt, dein reditu suo sinent partes compressas recedere, & se se expandere. Igitur partes aeris corpori tremulo proximæ ibunt, & redibunt per vices ad instar partium corporis sonori. Qua autem ratione partes corporis sonori agitant hasce aeris partes, hæ similibus tremoribus agitatæ agitabunt partes sibi proximas, hæque similiter agitatæ agitabunt remotiores, & sic deinceps infinitum. Et quemadmodum aeris partes primæ eundo condensantur, & redeundo dilatantur, sic partes reliquæ quoties eunt condensabuntur, & quoties redeunt se se expandent. Ex hac autem reciproca condensatione, atque expansione aeris orientur necesse est circa corpora sonora undæ, orbesque illi, de quibus modo loquuti sumus: qui quidem à corpore tremulo, tamquam à centro communī, secundum superficies propemodum sphæricas, & concentricas undique propagantur.

524. Et quoniam singulæ vibrations, sive etiam singuli pulsus corporum sonorum singulas excitant undas in aere, inde fit, ut tot dato tempore undæ in aere procreentur, quot vibrationes accident eodem tempore in corpore sonoro. Unde quemadmodum toni graves, acutique oriuntur à paucioribus, vel pluribus oscillationibus, quæ à corpore sonoro fiunt in dato tempore, ita iidem toni pendent pariter à paucioribus, vel pluribus

ribus undis, quæ in dato tempore excitantur in aere. Præterea quemadmodum intervalla oscillationum, sive pulsuum æqualia sunt inter se: (oscillationes enim chordarum sive breviores sunt, sive longiores, æqualibus temporibus absolvi supra ostensum est) ita quoque intervalla undarum erunt æqualia. Denique extinto motu tremulo corporis, à quo aer pulsabatur, nullæ amplius undæ generantur in aere.

525. Ex quibus omnibus colligere possumus, quid de soni natura vere sentiendum sit. Quum enim sonus considerari possit vel *in corpore sonoro*, vel *in aere*, vel etiam *in anima nostra*, dicendum est sonum in corpore sonoro nihil aliud esse nisi motum quemadmodum tremulus partium ipsius; in aere autem nihil aliud, nisi motus undosus confinilem à corpore sonoro propagatum; denique in anima esse sensum motus ijtius sub forma soni. Quumque in sono toni occurrant, putandum est eos à velocitate vel tarditate pulsuum corporis sonori, sive etiam à multitudine, vel præcitate undarum in aere dato tempore excitatarum oriri: nam, pro majori, vel minori numero pulsuum, undarumque, nunc unius, nunc alterius toni sensus suboritur in anima.

526. Fuerunt, qui lucem cum sono, colores vero cum tonis comparari posse arbitrati sunt, atque tum ad hos, quin ad illos unicam adhiberi posse explicandi rationem docuerunt. Scilicet putaverunt lumen in Sole, in que cræteris corporibus lucidis nihil aliud esse nisi motus vibrantis partium suarum, quemadmodum sonus in campana, vel chorda musica nihil aliud est, nisi motus tremulus partium campanæ, vel chordæ. Opinati sunt præterea lucem à corporibus lucidis propagari per medium quoddam subtilem, similem summa elasticitatis vi donatum, quod aetherem supra appellavimus, quemadmodum sonus diffunditur per aerem, qui tamen & subtilitate, & elasticità vi longe superatur ab aethere. Lucem ulterius in aethere putaverunt esse motum quemadmodum vibrans ab ipsis corporibus lucidis excitatum, sicuti sonus in aere est motus undosus à corporibus sonoris propagatus. Denique quemadmodum sonus in anima nihil aliud est nisi

nisi sensus motus illius, quem aeris undosa agitatio excitat in organo aurium, ita lux in eadem anima credita ab ipsis est esse sensus motus illius, quem aetheris agitatione vibratoria in fundo oculi imprimit.

§27. Lucis vividioris, vel debilioris causam eamdem esse putaverunt cum illa, quae facit ut sonus intensior sit, vel remissior. Scilicet quemadmodum sonus intensior, vel remissior in corpore sonoro est major, vel minor agitatio tremula partium ipsius, in aere autem est percussio vehementior, vel minus vehementis facta a partibus corporis sonori motu tremulo agitatis, ita arbitrii sunt lucem vividorem, vel debilitem in corpore lucido esse maiorem, vel minorem motum vibrantem partium ipsius; in aethere vero esse percussiones vehementiores, vel minus vehementes factas a particulis corporis lucidi motu vibranti agitatis.

§28. Colorum autem originem, atque diversitatem sic explicare conati sunt, ut cum tonis musicorum conferriri jure posse viderentur. Nam quemadmodum toni oriuntur ex tarditate, vel celeritate pulsuum aeris, ita existimaverunt colores proficiunt ex tarditate, vel velocitate pulsuum aetheris, sive etiam ex seignioribus, aut oxyribus ejus vibrationibus. Id propoluit Newtonus sub specie questionis in Opticorum libris. Nam quoniam docuisset radios luminis incidendo in fundum oculi excitare vibrationes quasdam in tunica retina, easque vibrationes propagatas inde per solidas nervorum opticorum fibras ad cerebrum usque sensum videndi ibi excitare, subdit: *An non radii diversorum generant vibrationes excitant diversa magnitudine* (hoc est velociores, vel tardiores), *qua scilicet vibrationes, pro sua cuiusque magnitudine, sensus diversorum excitant colorum; similiter ratione ac vibrationes aeris, pro sua itidem ipsarum diversa magnitudine, sensus sonorum excitant diversorum?* Et nominatim *an non radii maxime refrangibiles vibrationes excitant brevissimas ad sensum movendam coloris violacei saturi; radii minime refrangibiles vibrationes longissimas ad sensum coloris rubri saturi; & radii generant maximas intermediorum vibrationes con-*

529. Hoc novissimum de tarditate vibrationum ra-
diorum violaceorum, deque velocitate vibrationum ra-
diorum rubrorum, quamquam *Newtonus* sub specie
conscientis proponat, tamen probari potest sequenti
experimento. Si quis apertis oculis vel solem aliquan-
diu intueatur, vel objectum aliquod album solis lumine
directo illuminatum, deinde oculos claudat, videbit
per intervalla temporum colores nonnullos hoc ordine
se se excipientes. Primum conspiciet albedinem, tum
colorum rubrum, ac flavum; deinde colorum viridem,
cæruleum, ac violaceum; denique nigrum. Ex quo ex-
perimento consequitur priores colores oriri ex vibra-
tionibus celerioribus, posteriores vero ex vibrationibus
tardioribus. Nam retina vehementissime concutitur,
quum primum oculi clauduntur; deinde vero vibratio-
nes in ipsa à Solis lumine excitatae minuantur per gra-
dus, donec omnino extinguantur, quo tempore anima
nullius coloris sensum habere potest; adeoque tenebrae
& nigror superveniat necesse est.

530. Denique quemadmodum in *Musicis* harmonia,
& discordia sonorum oritur à certis proportionibus vi-
brationum aeris, ita fieri posse existimaverunt, ut har-
monia, & discordia colorum oriatur à certis vibratio-
num aetheris proportionibus: id quod idem *Newtonus*
sub specie etiam quæstionis proposuit his verbis. *Annon*
fieri potest, ut harmonia, & discordia colorum oriatur à
proportionibus vibrationum propagatarum per nervorum
Opticorum fibras in cerebrum; similiter atque harmo-
nia, & discordia sonorum oritur à proportionibus vibra-
tionum aeris? sunt enim alii colores, si juxta se invicem,
positi simul inspiciantur, oculis grati, ut aurei, & indicis;
alii autem minus grati. Quæ comparationes soni &
tonorum cum lumine, & coloribus si absurdæ non sive,
videant *Physici* an quemadmodum *albedo composta* eß
ex omnibus coloribus apta proportione permixtis inter se,
ita sonus confusus, frue rumor componatur ex omnibus
tonis; scilicet videant an quemadmodum *omnia genera*
vibra-

vibrationum radiorum coloratorum inter se permixta
albedinis sensum excitare valent, ita omnia genera vi-
brationum singulorum sonorum permixta inter se soni-
bus, sive rumortis sensationem possint in nobis excitare.

C A P U T N O N U M.

*De Soni velocitate: deque ipsius insignioribus
phenomenis.*

531. **S**oni velocitatem per accuratissima experimen-
ta determinare Philosophi adgredi sunt. Cura-
runt itaque, ut in loco remoto exemplo accenderet
ignis, eodemque tempore strepitus fieret, ad hoc sci-
licet ut ipsius ignis conspectus significaret è longinguo
spectantibus initium temporis, quo tempore strepitus
factus esset. Quamquam enim motus luminis & ipse
pariter fiat in tempore; tamen tanta est velocitas ejus,
ut nihil vetat, quin in spatio, in quo hujusmodi tenta-
men faciendum est, ut ut longinguo, habeatur tam-
quam instantaneus. Quum primum autem ignis ad-
parebat breviori pendulo tempus definiebat inter ad-
paritionem luminis, & soni ad aures appulsum; eo
enim tempore sonus percurrebat intervallum accuratis
mensuris præcognitum inter spectatores, & locum illum
in quo strepitus factus fuerat. Per hujusmodi experi-
menta saepies repetita cognitum est in Gallia, sonum
percurrere pedes Parisenses 1070 in tempore unius mi-
nuti secundi, qui sunt pedes Brittannici 1142.

532. Deinde Isaac Newton Propos. XLIX, & Li.
Libri II. sua Philosophia Naturæ velocitatem soni
ratiocinio mathematico definire adgressus, comperit
Theoriam non adeo longe ab experimentis Gallorum
abire. Demonstravit autem, quod si A sit altitudo aeris
homogenei, cuius pondus adæquat universum pondus in-
cumbens atmosphæra, & cuius densitas eadem est cum
densitate aeris compressi in loco, in quo sonus propagatur,
figurata constitutus pendulum, cuius longitudine sit A,

quo tempore pendulum istud oscillationem integrum ex itu, reddituque compositam peragit, eodem tempore sonus eundo cruficiat spatum circumferentia circuli radio A descripti aquale. Cujus quidem Theorematis demonstratio vide i potest apud ipsum Newtonum.

533. Inde autem facile fuit Newtono definire spatiū à sono emensum in dato temporis intervallo. Quum enim pondera specifica aquæ pluvialis, & argenti vivi sint ad invicem ut 1 ad $13\frac{2}{3}$: quinque pondera specifica aeris & aquæ pluvialis sint ad invicem ut 1 ad 870, quando mercurius in Barometro attingit altitudinem digitorum Anglicorum 20; erit pondus specificum aeris ad pondus specificum argenti vivi in ratione composita ex 1 ad 870, & 1 ad $13\frac{2}{3}$; adeoque pondus aeris ad pendus argenti vivi se habebit, ut se habet 1 ad 11890. Itaque quum altitudo argenti vivi sit digitorum 20, altitudo aeris uniformis, cuius pondus aerem nostrum subiectum comprimere potest, erit 356700 digitorum, sive pedum Anglicorum 29725: sunt enim altitudines duorum homogeneorum cylindrorum ejusdem crassitie reciprocæ ut pondera ipsorum: estque hæc altitudo illa ipsa, quam Newtonus adpellavit A.

534. Et quoniam circuli radio 29725 pedum descripsi circumferentia est pedum 186768, sequitur sonum describere pedes 186768 in tempore, quo pendulum longum pedes Anglicos 29725 unam oscillationem ex itu reddituque compositam peragit. Ad quod tempus definiendum monet Newtonus, pendulum digitos $29\frac{1}{3}$ longum oscillationem ex itu, reddituque compositam tempore duorum minutorum secundorum absolvere; tres enim pedes horarii Hugeniani faciunt digitos $29\frac{1}{3}$ Anglicos. Quapropter quum tempora oscillationum duorum pendulorum sint in longitudinum ratione subduplicata, adeoque ipsæ longitudines sint in duplicata ratione temporum, quemadmodum supra demonstratum est: faciendo ut $29\frac{1}{3}$ ad 356700, ita 4 ad quartum proportionalem 26297, habebitur quadratum temporis, quo tempore pendulum longum digitos Anglicos 356700 oscillationem unam ex itu, reddituque compositam

fitam absolvit; adeoque idem tempus erit minutorum secundorum $190\frac{3}{4}$, qui numerus est radix quadratae numeri 36397. Eo igitur tempore sonus progrediendo conficit pedes 186768, adeoque tempore unius minutae secundi sonus describet pedes 979. Nam sonum æquabile motu moveri infra demonstrabitur.

§35. Quamquam autem soni velocitas hac ratione definita longe minor sit ea, quam deprehenderunt Galli per experimenta, tamen considerare oportet in hoc computo nullam Newtonum rationem habuisse tum crassitudinis solidarum particularum aeris, per quas utique sonus propagatur in instanti, quum interstitiorum, quæ inter particulas interjacent: quæcumque enim fuerit ratio crassitudinis particularum ad earum intervalla, in eadem ratione augebitur velocitas soni. Itaque quum pondus aeris sit ad pondus aquæ ut 1 ad 870; si particulae aeris ponantur esse ejusdem circiter densitatis cum particulis aquæ, & raritas aeris tota proficiscatur ab intervallis particularum, diameters particulae aeris erit ad intervallum inter centra particularum ut 1 ad 9, vel 10 circiter: ad intervallum autem inter particulas ut 1 ad 8, vel 9 circiter: supradiæcet enim diametri, & intervalla rationem servant subtriplicatam ponderum. Proinde ad pedes 979, quos sonus tempore unius minutæ secundi juxta calculum superiorem conficit, addere licet pedes —————, seu 109 circiter ob crassitudinem

979

particularum aeris, & sic sonus tempore unius minutæ secundi conficit pedes 1088 circiter.

§36. Præterea vapores per aerem diffusi quum sint alterius elateris, alteriusque toni, vix, ac ne vix quidem participabunt de motu aeris veri, quo soni propagantur, quemadmodum infra explicabitur. His autem quiescentibus motus ille celerius propagabitur per solum aerem verum. Ita si atmosphæra constet ex decem partibus aeris veri, & una parte vaporum, motus sonorum celerior erit, quam si propagaretur per undecim partes aeris veri: qui enim motus distribuendus erat unde-

undecim partibus aeris, diffundi deinde debet tantum per decem; adeoque ejus velocitas augebitur. Quapropter spatium à sono in tempore unius minuti secundi peragratum continebit pedes aliquanto plures, quam 1088 supra iumentos, ejusque velocitas in 12 s accedet ad veram soni velocitatem per experimenta repertam.

537. Cognita soni velocitate innescunt intervalla pulsuum, sive etiam intervalla undarum; nam singulis pulsibus singulas undas respondere supra demonstratum est. D. Sauveur, captis experimentis, invenit fistulam apertam, cujus longitudo erat pedum *Parisienium* fere quinque sonum edere ejusdem toni cum sono chordæ, quæ tempore unius minuti secundi centies recurrebat. Erant igitur pulsus fere centum in spatio pedum *Parisienium* 1070, quos sonus tempore unius minuti secundi percurrit: unde singuli pulsus occupabant spatium pedum fere $10 \frac{1}{3}$, id est duplam circiter longitudinem fistulæ, quam quinque pedum fuisse diximus. Ex quo verisimiliter inferitur, latitudines pulsuum in omnibus apertarum fistularum sonis æquari duplis longitudinibus fistularum.

538. Cæterum sonus æquabiliter movetur, hoc est æqualibus temporibus æqualia spatia describit, remoto tamen omni impedimento, quod ejus cursum moretur. Id quum plurimæ observationes, tum præcipue *Echo* demonstravit, quæ tanto tardius ad commovendas aures accedit, quanto obex, à quo fit soni repercutio, longius abest, ut postea docebitur. Præterea omnes soni live vehementes, sive languidi æquali celeritate moventur, adeoque idem spatium æquali temporis intervallo emetuntur. Id tantum discriminis est inter utrosque, quod soni vehementiores ad longius intervallum exaudiantur, languidores vero citius intereant. Nam undæ aereæ sensim debilitantur, atque franguntur; quibus maxime effragatis, sonum interire necesse est. Credibile autem est citius frangi undas ex pulsibus minoribus commotas, quam undas ex majoribus pulsibus excitatas. Ubi notandum est, undas sonorum vehementiorum majorem aeris quantitatem complecti, sonorum vero

languores.

languidiorum undas minorem: ita enim quamquam velocitas par sit, tamen impetus priorum major erit, quam impetus posteriorum: adeoque & sonus ab illis excitatus aliquanto validior erit.

539. Compertum insuper est, haud diutius exaudiri sonum ab iis qui longissime distant à corporibus sonoris, quam ab iis, qui proxime absunt. Sonus enim tantum durat, quantum durat motus corporis sonori; numerisque pulsuum propagatorum per aerem idem est cum numero vibrationum corporis tremuli, neque multiplicatur in eorum progressu. Non negandum tamen est iis, qui viciniores sunt corpori sonoro, citius sonitum accidere, citiusque definire: iis vero, qui longius absunt, legnus accidere, tantoque legnus definire: nam motus soni successivus est, non instantaneus. Ita accipiens est Newtonus in Scholio Prop. L. Libri II. Porro cur soni cessante motu corporis sonori statim cessant, neque diutius exaudiantur ubi longissime distantes à corporibus sonoris, quoniam quum proxime absunt, pater ex, & c. at. quamquam verba aliter sonare videantur. Denique soni celeritas leviter intenditur, vel remittitur ex vento secundo, aut adverso: scilicet quia velocitas venti, ut ut potentissimi, soni velocitate longe minor est. Est enim velocitas, soni ad velocitatem violentissimi venti, quo arbores eradicantur, & aedificia subvertuntur circiter ut 33 ad 1; adeoque sonus cito ventum antevertit; in brevi autem illo temporis intervallo, quo sonus ventum prætergreditur, nonnisi exiguum esse potest velocitatis incrementum, aut decrementum sicutum à sono.

540. Potius velocitas soni augetur, vel minuitur ex aucta, vel diminuta elasticitate aeris, per quem sonus diffunditur. Nam sonus citius movetur in vallibus, ubi aer densior est, adeoque elasticior, quam in cacuminibus montium præaltissimorum, ubi & minus densus est, & minus elasticus. Præterea sonus celerius aestate, quam hieme movetur, ob aeris elasticitatem calore aequalis esse, tamen fieri potest, ut in majoris spatiis deorsum

333 PHILOSOPHIÆ NATURALIS
curſu nonnihil acceleretur, vel retardetur, propter di-
versos scilicet elasticitatis gradus, qui variis in locis
ſepe occurunt.

541. Quum autem ſoni tanta fit velocitas, ut rapi-
dissimi venti velocitatem plus tricesies ſuperet, mira-
bile videri potest, quare motus aeris ex ſono excitatus
corpora interpoſita etiam ſummæ mobilitatis, ut arbo-
rum frondes, & capillos ſenſibiliter non moveat, quum
tamen eademmet vulgari aeris agitatione ut ut levi,
puta vento leniſſimo, vel flabelli jaſtatione ſubdebiſi,
ſtatiſ concutiantur. Hic primum dici potest ſonum
effe translationem motus tremuli de aere in aerem vi-
cinum abſque ulla loci mutatione, ventum vero effe
translationem aeris de loco in locum. Tum responderi
potest in vento universum aerem moveri, in ſono au-
tem non omnem aerem agitari, ſed certas tantum ipſius
particulas, neque ſemper eadē, ſed pro ſonorū di-
verſitate modo has, modo illas. Itaque quamquam ve-
locitas ſoni multo major fit venti velocitate, tamen
fieri potest ut longe major fit impetus venti ad corpora
oppoſita commovenda, quam ſoni, ob majorem ſcili-
cet aeris quantitatē vento translatam.

542. Nam ſoni eadem fortasse eft natura, quæ lucis,
ut ſupra adnotatum eft; nempe quemadmodum ex ra-
diis lucis quidam rubei ſunt, alii flavi, alii virides, alii
cærulei, alii violacei, iisque ſemper manent rubei, fla-
vi, virides, cærulei, & violacei, ita pariter credendum
eft quasdam aereas ſemper effe certorum tono-
rum, quasdam alias aliorum: cui conſequens eft, ut
undæ excitatae à pulſibus corporum ſonororum minime
amplectantur aerem universum, ſed eas tantum parti-
culas commovere poſſint, quæ tonis pulſum ſunt conſo-
næ, reliquias omnibus, quæ ſunt aliorum tonorum, im-
motis remanentibus. Accedit quod universi aeris maſſa
conflatur ex particulis heterogeneis, ex quibus quæ elas-
tica vi donatae ſunt ad ſoni propagationem ſunt utiles,
quæ vero elasticitate deſtituuntur, ſuapte natura ineptæ
ſunt ad ſonum propagandum, adeoque ſemper manere
debent immobiles.

543. Co...

543. Confirmantur hæc ex phænomenis chordarum, aliorumque corporum sonorum. Nam si duæ sunt chordæ unisonæ, hoc est singulas vibrationes æqualibus temporibus peragentes, agitata una, agitabitur quoque & altera: cuius phænomeni causa est, quod pulsus unius chordæ excitant in aere undas consonas, in quas scilicet agere potuerunt, quæ deinde reagendo in chordam aliam unisonam eam agitant, atque movent. Præterea si duæ sunt chordæ, quarum una bis vibratur, dum altera semel oscillat, agitata priori agitatur quoque posterior, ita tamen ut ea divisa in duas partes æquales, punctum medium, tamquam nodus, quiescat. Neque mirum; nam si cætera maneant eadem, chorda duplo brevior facta oscillationem suam absolvit in tempore duplo etiam breviori. Punctum autem quietis, sive nodus cognoscitur faciendo, ut chorda parvam chartulam trahiat; ea enim omni alio loco motu quodam tremulo adficietur. præterquam in medio, quod idcirco erit punctum quietis. Similiter si duæ sint chordæ, quarum una ter vibratur, dum altera semel oscillat, agitata priori agitabitur quoque & posterior, ita tamen ut ea divisa in tres partes æquales, bina puncta divisionum, tamquam nodi quiescant. Nam si cætera maneant eadem, chorda triplo brevior facta oscillationem suam absolvit in tempore triplo breviori. Et generaliter si duæ sint chordæ, quarum dum posterior semel oscillat, prior vibratur toties, quoties numerus m continet unitatem, agitata priori agitabitur quoque & posterior, ita tamen ut ea divisa in tot partes æquales, quot unitates sunt in numero m , puncta divisionum, quæ designantur per numerum $m-1$, tamquam nodi, quiescant. Nam si cætera maneant eadem, chorda decurtata in ea ratione, quam habet 1 ad m oscillabit in tempore, quod erit ad tempus prius in eadem ratione numeri 1 ad m .

544. Neque tantum chordæ, sed pleraque etiā alia corpora consimilia phænomena edunt. Observavit Rhauleius vitreas fenebras, quando certum tympanum pulsabatur, vehementer concuti, quem tamen eadem quiescerent pulsatis aliis tympanis multo majorem sonum

nitum facientibus. Similiter si duo scyphi vitrei debita aquæ, vel alterius cuiusvis liquoris quantitate infusa facti fuerint consoni, digito alterius oras circumveunte, & premente, aqua in utroque crispabitur, ac saliet. Tremor enim excitatus in uno scypho communicatur primum aeri, tum vero per aerem communicatur alteri scypho consono. Huc fortasse referendus est tremor ille, qui tubæ, aliorumque id genus instrumentorum sonitum exaudientium artus quandoque occupat, atque ad ipsum usque cor videtur pertingere. Boyleus ægrum quemdam memorat manu sinistra truncatum, qui quum majora tormenta exploderentur, contundi sibi penitus, atque communis videbatur. Alium, qui quum ferrum cultro raderetur, urinam retinere non posset. Alium cui, quum charta spissior disperceretur, gingivæ sanguinem mitterent. Quominus mirandum est, si qui venenatarum Tarantularum mortu adfici sunt, quodam harmonico sono excitati, ad choream invitentur, intereaque temporis venenum conquiescat.

545. Recensenda nunc sunt sonitus præcipua phænomena, eorumque causæ indicandæ. Et primo quidem videndum est, unde fiat ut sonitus lentius ad nos perveniat, quam lux; nam exploso procul tormento bellico flammarum pulveris pyrii citius videmus, quam sonitum ejus exaudiamus, quamquam & flamma, & sonitus eodem tempore excitentur. Præterea si è longinquo rusticos in sylvis ligna cædentes intueamur, prius securis iætum conspiciemus, quam iætus fragorem exaudiamus. Ad hæc fulgor multo ante perspicitur, quam tonitru ad aures perveniat; quamquam verisimile sit utraque eodem tempore extitisse. Quorum omnium causæ intelligentur si recordemur lucem propagari per ætherem, qui longe subtilior, longeque elasticior est aere, per quem sonus diffunditur: ex quo non modo illud accidere necesse est, ut lux citius ad nos perveniat, quam sonitus, verum etiam ut ex multo remoto loco lux, quam sonitus ad nos deferatur.

546. Secundo videndum est unde fiat, ut quando inter aures, & corpus sonorum nihil interpositum est,

præter

præter aerem, facilius exaudiamus sonitum, quam si clausum sit corpus sonorum, aut nos etiam circuimdemur ædium parietibus. Nam quum inter aures, & corpus sonorum nihil impedimenti occurrit, fluxus, tremorque aeris corpore sonoro commoti plenior ad nos perveniens, eo vehementius aures concutit, majoremque idcirco sonitum excitat. Contra interpolitis impedimentis, fluxus aeris frangitur; unde consequens est minorem sonitum exaudiri. Asperitas quoque interpolitorum corporum sonitui officit. Nam fragor explosi tormenti ex multo remoto loco exauditur in mari, cujus superficies æquabilis est, quam in terra arboribus, collibus, atque ædificiis veluti alpera. Huc fortasse referendum est, quod quando aer est nebulis præsertim crassioribus obductus, vel etiam quando nive plenus est, qui paullo longius absunt à corpore sonoro, aut sonitum prorsus non exaudiunt, aut multo obtusiore: nebulæ enim crassiores, & nix copiosior non possunt motum aeris non impedire, atque frangere. Sed requiritur ut corpuscula nebularum, atque nivis interposita crassiuscula sint; si enim minutiora sunt, neque multum conferta, fieri poterit, ut sonitui prosint; quemadmodum in supputanda soni velocitate supra adnotatum est.

547. *Tertio* videndum est, quomodo fiat *Echo*, qua voces sonique repetiti ad aures nostras referuntur. Quum sonus in aere extendatur in orbem per undas, quasi à centro ad circumferentiam, siquidem is incidat in obicem aliquem durum, necessario in partem contrariam aliquatenus reflegetur. Quapropter aer eodem in loco, ubi prius tremuerat, & jam duqum fortasse tremere cessavit de integro contremiscet, sonusq; idcirco ibi iterum exaudietur. Et quoniam fieri potest, ut plura ad sint corpora inæqualibus intervallis ita collocata, ut singula sonum repercutere valeant, non mirum est si *Echo* unam eamdemque vocem sèpius interdum repeatat. Hujusmodi vocum repetitjones contingunt post intervalla temporum ipsis obicem distantias proportionalia: scilicet si duo obices collocati sint ad intervalla,

quaæ

quæ sunt in ratione dupla , *Echo* sonum bis repetet non quidem eodem temporis articulo , sed temporum intervallis , quæ etiam erunt in ratione dupla; quam observationem adhibuerunt *Physici* ad ostendendum , quod motus soni esset æquabilis . Refleætitur autem sonus iisdem fere legibus , quibus cætera corpora elæstica refleætuntur , hoc est ita ut angulus reflexionis sit ferme æqualis angulo incidentiæ . Itaque si vox loquentis incidat oblique in obicem , quia ea refleætitur versus plagam omnino diversam , impossibile erit ut loquens vocem repercussam exaudiatur , quamquam alii non longo intervallo ab ipso remoti ejus sono adficiantur.

548. Neque vero dubitandum est , quin *Echo* oriantur ex soni reflexione ; nam in locis apertis , præcipue vero in medio mari , ubi nulli proßsus obices occurunt ad refleætendum aeris motum accommodati , numquam *Echo* exauditur . Contra vero inter ruderâ antiquorum mænium , in tylvis , in vallibus , in templis , in puteis , quibus in locis sonus refleæti potest , *Echo* accedit . Quod si domi in cubiculo *Echo* non exauditur , id vel proximitati adtribuendum est , qua sit ut sonus reflexus quasi eodem tempore cum sono directo ad aures convellen das perveniat , adeoque alter ab altero distingui ritè nequeat , aut etiam suppelleteli , qua ipsum cubiculum instrutum est , quæque soni reflexi motum confringit , atque disperdit . Nam & in cubiculis quando spoliata sunt , *Echo* , quamquam subdebilis , exauditur , præsertim si illa fuerint paullo majora ; & in templo multo major sit *Echo* , quando vacuum , quam quando auditoribus refertum est .

549. Quapropter ut *Echo* exaudiatur , necesse est obicem procul abesse , ut scilicet inter sonum reflexum , & directum adsit aliquod temporis discrimen . Ubi notandum est , quo quis proprius fuerit (sed in ea tamen distantia , unde vox directa à reflexa descendatur) eo pauciores syllabas distincte referri ; quo remotius eo plures : quoniam temporis intervallum iter cessationem loquentis , & perceptionem vocis reflexæ in priore casu minus , in posteriore majus est : ex quo illud paucioribus hoc plu-

pluribus syllabis interstinguendis satis est. Hinc nihil inirum est interdum referri hexametrum integrum; sed oportet nempe vocem esse robustam, ut ex magna distantia, qualis est necessaria, adpellere in corpus reflectens, & inde redire valeat: observatumque est redditus aliquando esse plures tubæ sonos, quam syllabæ ad hexametrum carmen necessariæ fuissent, si illo potuisset humana vox pervenire ex eodem loco.

550. Hic non alienum est de singulari quadam *Echo* verba facere, de qua loquuntur *Commentarii Regiae scientiarum Academiae Parisiensis*. In quadam oppido *Galliae* (*Verdun*) binæ dicuntur esse turres quinquaginta ferme pedum intervallo renotæ, inter quas si quis vehementius clamat, clamorem alternis ex duabus turribus percussum duodecies exaudit post temporum æqualia intervalla. Cujus phænomeni causa est, quod sonus percussus ab una turri reflectitur iterum ab alia turri versus priorem, à qua denuo reflectitur versus illam, atque sic deinceps per vices, usque donec omnino extinguitur: unde soni multiplicatio exoritur. Quod autem exaudiatur post æqualia temporis intervalla, id quidem sit à soni æquabili motu. Sed ut phænomenon contingat, necesse est clamante in inter duas turres versari, ad hoc scilicet ut clamor percussus ab una turri pergere possit ad turrim oppositam. Itaque si is extra lineam turres conjungentem versetur, *Echo* non fiet. Cæterum hujusmodi vocum percussionses adsimilari quodammodo possunt reflexionibus luminis, quæ super politis speculorum superficiebus contingunt; phænomena enim paria sunt, ratio autem est eadem. Nam objecta ante speculum convenienter collocata bis conspiciuntur, semel directo, iterum per reflexionem fastam in speculo. Et si plura sint specula apte collocata, plures etiam ejusdem objecti imagines conspiciuntur. Denique si inter duo specula non parallela versetur spectator, is objecti imaginem propter repetitas reflexiones multiplicari non sine admiratione videbit.

551. Cæterum sonitus interdum per ipsa corpora solida continuatur. Nam pulsata campanula intra ma-

chinam pneumaticam , ex qua aer eductus non sit, auditur sonus, quamquam machina sit accuratissime clausa : hoc est licet aer internus à campanula agitatus nullam cum aere externo communicationem habeat . Hic dicendum est aeris interni tremorem primo transferri in vitrum , tum de vitro in aerem externum transire . Interdum etiam exauditus est sonus campanulae, etiam si nullus in machina pneumatica aer relietus esset; tuncq; credibile est tremorem campanulae communicatum primo fuisse filo æneo, quo campanula sublinetur, qui que externum aerem tangit , deinde ex eo in ipsum aerem externum transisse . Ex quo intelligi potest unde accidat, ut, si quis in loco fornice teat, & lævi pariete cincto loquatur ad parietem conversus voce submissa , ea vox exaudiatur in opposita loci parte ab eo, qui aurem parieti admovet , quum tamen vox illa è media parte illius loci non exaudiatur . Scilicet vel motus aeris per lævitatem parietis , & fornícis facile labitur , & ad oppositam usque partem conservatur , in medio autem spatio ita est tenuis, ut animadverti nequeat, quemadmodum nonnulli arbitrantur : aut potius , quod verisimilius videtur , motus quidam tremulus excitatur in ipso parietis cortice , qui lumbulans late serpit ac diffunditur, adque parietis partem oppositam pertingit.

C A P U T D E C I M U M .

De Corporibus odoris, corumque præcipuis phænomenis.

552. Inquirendum tertio est in corpora odorifera , quæ scilicet odoris sensum excitare valent. Ad odores quod attinet, corporum naturalium *triplex* est genus . Quædam enim actu odorifera sunt, ut flores, muscus, spiritus vini, aliaque innumera. Quædam alia potentia sunt odorifera, hoc est sponte sua nullum odorem emittunt, sed odora evadunt quum uruntur , aut quum vehementius fricantur . Veluti cera , qua obsignantur

gnantur litteræ, odorem emittit, quando inflammatur, qui odor antea non deprehendebatur in ipsa. Sic etiam quum ferrum ferro, vitrum vitro, silex silice diu, & celeriter fricatur, odor aliquis ex iis elabitur, qui antea nullus erat. Præterea ex duobus corporibus coimixtis, quorum utrumque inodorum sit, odor interdum elicetur: nam calce viva, & sale ammoniaco, quæ inodora sunt, simul contritis, excitatur oder valde urinosus. Præterea camphora in oleo vitrioli dissoluta inodora est; admixta autem aqua, quæ etiam est inodora, gravem, ut solet, illico odorem emitit. Denique adiunt corpora, quæ & aëtu, & potentia inodora sunt, quo in numero haberí debent aer, & aqua, quæ omni prorsus odore destituuntur; & si quandoque odorem aliquem expirant, odor ille magis corporibus heterogeneis in aqua, vel aere dissolutis, quam ipsi aquæ, vel aeri adtribuendus est.

553. Putant Philosophi phænomena odorum explicari posse hac positione; nimirum ex corporibus odoris elabi tenuissima corpuscula, quæ per aerem volitantia respiratione simul cum aere in nares adducuntur, quarum interiorem partem subeundo nervos olfactarios commovent. Rectissime: nam ut odorem sentiamus non modo oportet adeste corpus odorum, aut id naribus admoveri, sed necesse est quoque naso aerem in pulmones adduci. Si enim aliquando animam reciprocare desistamus, aut etiam si nares catharro obturatæ sint, vel si clausis naribus spiritum solo ore trahamus, nihil olfacimus. Sed quoniam demonstratum est aquam, & aerem odoris omnino esse expertia, quamquam ex iis halitus quidam, sive corpuscula tenuissima jugiter elabantur, dicendum est non ex quibusvis effluviis odores excitari posse, sed requiri, ut ea sint certæ, & determinatae naturæ.

554. Quamquam autem verissimam horum effluviorum odoriferorum constitutionem divinare difficile sit, putaverim tamen odores excitari in nobis ab effluviis *salino-sulphureis* subtilissimis, & volatilioribus; quæ effluvia vel ex calore, vel ex motu aeris, vel fri-

cando , vel alia quavis de causa ex corporibus odoriferis egredientia ad olfactiorios nervos percellendos una cum aere deferuntur . Et quidem si ea , pro sua figura , & textura , nares blande titillent , odoris gratissimi , fragrantissimique sensatio excitabitur ; si vero asperius friant , ac lacerent , excitabitur sensus odoris molestissimi , tetrostomique . Nam omnis odorum differentia repetenda est ab effluviorum diversitate , in quibus inagnitudo , figura , soliditas , & motus consideranda sunt.

555. Et quoniam odores non excitantur , nisi effluvia exspirent ex corporibus odoris , videndum est quæ sit causa hujus exspirationis . Eam statuimus esse motum tum intrinsecum , uti fermentationem , putredinem , aliquamque quamvis corruptionem , quum extrinsecum ut aerem , ignem , fricationem , & calorem . Quapropter mirum esse non debet si aer calidior quædam corpora magis odora reddat ; aer enim calidior auget emissionem effluviorum . Excipiendum tamen est si calor nimium resolvat , atque attenuet particulas salino-sulphureas , à quibus odorum sensationem excitari vidimus : etenim ad odores sentiendos determinata effluviorum magnitudo , atque figura postulatur : quod si ea paullo subtiliora evaserint , jam ad nervos olfactios tactu adficiendos erunt inepta . Sic violæ nocturnæ , flores Leucoji , ac tuberosæ diurno tempore , radiisque solaribus præsentibus parum , aut nihil fragantiæ exspirant ; contra tempore nocturno gratissime olent . Nam ab igne solari effluvia memoratorum florum , quæ ex se subtilissima sunt , usque eo attenuantur , ac resolvuntur , ut percipi nequeant ; at vero tempore vespertivo illa à frigore magis condensantur , adeoque adquirunt magnitudinem ad commovendos narium nervos necessariam .

556. Mirum etiam esse non debet , si quedam corpora dura nullum odorem sua sponte emittant , at vero friant odora , si urantur , aut vehementius fricentur : nam ex hujusmodi corporibus nullæ particulæ sua sponte elabuntur , propter earum gravitatem , & soliditatem ; at post vehementem frictionem magna vis particula-

rum ,

rum, præcipue sulphurearum, divellitur ex ipsis, quæ late per aerem volitantes nares nostras ingrediuntur. Idem fit unctione, qua manifestum est partes corporum divelli, lateque per aerem spargi. Sic succinum attritum panno aspero, item lacca *Hispanica* attrita gratissimum spirant odorem. Sic etiam duo tubuli attriti in loco obscuro non modo lucent, sed odorem spirant sati sætentem, & sulphureum. Denique suffimigia quid aliud sunt, quam effluvia copiosiora ex corporibus in ignem conjectis emanantia?

557. Adsunt corpora, in quibus odor labente tempore mutatur vel ex gravi in jucundum, vel ex jucundo in gravem. Sic muscus Castori detraetus, qui prius odore summopere offendit, per aliquot dies ardenti soli expositus odorem longe gratissimum emitit. Sic etiam inflammabilis spiritus vini, & oleum Dantzici vitrioli æqua portione commixta, ac digesta & deinde distillata spiritum primo dant penetrabilem, & jucundissimi odoris; si deinde, si in ampulla obturata adservetur, brevi in graveolentiam allii degenerat. Adsunt præterea corpora, quæ labente tempore desinunt olere; veluti flores plerique odorati, si exsiccantur, nullum, aut tenuem odorem emittunt: Cadavera etiam animalium soli exposita primo teterrime foetent, deinde ita exsiccantur, ut omni odore careant. Quorum causæ ex principiis supra positis intelligentur, si animadvertiscas quandoque nonnullas mutationes contingere effluviis odoriferis, ex qua odorum quoque mutatio proficiatur necesse est; quandoque vero ob continuam emissiōnem effluviorum penitus exhausti particulas odoriferas, ex quo odorum intermissio ortum dicit.

558. Ex iis, quæ de corporum odororum natura digita sunt, inferre licet ea paulatim deteri, ac extenuari, seu de pondere suo aliquid in dies deperdere debere: nam demonstratum est odores non excitari, nisi per effluvia quædam à corporibus egredieuntia, quæ idcirco eorum pondus minuere debent. Et sane adsunt corpora odorata, quæ dum odorem emittunt, manifesto minuuntur. Hujusmodi sunt ea, quæ calefacienda sunt,

ut effluvia odorata ex iis emanare possint; fumus enim conspicuus ex iis exit, & pondus etiam minui libra deprehenditur. Flores etiam, & herbæ, quæ recentes magnum odorem, exsiccatæ multo minorem habent; amissio odore, amittunt etiam & pondus: quamquam in his jaætura ponderis adtribuenda sit potius humoris evaporationi. Sed sunt alia corpora odorata, quæ longo post tempore ad sensum non imminuuntur, qualia sunt, quæ sive calore adventitio odorem exspirant, ut inuscus, & odor Gibettæ. Hærent hic Philosophi: & quamquam ejus rei causa corpusculorum emissorum tenuitati non incommodè attribui posse videatur, in alia tamen causa investiganda satagunt. Plerique in eo conveniunt corpuscula emissæ circa corpus odoratum diutius volitare, & organum olfactus sæpius adficere posse. Alii eo devenere, ut dicerent corpuscula ista non semper corporis odorati partes, sed materiæ subtilis grumulos esse in occultis illius meatibus, tamquam in formis quibusdam, concretos, & diversis figuris variatos. Nos priorem sententiam veriorem putamus: eo magis quod argumento non dissimili usi supra sumus ad immensam partium materiæ subtilitatem adstruendam.

C A P U T U L T I M U M.

De Corporibus sapidis, eorumque præcipuis phænomenis.

559. **I**nquirendum denique est in corpora sapida, quæ scilicet saporis sensum excitare valent. Ad saporem quod attinet, corporum naturalium *triplex* etiam est genus. Quædam enim aëtu sunt sapida, ut fructus jam maturi, saccharum, salesque cæteri. Quædam alia potentia sunt sapida, hoc est sponte sua dulcem saporem excitant, sed sapida evadunt, quum dissolvuntur: veluti metalla, quum in pulverem tenuem ope aquæ fortis, vel regalis soluta sunt, contrahunt saporem acutissimum. Denique adsunt corpora, quæ & aëtu

Quæ, & potentia insipida sunt, quo in numero haberi debent aer, & aqua, quæ omni prorsus sapore destituantur, quamdiu pura manent. Et si quandoque saporem aliquem contraxisse videntur, sapor ille magis corporibus heterogeneis, puta salibus in aqua vel aere dissolutis, quam ipsi aquæ, vel aeri adtribuendus est.

560. Putant Philosophi phænomena saporum explicari posse hac positione: nimicrum ex corporibus sapidis linguae admotis dissolvi à saliva tenuissima quædam corpuscula, quæ pro varietate figuræ, qua constant, nervos linguae varie pungunt, unde magna saporum varietas nascitur. Rectissime: nam sapores enim, hoc est per effluvia numquam percipimus; sed necesse est corpora sapida linguae admoveri: itaque quum saliva ea humefaciat, necesse est ut subtiliores eorum particulæ dissolvantur, non aliter atque sales in aquam injecti dissolvuntur. Sed quoniam demonstratum est aquam & aerem saporis omnino esse expertia, quamquam ea in lingue nervos agere non delitant, dicendum est non ex quibusvis corpusculis sapore excitari posse, sed postulari, ut ea sint certæ, atque determinatae naturæ.

561. Quamquam autem verissimam horum corpusculorum lapidorum constitutionem divinare difficile sit, putaverim tamen sapores excitari in nobis à particulis *salinis*, quæ omnium fere corporum particulis admista sunt. Videmus enī aquam insipidam mistura salis sapidam fieri; qua mistura non mutatur figura particularum aquæ, sed ei adduntur partes salinæ, quæ linguam pungunt. Contra ut aqua salsa fiat dulcis nulla alia re opus est, nisi separatione salis, & aquæ; quæ separatio obtinetur destillatione, qua particulæ aqueæ in vapores aguntur, salinæ autem manent in fundo vasis.

562. Quemadmodum autem sapores à salibus, ita saporum diversitas à diversa, ac determinata mole, atque figura salium repetenda est. Nam particularum salinarum quædam sunt angulosæ, sive cuneiformes, quædam oblongæ, aliæ acutæ, aliæ hirsutæ, aliæ hamatæ, aliæ glabræ, aliæ rigidæ, aliæ molles, aliæ ma-

jores, aliæ iniores, aliæ alterius constitutionis; quæ quo magis sunt acutæ, rigidæ, & asperæ eo magis pungendo, & lacerando linguam dolore adficiunt; quo magis sunt glabrae, flexibiles, molles, & ad rotunditatem inclinatae, eo magis titillant.

563. Quibus præmissis, phænomena saporum præcipua breviter hic discutienda sunt. Et primo quum sal sit in rebus causa saporum præcipua, hoc est quum sapores, quos, rebus linguae admotis, sentimus orientur ex eo, quod corpuscula, ex quibus sal contextur, se se sic in gustatus organum inferant, ut pro analogia, comenlurationeque, quam cum eo habent, ipsum moveant, intelligimus quare nulla sint corpora sapida, ex quibus salem extrahere non detur, nullaq; insipida, quæ, commixto sale, sapida non fiant. Intelligimus præterea quare extracto ex corporibus sapidis omni sale, ea redundantur insipida. Rursus intelligimus quare nihil redatur gustabile, nisi aut humidum sit, ac proinde salem exolutum concipere potuerit, aut humore penetretur, quo sal intermixtus exolvi, & cum humore exprimi possit, ac se se in ipsum gustatus organum inferre. Hac certe de causa concessa est linguae sua specialis humiditas, ut sit unde res sicciores humectet, & salem, qui est in ipsis educere valeat, ac in se ipsam inducere. Id porro *Lucretius*, adjuncta spongiae similitudine, perquam eleganter declarat.

*Principio succum sentimus in ore, cibum quum
Mandendo exprimimus, ceu plenam spongiam aquar.
Si quis forte manu premere, exiccareque capit.
Id quod exprimimus, per caulas omne palati
Diditur, & raræ per plexa foramina liuua.*

564. At quare linguae humor est falsus? Neinpe quia seu ex lingua is exudet, seu exprimatur ex cerebro, devehit secum nonnihil salis ex iis partibus, quas permanet; qua ratione & urina quoque, & sudor tunc falsedimente non sunt. Interea vero sal linguae hærens id commodi præstat, ut aquam puram, quæ ex se, uti diximus, insipida est, apparandis vero saporibus, dum salem, qui in rebus est exolvit, conduceat, efficere sapidam possit, atque

que idcirco expetendam si stomachus ea indiguerit; argumentoque est, quod aqua tanto sit sapidior, & dulcior, quanto lingua fuerit aridior, seu habuerit minus humoris, & amplius salis, quod exolutum lenius afficiat.

565. Id me admonet, ne intaetam Aristotelis sententiam hic præteream, quæ videlicet statuit aquam, quum ex sua natura insipida sit, ubi nihilominus quidpiam siccum, & terreum quasi percolatum in ea fuerit, accesseritque aliunde calor talem mixturam concoquens, fieri saporum generationum. Profecto enim est aqua quidem ad saporum generationem necessaria, at terreum non est, quod per eam diluitur, nisi id interperetreris salem esse. Quod Aristoteles vero exigit calorem, atque decoctionem, ostendit respxisse illum fortasse ad ea solum, in quibus est humoris copia, & raritas salis, quæque idcirco calore egent, quo aqua exhaletur, & saltreibius intersitus gustatum movere vehementius possit: ut fieri videmus in juscule ad ollam excocto, in fructibus, quæ maturescant, ac id genus alii. Cæterum enim sine calore, & ex sola ipsorum salium tam inter se, quam cum aqua, variisque rebus commixtione sapore diversimode creari manifestum est.

566. Memoravi autem hic commixtionem salium tum inter se, tum cum aliis rebus, ut innuerem unde oriri possit tanta saporum varietas, quorum habemus ipsos coquos authores. Quippe quum variari non possit commixtio, quin organum varie adficiatur, & mira sit aliunde, quum salium varietas (præter commune enim est nitrum, ammoniacum, saccharum, alumen, innumeraque alia etiam plantarum, animalium, cæterarumque rerum, de quibus suo loco agendum erit) tum rerum mistilium, quæ salium corpuscula rariora, aut crebriora faciant, ipsorumque facieculas, aut angulos varie obtegant, revelent, commutent; ut præteam aliquam saporum diversitatem nasci etiam ex varietate organorum. Cujus quidem rei manifestam conjecturam capere vel ex eo licet, quod in eodem homine, quotiescumque vel per ætatem, vel occasione morbi organi temperies, seu textura immutatur, eadem res
adpa-

adparet mutati saporis, in qua mutatum tamen nihil est. Adfert *Lucretius* exemplum febrentis, quem in sum non sit amara judicare ea, quæ sanus dulcia judicat, & dulcia, quæ amara, quod propter mutatam organi texturam ea corpuscula, quæ prius accommodabantur, nunc non congruant, organumque proinde la-cerent, & quæ prius non congruebant, nunc accommo-dentur, organumque demulceant.

*Quippe ubi quo fabris bili superante coorta est,
Aut alia ratione aliqua est vis excita morbi
Perturbatur ibi totum jam corpus, & omnes
Commutansur ibi positus principiorum:
Fit prius ad sensum, ut quæ corpora conveniebant
Nunc non convenient, & cætera sine magis apta,
Quæ penetrata queunt sensum progignere acerbum.*

§67. Notum est cibos calidos sapidiores esse frigi-dis, & coctos alium saporem habere, quam crudos; cu-jus phænomeni causa est, quod particulae salinæ cibis intermixtae non possunt agitari, quin aptiores fiant concutiendis linguae nervis. Contra vero particulae sa-linæ quum quiescunt, aut minus moventur, saliva so-lutæ minus nervos movent. Cibi vero cocti idcirco alio sapore prædicti sunt, quia coctione, qua ciborum partes divelluntur, magis, quam quin crudii erant, expediun-tur salinæ particulae impedimentis, quæ aliquin ob-stant, quominus linguam ferire queant. Addi potest ignem figuras corpusculorum salinorum immutare, ex qua immutatione savorum quoque immutatio conse-quatur necesse est.

§68. Hactenus qualitates exposui, quibus sensus oculorum, aurium, narium, & linguae adiciuntur; quæ quamquam non viderentur posse, nisi ex organis, facultatibusque præpositis intelligi, non poterant ta-men ea, quæ de organis, facultatibusque dicenda erant, intelligi, nisi ex ante declaratis objectis. Itaque sat ha-bentes hic dicere nervos organorum concuti a particu-lis lucidis, sonoris, odoriferis, vel sapidis, organorum expositionem delegavimus ad eam *Libri III. Sectionem*, qua corporis humani struduram persequi constituimus,

Id

Id fuit *Plato* quoque fateri coactus, subjiciens non posse de utrisque tractationem simul institui, sed vel hæc, vel illa esse supponenda.

SECTIO QUARTA.

De Qualitatibus, quæ pertinent ad sensum Tactus.

569. **S**uperiori Sectione qualitates persequuti sumus, quæ pertinent ad sensus oculorum, aurium, narium, & linguæ, scilicet lumen, colores, sonos, odores, atque sapores. Institutæ nunc tractationis ordo postulat, ut de qualitatibus reliquis, quæ scilicet ad tactum referuntur, hac novissima Sectione disputemus. Hujusmodi qualitates in eo, uti supra demonstratum est, convenient, quod nulla extet pars corporis nostri, in quam ipse agere nequeant; quum tamen qualitates hactenus explicatae sedes habeant certas, lumen scilicet, & colores in oculis, soni in auribus, odores in naribus, sapores autem in lingua. Cujus quidem dives etatis causa petenda est partim ex ipsorum organorum constructione diversa, partim quoque à minima cum particularum, quæ organa commovent, magnitudine, figura, atque mobilitate.

570. Primo enim dubitari vix potest, quin alia ratione constructi sint oculi, alia aures, alia nares, alia deinde lingua. Præterea inter particulas lucis, soni, odorum, atque saporum immanis diversitas effingenda est, quam diversitatem quamquam oculis videre nequeamus, ratione tamen adsequi quodammodo possimus. Credibile autem est particulas lucis primas in subtilitate, ac mobilitate obtinere: has excipere particulas soni: deinde subsequi particulas odorum; novissimo loco esse particulas saporum. Quominus mirandum est, si lux ad commovendos oculos idonea quidem sit, at vero ad commovendas aures, vel nares, vel lingua in omnino sit inepta; ad quæ tamen organa per-

cel.

cellenda soni, vel odores, vel sapores utiles sunt. Tactus etiam suas habet proprias qualitates, quia ejus structura diuersa est à reliquis organis sensuum. Id in eo est singulare, quod per universum prope corpus diffunditur: unde qualitates, quæ spectant ad sensum tactus, omnes pene corporis partes commovent, atque percipiunt. Quamquam autem tactus in innumeris qualitatibus jus habeat, & potestatem, præcipue tamen loco habendæ sunt calor, frigus, durities, fluiditas, elasticitas, rigiditas, gravitas, atque levitas, namque ex his reliquarum explicatio dependet. Itaque has tantum qualitates hic persequemur; quibus tamen subjungeimus nonnulla de qualitatibus, quæ occultæ habentur apud Physicos.

C A P U T P R I M U M.

De Calore, & Frigore, ubi de Thermoscopiis.

571. **A**d caloris, frigorisque naturam investigandum hæc duo in ipso vestibulo animadvertenda esse videntur. **P**rimum corporum naturalium quædam suapte natura calida esse, ut ignem, flammarum, & solem, quædam alia suopre ingenio esse frigida, ut glaciem, nivem, aquam, marmor, aliaque innumera. **S**ecundum nulla esse corpora adeo frigida, quæ igni admota, vel solaribus radiis objecta calorem concipere nequeant. **Q**uibus animadvertis statuimus omnem calorem generaliter motu quodam contineri: calor enim semper cum quodam motu conjunctus est, quo sublato, aut posito, tollitur illico, vel ponitur calor; quo itidem aucto, vel imminuto, augetur quoque, vel diminuitur calor. Et sane in igne, in flamma, in radiis solaribus, in liquoribus fervidis, in omnibus denique corporibus, quæ calida videntur, motio quædam conspicitur, atque ubi major est motus, calor quoque vegetior est. Contra in glacie, in nive, aqua, marmore, & cæteris corporibus

bus suapte natura frigidis nihil motus percipitur ; ea-
que si aliquando calorem concipiunt, non sine motione-
illum adquirere censenda sunt.

572. Quum itaque omnia corpora calida convenienter
in motu, (qui quidem motus in flamma, in igne, in li-
quoribus fervidis, in metallis liquefcentibus est illu-
strior, in aliis vero corporibus est minus manifestus) re-
ste, ni fallor, caloris genericā natura in motu reponen-
da est. Videndum modo quānam sit motio propria ca-
loris: quamquam enim motus numquam à calore sit se-
gregatus, tamen cum motu non semper calor conjungi-
tur. Itaque caloris naturam specialiter reponimus in:
motu expansivo, celeri, perturbato, & vibranti partium
insensibilium. Primo enim caloris motum esse expan-
sivum, ex dissipatione corporum inflammatorum, ex
fervidis liquoribus, ex spiritu vini, qui in Thermome-
tris, de quibus postea, caloris vi dilatatur, facile colligimur. Secundo motum illum esse perturbatum, & ce-
lerem, & partium insensibilium ex flamma ipsa, & fer-
vidis liquoribus sit manifestum. Denique eundem mo-
tum esse vibrantem ex eo colligi potest, quod corpora
omnia fixa, quām sunt ultra certum gradum calefacta
emittunt lumen, & splendent; lumen autem ex motu
partium vibranti excitari supra demonstratum est.

573. Comporta caloris natura, facile erit phæno-
menon omnium rationem reddere: Et primo intelligi-
tur quare in rotarum circumvolutionibus ferrum, quo
rotæ cinguntur minime incandescat, quum tamen mo-
dius, sive pars illa, quæ est prope centrum ita incandescat,
ut quandoque ignem concipiatur. Quamquam enim rotæ
partes externæ velocius incedant (majorem enim orbitam
describunt) partes vero, quæ sunt prope centrum
minus velociter ferantur, attamen priores in se invicem
non agitantur, & commoventur, ut posteriores: modii
enim particulae perpetua axis frictione divellantur ne-
cessere est. Itaque quām insensibilium partium agitatio,
non totius corporis motus calorem procreet, non mi-
serum est si in medio magnus calor excitetur, in circum-
ferentia vero rotæ vel nullus, vel paucis insensibilis.

Acce-

Accedit quod partes modii semper tanguntur, ac confricantur ab axe, quum tamen circumferentiæ rotæ nunc partes unæ, nunc partes aliæ Terram concutiant, atque premant.

574. Secundo intelligitur unde fiat, ut clavus, dum malleo in lignum adigitur, non ita incalescat, atque, quum jam adactus est, concunditur. Etenim quum clavus subit lignum motus in totum clavum transfertur, neque illa fit partium ipsius agitatio; adeoque omnis calor absit oportet. Sed ubi clavus totus subit lignum, caput autem repetitis mallei ictibus planius fit, alias partes ad aliarum latera vi ictuum recedunt, quod non fit sine mutuo partium ferri conflictu, atque exagitatione, unde calor exoritur.

575. Tertio intelligitur unde fiat, ut ferrum dum limatur incalescat, quum tamen lima calorem nullum concipiat. Scilicet dentibus limæ vehementer concutiuntur particulæ laminæ ferreæ, & quum lima semper eamdem ferri partem adterat, non iisdem dentibus hoc efficit; nam juxta longitudinem movetur, varieque ejus dentes vicibus laminam ferream terunt. Inde fit ut ferrum incalescat, dum nullus, aut valde tenuis in lima deprehenditur calor. Sed quare æs, vel plumbum lima adtritum non incalescit, vel saltem minus incalescit quam ferrum; nempe quia partes æris, vel plumbi moliores sunt, neque adeo rigidæ, ac contumaces, atque in ferro. Unde abrasio particulis aliæ succedunt, neque easdem partes lima sèpius commovet. Atque hoc responsum confirmatur alio experimento; si enim lima obtusa, aut ferro lœvi adgrediamur terere plumbum, aut æs, hæc calefieri, perinde ac ferrum comperiemus, quia tunc eadem particulæ sèpius agitantur, ac contensus, antequam evellantur.

576. Quarto intelligimus quare serra, qua lignum finditur, incalescat, lignum non item, nisi sit durissimum. Quum enim serra utrinque ligno urgeatur, non potest in arcta rima agitari, quin particulæ ejus vehementer commoveantur, atque agitantur, indeque incalescant. Sed lignum fissum minime incalescit, quia ejus par-

particulae statim divelluntur, neque satis resistunt. Cui consequens est lignum incalescere debere, quum est du-
rissimum: nam tunc serra lente progreditur, easdem-
que partes diutius fricat. Inde sit pariter, ut tunc tem-
poris lignum odorem emittat, qualis est is, qui quum
comburitur, nares nostras ferit.

577. Pari felicitate explicantur cætera phæno-
na, quæ circa calorem passim observantur. Semper
enim demonstrabitur motionem partium insensibilium
factam ibi esse, ubi calorem percipimus: contra ostendemus vel nullum prorsus motum, vel non illum, qui
procreando calor sit aptus, ibi factum esse ubi nullus
calor persentitur. Veluti non mirum esse debet, si aer
tenui filo ore vibratus, frigidior est, patulo vero ore
erumpens est calidior; nam ore contracto expellitur
aer celeri quidem motu, sed directo; contra ore aper-
to particulæ aeris in se invicem agitantur, & commo-
ventur, qui motus calori excitando est idoneus. Non
mirum quoque est, si globus tormento majore, aut sclo-
peto emissus quamquam celerrime motus non incale-
scat, quum ea, quæ perforat, non comburatur: non enim
in rapiditate, qua totum quodpiam corpus movetur,
situs est calor, sed in vario particularum ejus motu.
Itaque quamquam globus tormento excussus celerrime
moveatur, si totam ejus massam spectemus, attamen
singulæ particulae inter se non agitantur.

578. Dicendum est modo de majori, vel minori ca-
loris efficacia: constat enim caloris varios esse gradus,
qui duabus ex causis induci possunt, scilicet vel à sub-
iecto, quod calorem excepit, vel à motione, unde calor
ipse ortum habet. Quum enim ad sentiendum calorem
necessæ sit particulas, quibus constat corpus nostrum,
ita agitari à particulis corporis calidi, quemadmodum
cædemmet particulae agitatæ sunt, profecto pro majori,
vel minori particularum indumento, sive impetu inten-
sior etiam, vel remissior calor excitabitur in nobis.
Inde quoniam momentum, sive impetus particularum
corporis calidi oritur tum ab ipsarum particularum
majori, vel minori soliditate, quum à velocitate, cum
qua

352 PHILOSOPHIÆ NATURALIS
qua feruntur, inde fit ut caloris major, vel minor effi-
cacia ab iisdem causis dependeat.

579. Quocirca quærentibus quare ferrum candens calidius sit, quam flamma, cuius motus rapidior est; (constat enim ferrum candens gravius urere, quam flammam) respondendum est ex duobus corporibus, quorum particulae diversis velocitatibus agitantur, tunc id, quod celeriore motu agitatur, vehementius combus-
tum, quando cætera paria sunt, hoc est quando par-
ticulae eorum componentes sunt æque solidæ, & crassæ;
si enim inæqualem habeant soliditatem, & crassitatem,
fieri poterit, ut solidiores, & crassiores quamquam mi-
nus agitatae, gravius tamen comburant. Inde etiam fit,
ut non omnes flammæ æque sint calidæ, quamquam
sint æque rapidæ: nam flamma paleæ non tam calet,
quam flamma quercus; neque hæc tam calet, quam
flamma carbonis lapidei. Particulae enim palearum,
quæ flammam, quam emittunt, alunt non æquante soliditate particulas querentes, neque particulae querentes
lapideas. Itaque necesse est flammarum vehementiorem esse, pro ut solidioribus, & crassioribus partibus con-
stat. Hinc videmus fabros ferrarios, ut ferrum cudant,
lapideo potius, quam alio quovis carbone uti; quia fer-
rum magis ea, quam alia quavis flamma adficitur.

580. Ex quibus sequitur caloris viam augeri posse
vel ex densitate materiæ, cui calor adhaerescit, vel
etiam ex velocitate, qua carent particulae corporis calidi; usque adeo ut data velocitate calor sit ut densitas;
data vero densitate calor sit ut velocitas, neutra vero
data calor sit ut densitas, & velocitas conjunctim. At cur
aquaæ ad ignem ebullientis calor non augetur in im-
mensum, sed suum habet limitem, quem superare non
potest? Scilicet agitatio particularum ignis determina-
ta est, à qua quum dependeat agitatio particularum
aquaæ, fieri quidem potest, ut ejus particulae adipiscantur
velocitatem æqualem velocitati particularum ignis, at
vero ut concipient majorem velocitatem, id quidem
impossibile est: unde sequitur æstum aquæ ebullientis
determinatum esse debere. Sed quoniam densitas aquæ
major

major est densitate flammæ, non mirum esse debet si usus facta ab aqua ebulliente longe savor sit, quam usus ipsius flammæ.

§81. Cæterum calor externus relationem quamdam habet ad sensum corporis nostri, in quo numquam non ineat aliquid caloris vitalis: particulæ enim, ex quibus caro constat, semper aliquo motu agitantur, adeoque aliquantulum semper calent. Itaque quum manibus corpus aliquod contrectamus, in quo adeat aliqua agitatio calori excitando idonea, non semper necesse est caloris sensatione nos adfici: quum enim tria possint contingere I. ut agitatio corporis nostri minor sit agitatione particularum corporis, quod in manibus versatur: II. ut sit æqualis: & III. denique ut sit minor; si quidem primum contingat, corpus videbitur calidum; nonnihil enim agitationis superadditur particulis nostræ carnis ex contactu corporis calidi; si secundum, accidat corpus neque calidum, neque frigidum videbitur; sensus enim noster nullam mutationem patitur ex corporis contactu; denique si tertium eveniat, corpus frigidum videbitur, scilicet quia nonnihil agitationis detrahitur sensui nostro, atque in particulas corporis calidi transfertur. Cui consequens est sensationem caloris eo esse potentiorum, quo minor est agitatio corporis nostri præ agitatione particularum corporis calidi; sensationem vero frigoris eo esse vehementiorem, quo major est agitatio corporis nostri præ agitatione partium corporis calidi.

§82. Qorum omnium veritas potest ex sequentibus observationibus confirmari. *Prima*, cui manus vehementer calent, is ipsam aquam tepidam frigidam experitur; aquam vero frigidam ut frigidissimam sentit. *Secunda*, cui manus vehementer frigent, is tepidam aquam calidam experitur, calidam vero ut calidissimam sentit. Itaque eadem aqua tepida eodem tempore videri debet frigida iis, quibus manus vehementer calent, calida vero iis, quibus manus vehementer frigent; quin immo ea videatur necesse est calida, & frigida simul eidem homini, cui altera manus vehementer calleat, altera autem vehementer frigeat. *Tertia*, quam-

Z quam

quam certissimum sit aquas puteales frigidiores esse hieme quam æstate, tamen ex frigidiores nobis videntur æstate, quam hieme; scilicet quia major est inæqualitas caloris in corpore nostro ab hieme ad æstatem, quam inæqualitas frigoris in aqua puteali ab æstate ad hiemem. Et *quarta* dñeque, cryptæ, atque omnia loca subterranea frigidiora videntur æstate, quam hieme, quum procul dubio frigidiora sint hieme, quam æstate: nam oleum in cryptis hieme conglaciat, quum tamen per æstatem minime conglaciaret: quod indubium est argumentum frigoris majoris in cryptis hiberno tempore, quam æstivo: cujus quidem rei causa extra ipsum corpus nostrum querenda non est.

582. Audiamus clarissimum *Hermannum Boerave*, ita de hujusmodi calore respectivo præclare differentem. *Accedit, quod, cui diu adfuevimus, gradus caloris à nobis non sentiatur, ut in aliis omnibus dudum consuetis idem obtinet; unde & naturali minorem, vel solito pro nullo habentes assidue fallimur.* Contra autem homines frigori à longo tempore adfueti longe alio adficiuntur inde, quam nos, sensu. Observatum jam olim est, loca subterranea, astante canicula, sudantibus præstantissimum præstare refrigerium; bieme è contrario rigentia frigore membra blandum ibidem calorem persentiscere: unde falso colligebant, loca sub terra brunnali gelu calere, exardescente astu refrigerari, atque antiperistastim pati; quum certi tamen simus cellas profundas satis æstate plus calere, magis frigere bieme; quando autem quam profundissime effossa fuerint (ubi neque calor, neque frigus aeris exterioris agere nequeat) tum vero in eodem fere gradu caloris persistere. Subdit deinde: vultis ne rem addere maximi momenti in Medicina, qua in primis firmare quo, quam parum fidendum sit ad determinandam ignis magnitudinem (id enim ostendere sibi proposuerat clarissimus Author) per illum calorem, quem nos sentimus? faciam lubens. Quoties astante Cælo à Sole per nubes reflexo, vel refracto astus exoritur sano intolerabilis homini, exurens fere, & suffocans, solente brevi tonitru sequi, & fulmina cum imbribus profusissimis,

finitis, sape & grando una cadit : hæc vix contigere, quin subito, gelidum nobis adparens, frigus molestissimum aestum excipiat. Contremiscunt subitanæa hac vicissitudine corpora, putantque vulgo homines, quasi hiberno percuterantur gelu : Attamen, expertissimus loquor, est tum in hoc aere, qui adparet adeo gelidus, tantus calor revera, qui si superveniret glaciali biemi, nocaret & su adparente corpora. Si enim conclave, dum rigidissimo gelu consistunt flumina, calefaceres igne eo usque, ut iam post hoc tonitru, mense Augusto, atmosphæra incalescit, mortalium nullus in aere glaciali bruma gelidissima versatus, atque in cubiculum hoc ingressus ferre posset calorem, sed resolvetur viribus defectus.

§84. Videndum nunc est de frigore. Ac primo quidem loco discutiendum est, utrum frigus nihil sit, præter caloris privationem, quemadmodum nonnullis præclarissimis Viris visum est, an vero sit qualitas quædam positiva, cui spiritus quidam, halitusque frigorifici subiecti sunt torporem corporibus adferentes, ut alii doctissimi viri arbitrantur. Mihi videntur conciliari posse utrorumque sententia dicendo, quod quemadmodum frigus calori contrarium est ; natura autem, atque constitutio caloris in certo partium insensibilium motu reposita est: ita frigoris natura sit vel in quiete, quæ motui omnino contraria est, vel etiam in motu, qui longe diversus sit à motu caloris sensationem excitante; quo sensu verum est, frigus esse quid negativum, memramque privationem caloris. At vero si reputemus, illud quod caloris agitationem sicut, quid reale, & politivum esse debere: (quemadmodum enim corpora, quæ quiescunt egent causa aliqua reali, ad hoc ut moveri possint, ita vicissim corpora, quæ quovis modo moventur opus habent causa aliqua positiva, ad hoc ut sustentur) veram pariter fateamur oportet sententiæ eorum, quibus persuasum est frigus esse qualitatem corporum positivam. Id quod evidentius constabit postquam causam istam realem, quæ motum corporum calidorum vel sicut, vel minuit innuerimus.

§85. Primo autem sicut calor, ita & frigus, ut
Z 2 modo

modo adnotatum est, relationem quamdam habet ad corpus nostrum, atque ex ea relatione aestimandum est. Ut enim illa corpora calida sentiuntur, in quibus major est agitatio particularum, quam in carnibus nostris; ita vicissim ea corpora sentiuntur frigida, in quibus vel nulla est agitatio particularum, vel longe est minor, quam in carnibus nostris. Nam priori casu transfertur in corpus nostrum aliquid motus de corporibus, in quibus major est agitatio: ob motus autem incrementum caloris sensatio suboriatur necesse est. Posteriori vero casu transfertur vicissim de corpore nostro aliquid motus in corpora, in quibus minor est agitatio; adeoque ob motus immunitiōē frigoris sensatio subsequitur. Intelligere id licet eodem exemplo manus in aquam immerſae, quo supra usi sumus. Etenim si manus frigeat, aqua autem tepeat: hoc est si major sit agitatio particularum aquæ, quam fibrarum manus, accedit his paulatim nonnihil motus, illis autem tantumdem decedet; unde manus tepeſcat, aqua autem frigescet. Vicissim si manus tepeat, aqua autem frigeat: hoc est si major sit agitatio fibrarum manus, quam particularum aquæ, excipient hæ paulatim nonnihil ejus motus, & agitationis majoris, qua fibræ manus commoventur: unde aqua tepeſcat, manus autem frigescet.

§86. Huic doctrinæ illud consequens est, ut major calor, vel majus frigus inanum invadat, pro ut major agitatio ejus fibris accedit, vel decedit; atque ex eodem fonte profluit, quod non omnia corpora æque calida, vel æque frigida esse sentiantur; quorum enim particulae rapidiori motu carent, ea calidiora videbuntur; at vero corpora, quorum particulae vix, ac ne vix quidem moventur, frigidiora tactui erunt. Sed hoc alicui exceptioni obnoxium est: nix enim frigidior est, quam marinor, quamquam partes marmoris minus agitate sint, quam partes nivis; id quod ex eo oriri existimandum est, quod particulae nivis facilius ad motum adigi possint, quam particulae marmoris. Itaque quum priores mobiliores sint, quam posteriores, citius eæ transfèrent in se agitationem fibrarum carnis; ideoque manus magis

magis albegunt contrectando nivem , quam marinor . Confirmari id potest ex eo , quod nix diutius manibus contrectari nequit , quin tota liqueatur ; id enim innuit agitationem fibrarum carnis cito in nivem transferti . Cæterum qua ratione manus algent contrectando corpora frigida , vicissim vero calent contrectando corpora calida , eadem prorsus ratione accidit , ut corpora quævis frigida dum alia corpora proxima refrigerant , calefcant ; nam excipiendo in se motum corporum calidorum , ipsa calefcunt , illa vero frigescunt.

§87. At quis spirituum , halituumque frigorificorum , de quibus supra mentionem injecimus , usus , quæve necessitas , si hac ratione frigus in corpora inducitur ? Verum necessitatem istam arguit primo artifiosa liquorum congelatio . Nix enim cum sale communi , aut nitro , aut alumine , aut vitriolo permixta , & vasi circumfusa aquam vase contentam vertit in glaciem etiam media æstate , aut prope ignem ; quod vix citra substantiale in effluxum fieri , vel intelligi potest . Immo Robertus Boyleus quum vasi , cui infusum erat oleum terebinthinæ , nivem sale permixtam circumposuisset , nix ipsa aquam phiala intra oleum suspensa contentam congelavit : quæ quidem congelatio artifcialis etiam in machina pneumatica post exhaustum aerem perficitur . Quæ omnia citra effluxus substantiales ab illa nivis , & salis mistura prodeentes vix intelligi posse crediderim .

§88. Secundo intensum illud , & acerrimum frigus , quod in locis ad Septentrionem positis dominatur , quodque tam alte Terram penetrat , durissima quæque corpora confringit , & calorem ignis penè opprimit , adeo ut aqua inter decidendum , etiam igne admoto congeletur , ut in Prussia sæpe observatur , id inquam videtur evincere causam frigoris realem esse , & positivam .

§89. Tertio sæpe frigus in quibusdam locis etiam à polis remotioribus longe acrilius est , quam in iis , quæ sunt polis ipsis viciniora . Sic frigus in *Ukrania* , quæ est *Poloniae* provincia , acerrimum viget , quum tamen

eadem fere sit ejus latitudo , sive altitudo poli , quæ in Normandia . Sic in Civitate regia *Sinarum* ad XLII gradum latitudinis sita , qualis est *Rome* , ingens fluvius circa mensem Novembrem intra unum pene diem concrescit in glaciem , quæ non solvitur , nisi post quatuor menses exactos , & ita firma est , ut par sit ferendis curribus : quum interim , tactu ipso judice , non tam acre frigus videatur , ut fluuen tam subito possit corripere ; nec absurde id terrenis halitibus , qui aquæ particulis omnem motum repente admunt , tribui potest . Sic in *Moscovia boreali* hiems est acerba , quamquam eadem pene sit illius latitudo , atque *Scotia* .

590. Denique in certis regionibus venti frigidissimi flant , in aliis non item : id quod ex halitibus quibusdam procreando frigori idoneis , quos secum venti devehunt , proficiisci existimandum est . Sic ubi follium tubus mistura nivis , & salis circumdatur , tunc ventus frigidior erumpit , qui spiritum in thermometro , de quo postea , pensilem deprimit ; quum tamen ventus communiter ex follibus exspirans nihil quidquam mutationis thermometro inferat .

591. Erunt fortasse , qui querant , quales sint hujusmodi particulae , sive halitus frigorifici . Credibile est frigus ut plurimum induci ex particulis salinis , maxime vero nitroslis : aqua enim admixto nitro valde refrigeratur : nam thermometrum in aqua demissum , statim deprimitur , si aliqua nitri copia injiciatur in aquam : quam in rem legendus est *Robertus Boyleus* , qui plurima experimenta de frigore collegit , multaque hanc in rem habet lectu dignissima .

592. Dicendum denique est de frigoris criterio . Quum sensus ipse non sit caloris , aut frigoris judex incorruptus : quod enim uni calidum videtur , alter frigidum judicare solet , excogitata sunt instrumenta ad gradus caloris , vel frigoris dimetiendo perutilia , ea que instrumenta ex re *Thermometra* , & *Thermoscopia* dicta sunt . Quum tamen variis modis ea instrumenta parari possint , præcipuos dumtaxat hic adferemus . Primum autem omnium notissimum se se nobis offert vul-

gap

gare thermometrum, quod à *Sanctorio* inventum fuit: idque nihil est, nisi tubus inflexus, cuius pars summa occlusa est, & in globi formam tornata; inferior autem aperta, per quam aqua usque ad aliquam altitudinem infunditur. Quum pars summa manu contrectatur, aer, qui eam tubi partem replet calore manus dilatatur, & aquam deprimit. Contra præ frigore dentatur aer, & aqua adscendit non metu vacui, ut vulgo credebatur, sed ab incumbentis aeris pondere. Itaque hujus Thermometri hæc duo sunt phænomena. *Primum* aere calidiori descendit liquor in tubulo: nam aeris in globo inclusi elater expanditur, & sic liquorem deprimit. *Secundum* aere frigidiori elater in globulo constringitur, & sic liquor ob minorem aeris interni relinentiam ab aere externo sursum propellitur.

593. Verum enim vero id genus thermonometrum jam in usu esse desit, quod minus sit accuratum: vacuum enim incumbentis aeris pondus aquam inæquilater attollit, adeo ut aquæ ipsius elevatio ex duplice causa quasi complicata pendeat: ex frigore nimirum, & atmosphæræ pendere; neque adeo ex adscensu, vel descensu aquæ certa caloris, aut frigoris norma haberi possit.

594. Huic itaque thermometro sufficet sunt thermometra sigillata, quæ omnem externo aeri aditum intercludunt, quæque *Florentia* primum reperta sunt. Sic vero ea parari solent, atque impleri sœiente hieme. Quum in aliis thermonetrī spiritus vini ad inferiorem phialam pene descendit, oblongum tubum ampla, & rotunda phiala instructum ad certainam altitudinem vini spiritu implent, tum admoto igne, ut spiritus vini calore rarefactus ipsum tubum impleat, & omnem aerem excludat, ad flammarum lampadis summam tubi partem fusam torquent, atque ut loquuntur *bermetice* lignant; thermometrumque ita constructum tabulæ in partes æquales divisæ applicant. Hujus autem thermometri duo pariter sunt phænomena. *Primum* aere calidiori liquor in tubulo adscendit: quia calore rarefacit spiritus vini, majoremque locum occupat. *Secundum* aere frigidiori descendit liquor in tubulo; quia frigore

densatur spiritus vini, in minoremque locum coarctatur. Accidit autem aliquando, ut liquor ob summum aestum ad supremam tubi partem attolleretur, ipsumque apicem perfringeret: vicissim quandoque in subjectam cinnino phialam descenderet; quorum primum summi calor, alterum frigoris acerrimi signum fuit.

595. Habent pariter & haec thermometra sua vitia, quibus vix ulla remedia adhiberi poterunt: quum enim spiritus vini non statim dilatetur, neque statim denseatur, non possunt illico ex eo intelligi subiectæ mutationes aeris: Præterea mutationum levissimarum nullam ipsa praebere possunt significationem, quum rarefactio, vel condensatio exigua sit, vixque possit animadvertisi, nisi longissimo, tenuissimoque collo thermometrum instrutum sit. Consueverunt autem artifices huic malo obviam ire thermometrorum collos angustissimos in undas ad dextram, & sinistram vicibus sanguando; hac enim ratione sit, ut facilius, & celerius adscendat spiritus vini, & graduum differentia accuratius observetur.

CAPUT SECUNDUM.

De præcipuis Caloris, & Frigoris effectibus, corumque causis.

596. **C**aloris, frigorisque præcipui effectus sunt rarefactio, condensatioque, calor scilicet rarefactio, frigoris autem condensatio: quamquam interdum calor vicissim condenset, frigus vero rarefaciat, ut postea demonstrabitur. Ut à rarefactione facta ex calore incipiamus, dicimus omnia corpora, quorum partes arctius cohærent, incalescere non posse, quin illoco rarefiant. Experiri id licet in plerisque liquoribus igni impositis, qui ebulliendo rarescunt. Experiri quoque idem licet in corporibus solidis, veluti ferro, auro, cæterisque metallis, quæ calore intumescunt. Ad sunt quidem nonnulla corpora solida, quæ calefacta videntur minui potius, quam augeri; sed id sit ob fumos copiosiores, quos

quos calescendo emittunt; scilicet quid quid incrementi illa subeunt ex calore, id omne cedit in jacturam, quam faciunt per emissionem fumorum, quae longe quidem est major.

597. Neque vero difficile est hujus rarefactionis causam intelligere. Quum euim partes corporum in calecentium moveri occipient, necesse quidem est, ut aliae alias expellant; præfertim vero si antequam incalescerent, confertiores erant: unde incrementum voluminis sequatur necesse est. At subsequente refrigeratione necesse est corpora rarefacta ad pristinam molem redire, scilicet quia, extinto partium motu intestino, repulsio cessat. Potest autem contingere, ut accedente subita refrigeratione non fiat tanta corporis condensatio, quanta fieret, si corpus sensim refrigeretur; scilicet quia subita refrigeratione partes sistuntur, antequam eum situm ad invicem habeant, qui ad densandum corpus est aptissimus. Quemadmodum enim si modius tritico plenus leniter concutitur, triticum ad minus spatium redigitur, modius autem majorem ejus quantitatem caput, si vero vehementius concutitur, tritici grana non tam bene ordinantur, aut etiam vi agitationis extra modum exsiliunt, ita corpora calida paulatim refrigerata in longe minus spatium coarctantur, quam si statim frigore correpta essent.

598. Quamquam autem corporum moles ut plurimum ex calore augeatur, accidit tamen interdum, ut ea minuatur, scilicet si partes ex quibus moles constituit natura sua leves, & mobiles juxta se invicem quiescant, adeo tamen, ut spatia amplissima inter se relinquant, & rarissimam compaginem constituant. Accedente enim calore fiet, ut partes illæ proprius ad se invicem accedant, ideoque moles decrescat; id quod in nive fieri passim videmus, quæ multo minus spatium liquefacta occupat, quam antea occupabat. Nivi enim putandum est illud idem contingere, quod modo dicitur est accidere corporibus, quæ statim frigore corripiuntur. Scilicet particulæ aquæ volitantes per aerem, ac rarefactæ subita frigoris vi correptæ absunt in flosculos

sculos nivis rarissimos, qui deinde alii super alios decidentes magna inter se spatia relinquunt, unde immensa illa raritas laboritur.

599. Quemadmodum autem præcipuuſ caloris effectus eſt rarefactio, dum vi calefactæ partes celeri, & turbinato motu agitantur, majoremque locum expostulant, ſic præcipuuſ frigoris effectus videtur eſſe condensatio. Hinc liquores oleosi, immo & dura quæque corpora frigoris vi densantur, & contrahuntur: ex quo deinde fit, ut oleum frigore concretum gravius ſit pro mole ſua, & in liquidum oleum descendant, ut ſuo loco explicabitur. Immo hydrargyrus tubo conclusus per artificiosam congelationem duobus digitis viſus eſt descendere, quamquam antea fuiffet in machina pneumatica aere expurgatus: in loco vero calidiori quum eſſet collocatus priuina ſuæ altitudini nonniſi poſt aliquot dies redditus fuit. Generaliter autem quæ corpora partes habent maxime mobiles, ut ſpiritus vini, & aer ipſe, aut ramosas, & minutiores, hæc frigus contrahit; momentum quippe concitatum partium aut imminuit, aut omnino tollit; Sed aer præ frigore contrahitur, vel quod illius partes non adeo celeriter moveantur, vel quod viſ ejus elatifica plurimum imminuatur.

600. Ut autem calor molem quorundam corporum coarctat, ita vicifim frigus certorum corporum molem adauget. Constat id ex vulgatissima aquæ rarefactione orta ex ipſius congelatione. Aqua enim tubo conclusa per artificiosam congelationem nona ſui parte, vel decima interdum attollitur; atque inde fit, ut glacies aquæ innatet, quod pro mole ſua ſit levior, quemadmodum ſuo loco explicabitur. Inde etiam fit, ut tubi, & vasa plerumque frangantur, quum ſcilicet ſumma aquæ pars primo in glaciem abit: quæ enim aqua ſubeft, ubi congelatur, & expanditur, vas confringit, quod ejus dilatationi locus non pateat. Sed, ut dictum eſt, postulatur congelationem à ſumma aquæ parte originem capere; ſi enim ab imo incipiat, vasa minime confringentur. A ſummo autem incipit, quando congelatio fit à frigoris naturali vi. Ab imo vero inci-

incipere potest, si fiat per frigus artificiale, admota scilicet glacie infimis partibus vasorum.

601. Quae vero sit hujus dilatationis causa, explicatu satis difficile est. Sunt, qui existimant partes aquæ, dum vi frigoris rigent, fieri immobiles, nec tam facile alias aliis incumbere, atq; antequam rigidæ evaderent: quo tempore facilius & flebantur, & pressioni aliarum partium cedebant. Sunt alii, qui contendunt aerem poris aquæ conclusum in varias bullas dilatari, ex quo incrementum voluminis repetunt. Ultraque causa fortasse verissima est: sed ab illis explicandum erat cur aquæ partes frigore rigescerent: ab his vero cur aer poris aquæ conclusus in majus spatum dilataretur. Ceterum aerem media in glacie inflatum esse in bullas, vel ipso oculorum testimonio constat; probari que etiam potest ex eo, quod aqua in machina pneumatica omni pene aere exinanita, deinde vero congelata multo minus intumescat, atque intumesceret, si aer minime esset exhaustus: tunc enim bullarum longe minor quantitas in glacie generatur.

602. Hic non alienum est quedam de congelatione, ejusque initii, atque progressu referre. Ac primum id constat, corpora fere omnia, in quibus aqueus humor dominatur in glaciem converti posse. Fluida vero illa, quorum partes aut sunt tenuiores, nimiumque agitatae, ut spiritus vini, aut ramosiores, aliæque aliis implicitæ, ut olea pene omnia in glaciem proprie non abeunt, ut nec liquores, quorum partes sunt graviores, aut nimium agitatæ, ut spiritus salium, & hydrargyrus ipse: glacies enim proprie fit, quum partes fluidi sustentur, & ex flexilibus fiunt rigidæ, ac fragiles.

603. Qualis sit congelationis aquæ initium, ac progressus ostendunt observationes factæ à Viro clarissimo D. Mariotte. Quum enim vas cupreum octo pollices latum, & sex pollices altum aqua plenum vigente intensissimo frigore aeri libero exposuisset, post breve tempus reperit facta esse in aqua exigua aquæ concreta fila, quorum alia erant horizonti perpendicularia, alia eidem horizonti parallela, quorumque aliqua fun-

de

do vasis, aliqua vero lateribus adhaerebant: haecque cum illis in quibusdam locis se decussabant. Fila illa sensim fiebant latiora, eorumque latitudo, effusa per inclinationem vasis aqua, videbatur esse trium circiter linearum: quae autem erant parallela, distabant inter se spatio trium quoque circiter linearum. Post quam nova aqua vas replevisset, nova etiam fieri glaciei fila compertit, quorum quae erant fundo proximiora se se expandebant, tandemque glacies totum vasis fundum occupabat. Similiter fila, quae superiori aquae superficie erant proximiora sensim in continuam glaciem coibant, reliquo tantum foramine in medio superficie, in quo aqua non congelabatur, ita ut foramen illud esset adhuc apertum, quem glaciei crassities esset unius pollicis. Aqua autem, quae sensim per illud foramen effundebatur, sensim etiam ad latera concrescet, in tumulum adsurgens, & foramen paulatim angustius fiebat, eoque tandem occluso glacies cum quodam strepitu disrumpetur.

604. Quorum omnium facile est investigare causas. Ac primo quidem aquae eruptio per foramen in medio glaciei in aquae superficie superiori relictum consequitur ex dilatatione aquae ad congelationem tendentis; foramen autem manet apertum propter continuum aquae effluentis nisum. Eamdem ob causam obturate tandem foramine, glacies rumpitur, & quidem cum fragore, ad quem conferunt bullae aereae, quas in glacie inflari supra dictum est. Et sane si aqua fuerit per ebullitionem, vel alio quovis modo ab aere expurgata, quae ex illa formatur glacies paucioribus uti diximus bullulis luxuriat, seriusque frangitur. Ex fundo autem, & lateribus vasis ducuntur prima fila congelationis, quia ibi primum obrigescunt particulae aqueae: tota enim vasis superficies ante obducitur glacie, quam pars superior concrescat.

605. Cæterum congelationem fieri ab intrusione specialis cuiusdam materie, & fortasse particularum salinarum, id quidem ex iis, quae Capite superiori dicta sunt luculententer colligitur. Ad ea addi potest, quod liquo-

liquores plurimi, nulla existente refrigerationis causa, modicæ materiæ idoneæ permixtione coagulentur, refrigerenturque. Nam si in venas animalis vivi infundatur parum spiritus vitrioli, sanguis statim coagulabitur, & animal morietur, quod idem præstant quædam venena. Præterea lac ab affusione modici acidi, aut ab infusione pauci coaguli concrescit in massam mollem, quæ tandem induratur. Similiter credendum est diffusam esse per aerem quamdam materiam, qua partes aquæ, aliorumque liquorum uniuntur, quando concrescunt in glaciem vi frigoris: eo magis quod legitur quodam esse lacus, qui unius noctis spatio mense Februario in tota superficie congelantur, & duabus, vel tribus diebus aquæ concretionem ad multam profunditatem extendunt, quem tamen ante illum mensem, quantumcumque frigus urgeat, suam servent fluiditatem, nullumque in iis adpareat glaciei rudimentum. Idem constat quoque per artificiales conglaciations, quæ numquam sunt, nisi cum nive sal, & quidem copiosius, commisceatur.

606. In congelationibus autem artificialibus nonnulla adnotata digna observata sunt à sapientissimis *Academia Florentinæ* viris, quorum summa hæc est. Quum primum vas nive circumdata est, illico aqua in eo contenta ad majorem altitudinem adsurgit, squalidam statim rarefacta esset. Tum vero sensim subsidit, ad certam autem profunditatem manet aliquantis per immobilis. Deniq; quum glacies, incipit fieri, iterum adsurgit, & quidem ad multo majorem altitudinem, ad quam primo pervenerat. Quorum phænomenon causæ hæ fortasse sunt. Primo aqua attollitur, non quia rarefactionem ullam patitur, sed potius, quia vas illud, quod aquam continet vi frigoris circumambientis densatur, inque spatiū augustius cogitur: diminuta autem vasis aquam continentis capacitate, necesse est aquam contentam extolli, ac exsilire. Deinde post aliquod temporis intervallum quum frigus per poros vasis intus ad aquam penetret, ea vi frigoris correpta condensari oportet, adeoque in minorem molem se recipiens, pauplatim

latim subsidet, deinde vero, postquam penitus refrigerata est, conquiescat. At quum glacies fieri incipit, iterum extollitur, & quidem ad maximam altitudinem: volumen enim glaciei usque ad nonam, vel decimam sui partem augetur.

607. Præterea vim aquæ gelascentis immensam esse comperserunt iidem diligentissimi viri. Quum enim plures globos ex ære sibi parassent, eosque aqua plenos, ac deinde bene ferruminatos media in glacie constituisserunt, non sine miraculo omnes globos rimas egisse conspicati sunt; Clarissimus *Robertus Boyleus* tubum æneum tres circiter digitos latum, & aqua plenum ita aptavit, ut aqua per artificiosam congelationem dilatata pondus sexaginta, vel octoginta librarum attolleret. Similiter tubos ferreos sclopetorum aqua plenos, & diligentissime occlusos, cum impetu disruptos fuisse, quum gelido olim aeri expositi essent, observatum fuit à clarissimo *Christiano Hugenio* in Academia Regia Parisiensi. Tanta nimirum est vis frigoris, quod partes aquæ distendit, ut lento quidem, sed continuato partium nisu solidissima quæque corpora disrumpat.

608. Quam admiranda sit vis frigoris, ex sequentibus etiam constare potest. Lapidès recenter ex Terra extracti, nondum exhausta humiditate, comminuantur in frustula, si frigore acriore urgeantur; immo ingentes moles absinduntur interdum per hiemem ex magnis, & durissimis rupibus. Lapidès enim, præsertim qui contextu sunt laxiori, quando recenter è Terra eruuntur habent poros aqua scatentes: ea autem acriore Coeli rigore rigescente, necesse primo est exteriores lapidum particulas ab invicem divelli, deinde congelatione ulterius procedente etiam interiores, tandemque integros lapides in pulvorem dissolvi. Similiter si magnæ rupium moles connectantur materia heterogenea spongiosa, satisque laxa, ut aquam haud ægre in se recipiat, facile intelligitur ex dictis, superveniente acriore frigore, & aqua gelascente, eam dissipatam iti: ex quo rupium divulsio sequatur oportet.

609. Quæ quum ita sint, minus mirandum est, si frigus

gus nova plantarum germina, ipsosq; fructus corruptat: ea quippe corruptio ex concretione humoris, succi, intus contenti ortum etiam dicit: neque enim possunt succi particulæ concrescere, ac dilatari, quin teneras fructuum, plantarumque partes tundant, ac lacerent; accidente autem calore eadem, quorum contextus jam est solutus, facile tabescunt. Itaque quo major est succi copia, eo major noxa creatur fructibus, atque plantis. Neque tantum germinibus tenerrimis plantarum, verum & ipsis proceris arboribus, veluti nucibus, aliisque malum infertur, quando frigus est intensissimum. Scilicet succi quibus turgent usque adeo dilatantur, ut fibras, in quarum tubis continentur, perrumpant, fissurasque in truncis arborum creent.

610. Quod plantis autem, & fructibus accidit, id idem usuvenire solet animalibus, ubi frigus acrius riget, & hiems est asperior: saepe enim aures, & nasus, aliaeque corporis partes velut gangræna infectæ vi frigoris corruptuntur. Nec aliud est huic malo opportunius remedium, quam si partes illæ syderatae frigida aqua perfusa nive in calidiore loco obducantur: tum enim sensim meatibus apertis sanguis, & spiritus vitales in eas partes illabuntur, quemadmodum ova, & pyra conglaciata aquæ frigidæ immersa in pristinum statum plerumque restituuntur. Contra eveniet, si ea ad ignem præpropere admoveris: tum enim insipida, & pene corrupta manent. Sic Barclæus refert Regem Angliae Jacobum, quum juvenis in Dania degeret, quumque nasi, & aurium extrema vi frigoris pene enecta essent, nivem de consilio eorum qui aderant, adhibuisse, quæ partes illas à gangræna defenderet.

611. Finem huic Capiti imponam dicendo ut à calore plerumque corpora corrupti, ita vicissim à frigore saepe ea vindicari à putredine: calor enim motum in particulæ corporum inducit, unde putredo ortum dicit; vicissim vero frigus partium motum sistit, adeoque corruptionem inhibet. Hinc mortua corpora nive obruta diu incorrupta servantur. In Islandia carnem, & pisces aeris exponunt, & cœtra salis usum diu servant.

Hirun-

Hirundines in stagnis, & lacubus Poloniae congelatis per hiemem immotæ, mortuæque, sed pingues, atque incorruptæ jacent, largamque accolis dapem præbent.

C A P U T T E R T I U M.

De duritie, ac fluiditate, deque causis utriusque.

612. **C**alorem, & frigus excipit durities, atque fluiditas. Dura dicuntur ea corpora, quorum partes arctius cohærent, neque se tam facile divelli patiuntur; quo autem magis cohærent, eo duriora sunt. Fluida vero adpellantur corpora illa, cujus partes impressioni cuicunque cedunt, & cedendo facillime moventur inter se, quarumque idcirco cohærentia est mediocris: quo autem minor est cohærentia partium minutissimarum, eo fluidiora sunt corpora. Dixi autem hic cohærentiam corporum fluidorum esse mediocrem: nullum enim novimus adhuc fluidum, quod tenax aliquantulum non sit, quodque in guttas rotundas non abeat, ac quibuscumque solidis non adhærescat; id quod aliqua cohesionis vi ipsorum partes præditas esse arguit.

613. Ut autem duritiem cum fluiditate conferre, variosq; utriusque gradus intelligere rectius valeamus, præstat in elementaribus corporum partibus binas vires effingere alteram attrahentem, qua singulæ partes se se mutuo alliciunt, alteram repellentem, qua partes illæ se mutuo expellunt. Vis prior duritiem in corpora inducit; vis posterior fluiditatem: nam ob piorem vim partos corporum manent arctissime conjunctæ; ob vim vero posteriorem fit, ut eædem partes nequaquam cohærent. Jam si vis attrahens superet vim repellentem corpora erunt dura; vicissim si vis repellens attrahentem vim superet, corpora erunt fluida: quo autem maius est discriminè harum virium, eo corpora duriora sunt, aut fluidiora. Denique si prior vis posteriorem adæ-

adæquat, corpora proprie neque fluida erunt, neque dura, sed erunt ad utrumque veluti indifferentia.

614. Quamquam autem nulla hujusmodi corpora haec tenus innotuerint mortalibus, dubitandum tamen non est, quin ea interdum, saltem in momento temporis, re ipsa existant in rerum Natura. Metalla enim idcirco sunt dura, quia in ipsis partibus minutissimis vis attrahens vincit vim repellentem. At fac ea ad ignem admoveri: caloris actione paulatim increscit vis repellens, eaque quum attrahentem vim superarit, metalla liquecent: Quum autem vis repellens in metallis igni admotis sensim augeatur, usque donec attrahentem vim superet, necesse est ut aliquando vires istæ fiant æquales, saltem in momento temporis; eo autem tempore metalla neque dura erunt, neque fluida. Similiter aqua idcirco fluida est, quia in ejus partibus exiguis vis repellens longe superat vim attrahentem. At fac eam intensissimo frigore corripi. Rigoris actione paulatim increscit vis attrahens, eaque quum repellentem vim superarit, aqua evadet dura. Quum autem vis attrahens in aqua concrecente sensim augeatur, usque donec repellentem vim superet, necesse est ut aliquando vires eæ sint æquales inter se, saltem in momento temporis: eo autem tempore aqua neque fluida erit, neque dura, sed indifferens ad utrumque.

615. Erunt fortasse, quos voces attractionis, & repulsionis olim à Scholasticis inventæ, & numquam ab iis nō usurpatæ offendant, verentes ne qualitates occultæ jam à recensioribus Philosophis profligate rursus in *Physicaliam* invehementur. Sed hi, nisi verbis acerbissimum bellum volunt indicere, harum vocum usum nobis prohibere non possunt: nihil enim aliud attractionis vocabulo nos hic intelligimus, quam ipsam causam duritiei, quæcumque ea sit; nihilque aliud repulsionis nomine intelligimus, quam ipsam causam fluiditatis. Ad has autem causas quæ, si vera fateri volumus, obscurissimæ sunt, cognoscendas, operæ pretium est ostendisse modos, quibus ars, ac natura utitur ad corpora divisa in cohærentem massam conjungenda.

A a

616. Et

616. *Et primo* constat corpora sejuncta altera alteris imposita, deinde externa vi ad se compresſa cohaerere, cohaesionisque vim tantam esse, quanta est vis externa, à qua comprimuntur ad se mutuo. Ut si quis bina corpora cubica utraque manu comprimat, ea unitam massam conficent; ad quam separandam non minori vi opus est, quam quæ manus removere possit. *Ubi* advertendum est vim externalm, quæ hujusmodi cohaesionem causat, oriri quoq; posse à corpore aliquo fluido, quod corpora sibi mutuo imposita complectatur undique, & premat. Si enim corpora cubica modo memorata ab aqua circum circa ambiantur, ea tantum cohaerent inter se, quantum aqua gravitat in ipsa, neque separabuntur, nisi adhibita vi pressionem aquæ superante. Sed ad id necesse est inter duo corpora nullas adesse rimas, vel meatus, per quos aqua interfluere possit; nam interfluxus aquæ tantum premeret corpora versus partes contrarias, quantum eadem premuntur ad invicem ab aqua ambienti; adeoque ob vires æquales, & contrarias nulla esset corporum cohaesio. Hemisphæria Guerickiana intus cava huc pertinent: ea enim aere prorsus exinanita tanta vi comprimuntur ab aere externo, ut firmissime cohaereant, sphæramque unam continuam constituant, quæ distrahi non potest, nisi adhibetur vis gravitatem aeris incumbentis vincens; quæ quidem vis, si hemisphæria fuerint paullo majora, vix ab equis sexdecim in contrarias partes nitentibus praestari poterit; ut accidit in hemisphæriis Magdeburgensis. Hoc autem experimentum complures viros doctos eo adegit, ut crederent omnium corporum cohaesionem à pressione aeris proficiendi: nimis quidem fefellerant; nam pressionem aeris non esse genuinam causam cohaesioneis infra constabit.

617. *Secundo* cohaerent corpora se se contingentia, quæ trahuntur ad se invicem vi quavis magneticæ; nam feruum, aut magnes cohaeret cum magnete, neque separantur, nisi adhibetur vis præpollens attractioni magnetis. Sunt qui hujusmodi cohaesionem etiam ad pressionem externalm referant, dicentes vim magneticam ab

ab impulsu aeris, vel ætheris pendere: sed eam neque ab aere, neque ab æthere, neque ab effluviis ullis, sed à causa alia proficiunt, quæ hæc tenus omnes latuit Philosophos in loco demonstrabitur.

618. *Tertio* corpora, quæ calore abeunt in massam fluidam, frigore deinde concrescent in massam firmissimam ex admodum cohærentibus partibus compositam. Ita metalla, salia, resinae, sulphura, cera, adeps, vitrum, aliaque hujusmodi corpora in igne liquefiant: sed' rigore iterum in massas duras convertuntur.

619. *Quarto* quædam massæ molles ignis vi abeunt in corpora dura, & cohærentia. Sic lutum humidum & molle igni impositum abit in laterem durissimum. Sic etiam creta mollis ab igne magis magisque induratur. Præterea indurantur ab igne corium, charta pergamena, aliaque plurima corpora. Neque tantum ignis, sed & ipse aer vim habet quædam corpora indurandi. Nam corallia ut primum mari extrahuntur, mollia sunt: sed aeri exposita lapideam duritiem sibi comparant. Item succinum flavum in litora ejectum molle est, sed aeri expositum durum evadit.

620. *Quinto* et si corpora plana, & levissima sibi mutuo imposita cohærent inter se, adhuc tamen magis cohærebunt, interposito fluido aliquo, vel semifluido. Veluti quamquam specula duo plana, & sicca sibi imposita cohærent, quemadmodum *Sectione prima* adnotatum est, tamen longe fortius cohærebunt interposita aqua, oleo, pinguedine soluta, animalium glutine liquido, terebinthina, pice, aliisque hujusmodi corporibus glutinolis. Sic fabri lignarii gluten semifluidum inter tabulas ligneas solent interponere, quæ deinde non minus cohærent, quam si naturaliter cohæsissent. Pari jure cæmentarii inter laxa, & lateres interponunt semifluidam massam ex arena, & calce confectam, per quam ea in massam firmissimam abeunt.

621. *Sexto* ex mixtione nonnullorum corporum fluidorum oriuntur massæ firmissimæ, sicut fit in omnibus coagulationibus. Si lac misceatur cum acido, statim abibit in caseum. Spiritus urinæ, & vini simul affusi

mutantur in ossam *Helmontii* glacie durissimam emul-
lantem. Oleum vitrioli oleumque alcalini salis simul
commixta primum effervescent; deinde sedato æstu
concrescit in fundo vasorum quedam solida massa salina.

622. Denique ex corporibus divisis majores massas
componimus transfigendo per ea clavos ferreos, ligneos-
que: hac ratione machinæ quævis, ut ut prægrandes,
construuntur ut plurimum ab artificibus. Sunt qui pu-
tant aquam hoc ferme paeto in glaciem durissimam con-
crescere: ajunt enim ex aere in aquam hiberno tempo-
re continentem cadere multas nitroosas particulas, quæ,
tamquam clavi, particulas aquæ à se separatas, atque
divisæ ita continuant, ut firmiori massæ componendæ
occasione præbeant.

623. Atque hos ferme modos haætenuus novimus à
natura, vel ab arte adhiberi ad coherentiam corporibus
conciliandam. Videndum est modo quænam sit coha-
rentia causa universalis: de ea enim virtutis docti non sa-
tis inter se convenire videntur. Sunt qui causam istam
externam esse statuant: sunt alii, qui *internam* esse ar-
bitrentur, atque ab ipsis coherentis corporis particulis
manantem. Ut à causis externis ordiamur, primo se se
offerunt ij, qui causam unionis existimant esse vincu-
lum quoddam unde quaque ambiens clementa uniuscu-
jusque corporis duri, non aliter atque complures virgæ
continentur in fasciculo per funem circumductum.
Sed hi quam inepte id faciant, manifesta res est: quum
enim vinculum istud & ipsum quoque constet ex par-
tibus, necesse erit ut partes istæ contineantur ab alio
exteriori vinculo; hujus autem partes ab alio exteriori;
sicque res abiret in infinitum.

624. Consultius faciunt ij, qui vim externam in
pressione quadam repositam esse adfirmant, quæ scili-
cet extrinsecus corporibus duobus incumbens, ea ita
ad invicem comprimit, ut divelli non possint, nisi pres-
sio supereretur à vi quacumque alia in contrarium agen-
tē, quemadmodum paullo supra expositum est. Ad
hanc pressionem fluidum aliquod universale postulatur,
quod vel aer est crassior, vel æther subtilis. Hinc Phi-
losophi

loſophi nonnulli ad aerem, alii ad ætherem confuge-
runt; opinatique sunt alterutrum ex his duobus fluidis,
ſua gravitate comprimere partes corporum cohærentium, indeque duritatem eorum proficiſci. Neque quid-
quam eos movet, quod admissa hujusmodi cauſa omnia
omnino corpora dura eſſe deberent: respondent enim
ſiccirco quædam corpora eſſe fluida, quod eorum ele-
menta non adeo accurate congruant inter ſe, ut excu-
ſus aeris, vel ætheris per intimos illorum recessus poſſit
inhiberi: itaque quum preſſio agat in partes contrarias
ſequaliter, nulla proſlus erit cohæſio. Atque inde
etiam repetunt cauſam majoris, vel minoris duritiei.
Si enim ſit corpus, cujus partes accurateſſime con-
gruant inter ſe, cujus generis nullum fortaffe eſt in na-
tura, id erit durifſimum. At vero corpora, quorum
partes minus accurate congruant inter ſe, erunt minus
dura, eoque minus dura erunt, quominus eorum ele-
menta congruant inter ſe. Denique ſi partes corporum
elementares minutissimæ ſunt, atque in paucissimis lo-
cis ſe ſe mutuo tangentes, quales profecto ſunt particulae
ſphærice tenuiſſimæ, ita ut ab aere, vel æthere inter-
fluente agitari, commoverique ultro citroque poſſint,
ea fluida erunt.

625. Qui aeris crassioris, atque elati ci gravitatem
crediderunt eſſe cauſam duritiei innixi ſunt experi-
mento Magdeburgico, in quo duo hemiſphaeria cuprea,
cavaque ſibi imposta, educto aere interno, validiſſimo
cohæterunt preſſia à pondere aeris externi, uti ſupra tra-
ditum eſt; exinde enim illud ipliſ colligi poſſe viſum
eſt, omnia corpora ſibi ita imposita, ut aerem inter ſuas
ſuperficies non comprehendenter, ab aere extero com-
preſſa cohærere. Sane negari non poteſt omnia fere cor-
pora terrefria comprimi ab aere elati co mbiante,
atque ita compreſſa cohærere pro aliqua parte: verum
omnem eorum cohærentiam ab hujus aeris preſſione
pendere, id quidem adfirmari nequit, niſi ab iis qui ef-
fectus cauſis maiores eſſe poſſe aſſeverare non dubitant
quod tamen absurdum eſt. Sint enim duq cylindri,

7
quorum bases singulæ sint pollicum 2—, iique inter-
10 posito sebo, vel cera, vel alio quovis consimili corpore cohærent inter se. Si eorum cohæsio omnis proficisci-
retur à pressione aeris elasticæ, sequeretur illam tantum futuram, quantum esset pondus 28 pollicum mercurii; tanquamdem enim valet pressio atmosphæræ: Itaque quum pondus 28 pollicum mercurii ejusdem baseos cum alterutro cylindrorum vix æquet libras 90 *Amstelodamenses*, necesse esset supra dictam cohæsionem à pondere librarum 90, vel paullo majori tolli posse.
Verum captis experimentis deprehensum est cylindros marmoreos supradictæ baseos interposito sebo cohæsisse vi librarum 1150; alios longe minores interposita cera cohæsisse vi librarum 1250: cupreos longe adhuc minores interposita pice cohæsisse vi plus quam librarum 1400. Unde nam tanta hæc vis cohærentia, quæ tantopere superat pondus incumbens atmosphæræ? dicen-

7
dum hic est cylindros diametri 2— pollicum comprimi
10 quidem ab aere tantum, quantum est pondus 90 libra-
rum, & tantopere cohærere, sed præter eam cohæsio-
nis vim aliam intervenire à gravitate aeris minime
pendentem, quæque ipsam aeris gravitatem plus duo-
decies superat.

626. Præterea si durities penderet à pressiore aeris necessum esset, ut corpora dura duritiem suam abjicerent in vacuo *Boyliano*, quod tamen non sit; metalla enim retinent ibi eam firmitatem, quam habent in aere; saxa nequaquam solvuntur in pulverem, neque vitrum fatiscit. Sunt qui hic respondeant semper in antlia *Boyliana* supereesse aliquid aeris, quod duritiem corporibus conciliat. At saltem in vacuo *Torriceilliano*, quod longe præstantius est, omniq; pene aere crasto, elasticisq; exinanitum foret id eventurum: ut prætereat corpora dura in antlia *Boyliana* saltem minus dura debere sen-
sibili-

sibiliter fieri, ob diminutam pressionis quantitatem; quemadmodum hemisphæria concava, quæ antea ab aere externo compressa firmiter cohæserant, pondere ininimo in eadem antlia *Boyliana* distrahuntur.

627. Has difficultates quum præsensissent nonnulli doctissimi Viti, neq; tamen dubitarent cohæsionis vim à pressione externa proficisci ad ætherem confugerunt, cujus vim, atque pondus longe potentiora esse arbitrati sunt. Hi in explicanda duritie, ac fluiditate, variisque gradibus ipsorum convenienter cum superioris sententiaæ fautoribus in ceteris; in hoc tantum discrepant, quod illi aerem adhibent, ipsi vero ætherem, aut potius utrumque usurpant, ut scilicet difficultatibus jam expositis satisfacere possent. Verum quominus nos huic sententiaæ subscrivamus unum obstat: quum enim durities oriatur ex pressione, & gravitate ætheris, sequitur ex duobus corporibus ejusdem voluminis illud durius esse oportere, quod majorem continet quantitatem materiae: ubi enim major est sub eodem volumine materia, ibi major excipitur pressio; ubi vero plures sunt pori, ibi minor pressio locum habet. Atqui, ut suo loco demonstrabitur, pondera corporum sunt ut quantitates materiae: itaque coherentia partium in corporibus, sive durities ipsorum sequatur necesse est ipsorum gravitatem. Jam vero gravitates corporum hoc ordine se sequuntur: aurum gravissimum est, deinde argentum vivum, plumbum, argentum, cuprum, ferrum, stannum, mineralia, adamas, reliquæque gemmae pellicidae: itaque eodem ordine recentita corpora esse debent duriora; quum tamen adamas sit omnium durissimus, hunc sequantur gemmae pretiosæ, & silices: inter metalla vero aurum sit durissimum, deinde ferrum, argentum, cuprum, stannum, & plumbum; mercurius autem, qui post aurum gravissimus est, fluidus maneat.

628. Veniamus modo ad causas internas. Epicurei crediderunt duritatem corporum pendere ex ipsa figura elementorum corpora componentium. Autem enim, si elementa fuerint hamata, vel uncinata, vel ad instar serrorum dentata, facile intelligeretur ea sic mutuo conjungi

inter se, implicariq; posse, ut corpus durum constituant. Verum enim vero quoniam elementa, quæ hamata, vel uncinata, vel ad instar ferrarum dentata esse supponuntur meræ atomi non sunt, sed & ipsa etiam ex innumeris particulis minutissimis constant, redibit quæstio an horum elementorum partes consimili ratione cohærent: & nisi uncinolorum, hamorumque progressus in infinitum admittatur, semper eodem loco res recidet. Sed præterea innumeræ sunt cohærentiæ in quibus nulla uncinorum, vel hamorum suspicio est. Si enim bina specula plana vitrea, vel marmorea oleo inungantur, deinde vero sibi mutuo adponantur, ita cohærebunt, ut nonnisi magna vi possint separari. At hic absurdum est dicere tantam vim cohæsionis pendere ex partium oleosarum uncis, atque hamis: sic enim oporteret ut ipsum oleum durum esset, non fluidum. Insuper magnes ferro admotus cohæret cum eodem ferro: est ne verisimile cohæsionem istam proficiisci ex eo, quod partes ferri hamatæ cum magnetis partibus intracentur?

629. Supereft ut videamus an vera sit eorum sententia, quæ ponit attractionem esse causam, atque principium cohæsionis corporum. Evidem in particulis corporum terrestrium dari vim quamdam, qua vi particulæ illæ se mutuo trahunt, id quidem *Sectione prima* abunde clementum est. Ea vi constituta facile erit cohæsionis corporum rationem reddere. Quotiescumq; enim duo corpora plana, atque lœvia sibi mutuo imponuntur, partes, quæ se contingunt, se se attrahent, & quantum se attrahent, tantum cohærebunt. Si corporum superficies forent perfectæ planæ, & absque poris, ex profecto sic cohærerent, ut nihil supra: quippe omnia iplarum elementa se traherent. Quom vero superficies omnium corporum sint porosæ, & ideo asperæ, eæ sibi incumbentes in nonnullis locis, punctilique se tantum attingent; quare attractio earum non erit maxima, sed eo propius accedet ad maximam, quo superficies propius ad perfectam planitatem, densitatemque acclenserint: eo vero longius recedet ab ea, quo superficies fuerint minus politæ, magisque porosæ.

630. Ex

630. Ex his autem intelligimus *primo*, quare corpora asperimæ superficiei sibi imposita minime cohærent; ea enim in paucissimis punctis se se contingunt, neque vis attrahens ex uno corpore egressa eousque se exporrigit, ut in alterum corpus agere possit. Quapropter nullius momenti putandæ sunt objectiones adversariorum querentium cur duo ligna sibi imposita non cohærent? Cur cubus metallicus alteri metallico cubo impositus non sic cohærent, ac si igne fusi in unam massam confluxissent? nam hujusmodi difficultates evanescunt, dummodo ad asperitates superficierum se se attingentium animus advertatur, quæ asperitates impedimento sunt quominus attractio sensibilis oriatur. Intelligimus *secundo* quare corpora maxime cohærentia, uti adamas, gemmæ, silices, vitra, aliaque hujusmodi diffracta superficiem splendentem exhibeant; quum è contrario corpora minoris firmitatis diffracta superficiem exhibeant asperam, & inæqualem, ut pote constantem ex corpusculis, quorum superficies asperiores etiam in paucioribus punctis attigerunt reliquas. Denique intelligimus quare quedam corpora sint aliis duriora, & unde nam orlantur tot gradus diversi firmitatis, atque duritiei, quæ in corporibus terrestribus observatur: quum enim asperitates superficierum, quibus corpuscula elementaria terminantur infinitis gradibus differre possint inter se, minime mirandum est, si ipsa firmitas corporum majorum variet quoque in infinitum.

631. Ita recensiores Philosophi, quibus persuasum est particulas materiæ se se mutuo trahere, de duritate corporum philosophantur. Fluiditatls vero hanc redundat rationem. Statuunt particulas corporum fluidorum esse minutissimas, atque sphæricas, vel etiam à sphærica figura nō admodum abhorrentes: ita enim particulae istæ sphæricæ in paucissimis punctis se se tangentes leviter se trahent, adeoque exigua futura erit cohæsio particularum ab attractionis vi oriunda, eaque superari poterit à quavis minima vi, quæ contra fluida corpora ad turbandum eorum statum infestur. Accedit figura.

figura particularum, quæ quum sphærica sit, vel etiam sphæricitati proxima summam mobilitatem ipsis particularis conciliat. Intelligere id licet ex minutissimis illis globulis plumbeis, quibus venatores in venationibus utuntur, qui speciem quamdam fluiditatis præferunt, eoque magis ad fluiditatem accedunt, quo minutiiores sunt. Idem adparet in arena, quæ etiam aliquo modo fluida est; neque dubitandum, quin si ejus grana essent adeo tenuia, ut oculorum aciem fugerent, summam ipsa fluiditatem foret habitura.

632. Quapropter fluiditas corporum tum per figuram sphæricam, vel quasi sphæricam particularum componentium, quum per eamdem particularum exiguitatem recte, ni fallor, explicatur: varii autem fluiditatis gradus profiscuntur tum ex eo, quod figuræ particularum componentium possunt magis, vel minus defletere à sphæricitate, tum etiam quia eadem particulae possunt majorem, vel minorem magnitudinem habere. Sunt qui censeant ea corpora fluida esse, quorum particulae sub sensu non cadentes motu interstitione assiduo agitantur: verum hic motus intestinus inutilis est ad fluiditatem explicandam, quemadmodum ex iis, quæ modo dicta sunt, consequitur: ut præterea nullis experimentis constare, an revera hujusmodi motus intestinus insit in particularis minutissimis fluidorum.

633. Negandum tamen non est, quin adhuc quædam corpora fluida, quoruin particulae lummopere agitatae sunt, ut metalla vi ignis liquefacta; sed hujusmodi fluiditas non à natura est, sed ab arte. Etenim corporum fluidorum quædam natura talia sunt, ut aqua, oleum, argentum vivum, aliaque hujusmodi: quorum particulae quamquam fortasse agitari in se invicem possint, tamen agitatio ista inutilis, uti demonstratum est, videtur ad eorum fluiditatem explicandam: adeoque ea, si fortasse inest, in particularis fluidorum naturalium, habenda erit potius ut effectus, quam ut causa, atque principium fluiditatis, quemadmodum infra apertius demonstrabitur. At sunt quædam alia corpora, quæ natura quidem durissima sunt, sed duritatem illam facile abji-

abjiciunt vi ignis, ut metalla, vitrum, adeps, aliaque hujusmodi corpora. Hæc corpora quamdiu manent frigida cohaerent, quia ejus particulae in pluribus locis se se contingentes fortiter se attrahunt. At quum ignis eorum poros ingressus est, fit rarefactio totius massæ, particulae componentes divelluntur, moveri huc illuc incipiunt, aliæque ab aliis recedunt: quum autem eæ minus contiguae fiant, attractione ita languescit, ut tandem corpora suam duritatem abjiciant. Amoto igne cessat motus particularum, eæ rursus accedunt ad se mutuo, adeoque validius se attrahentes aliquem cohaerentie gradum adquirunt, quæ eo magis augetur, quo magis refrigerantur particulae; extincto autem omni calore, pristinam duritatem recuperant.

634. Quibus ita præmissis phænomena cohesionum supra ad septem classes generales revocata breviter hic expendenda sunt. *Prima classis* speat cohaerentiam illorum corporum, quæ ab aere comprimuntur. Aeris pressio circum corpora tanta est, ac si affusus circa ea esset mercurius ad eamdem altitudinem, quam ipse habet in barometro; altitudo enim mercurii in barometro cum aeris gravitate æquilibratur. Quapropter si duo hemisphæria cuprea, cavaque diametri trium pollicum sibi invicem imponantur, ea educto aere interno comprimentur ad se invicem pondere librarum 112, uniarum 5, & granorum 33; Etenim quum area circuli, cuius diameter est pollicum trium, sit 7 $\frac{1}{2}$ polli-

cum quadratorum; quumque singuli pollices cubici mercurii sint unciarum 8, drachmarum 6, & granorum 8, duæa primum circuli area in pondus singulorum pollicum, deinde vero multiplicato producتو per pollices 39, quæ est altitudo mercurii in barometro, prodibit pondus aeris incumbentis supra singula hemisphæria cuprea librarum 112, unciarum 5, & granorum 33. Et quamquam experimenta paullo majorem hujusmodi cohererentiam esse ostendant, id tamen tribuendum est tenacitati certe, qua hemisphæriorum mas-

margines obducuntur ad externum aerem à cavite hemisphæriorum arcendum. Itaque si quis cupiat experimentum adamassim cum calculo convenire, curare debet, ut cera craſſiuscule circa margines hemisphæriorum illinatur, ad hoc scilicet ut aeris interfluxum cohibeat, cohæsionem autem binorum hemisphæriorum minime confirmet.

635. Secunda classis respicit cohærentiam corporum, cujus particulæ vi attractrice donatae sunt, de qua paullo fusiſ ſupra actum eſt: tantum hic admonebo principium iſtud cohærentia eſſe universale, quum attractio ipſa ad omnium corporum particulas pertineat. Et ſane quamquam adſint complurima corpora fluida, tamen ea aliquo lentore, & viſcoſitate, quæ ab attractione particularum proficiſcit, minime detinuntur. Ad tertiam classem ſpectant corpora, quæ vi ignis mutata in massam fluidam, deinde frigore ſuperveniente iterum in res duriflumas vertuntur, ut metallum, aliaque hujusmodi corpora, de qua ſupra etiam ſatis ſuperque actum eſt.

636. In quartam classem contuli ea corpora, quæ quum mollia ſint, tamen vi ignis, vel aeris calidioris duritiem ſibi comparant. Hic dicendum eſt mollitiem in hujusmodi corporibus ab aqua effuſa, partibusque iſorum intermixta oriri: itaque quum vi ignis, vel aeris calidioris partes aqueæ abeant in vapores, ſupererunt ſolæ partes corporis præcipui, quæ ſe ſe attrahentes solidam massam conſtituent. Hac ratione lutum, & creta igni admota indurantur; neque diſſimiliter corallia, & ſuccinum aeri exposita ex molibus dura evadunt.

637. Ad quintam classem pertinent corpora, quæ interposito fluido, vel ſemifluido corpore cohærēſunt. Ad quod explicandum dicendum eſt, nullam dari ſuperficiem adeo lāvem, atque politam, quæ quidem ſuis inæqualitatibus, atq; poris, & quidem frequentibus non luxuriet; itaque quum cohærentia oriatur ab attractiōnē, quæ in contactu mirum in modum augetur, ſiquidam binarū ſuperficies ſibi invicem imponantur, eæ eo magis

magis cohærent, quo in pluribus locis se se continent. Jam vero fluidum interpositum nihil aliud facit, quam ut æquentur inæqualitates superficierum, propter quas inæqualitates ipsarum contactus erat minus accuratus: itaque æquatis per fluidi, vel semifluidi corporis interpositionem superficiebus, necesse est cohæsionem una cum attractione ipsa mirum in modum adaugeri.

638. Ad sextam classem pertinent ea corpora fluida, quæ commixta effervescunt, deinde vero in corpus firmum abeunt. Id quod ex eo oritur, quia particulæ hujusmodi corporum fluidorum vehementius se trahunt, ex quo primum effervescentia, deinde vero durities ortum dicit. Denique corpora divisa cohærent firmissime inter se, si à clavis trahēta sint; clavi enim dum in corpora immittuntur eorum partes à se removent; his vero se attrahentibus, clavi samquam inter duos magnetes consistunt, qui quo fortius se trahunt, eo validius clavos retinent. Præterea clavorum superficies aspera esse solet; unde semel corporibus intrusi extrahi nequeunt, nisi simul plurimæ partes tum clavorum, tum junctorum corporum abradantur: quod corporum cohæsioni adaugendæ mirum in modum conducit.

639. Temperare autem me non possum, quin paucis exponam, atque subvertam summi Viri Renati Carzeffii de duritate sententiam, existimantis nullum esse præsentius vinculum, quo partes juxta se invicem continentur, præter quietem. Quum enim quies sit mera motus privatio, uti suo loco demonstratum est, qui fieri potest ut mera privatio tantam vim addat particulis corporeis? Non possumus concipere, quum singula corpora natura sua sint mobilia, neque uni loco magis adfixa, quam aliis, cur eo non possint, amissa quiete, deturbari. Vel minimus motus perfectissimam quietem vincit, quum corpus non sit sua natura præstitutum, ut in certo loco maneat. Accedit quod quies non suscipit magis & minus; adeoque si durities oriretur ex partium quiete futurum foret, ut omnia corpora dura

æque

et que dura essent, quod tamen est falsum. Denique arenæ cumulus constat ex partibus quiescentibus, atque immotis, quum tamen duricie omnino destitutus sit. Ex quibus omnibus adparet, quam infirma sit opinio Cartesii, docentis quietem unicum esse vinculum firmitatis, duricieque.

CAPUT QUARTUM.

De præcipuis fluidorum Corporum proprietatibus; degue eorum pressione.

640. **V**Idendum est modo an ex fluiditatis fonte superiori Capite constituto præcipua fluidorum corporum accidentia possint deviari. Naturam fluiditatis posuimus in eo, quod particulæ corpora fluida componentes sint tenuissimæ, sphæricæ, atque inter se infirmiter cohærentes: ex qua positione non difficulter colligi potest corpora omnia fluida vasis quibusvis, vel cavitatibus contenta in eum se se tandem statum componere debere, ut superficiem sibi comparent et quam, horizontique parallelam, quæ est potissima eorum corporum proprietas. Etenim si aliquæ fluidi corporis partes supra sibi subjectas, contiguasque partes solæ emineant, quoniam ipsæ à lateribus minime sustinentur, vi proprii ponderis ruent deorsum, neque conquiescent, nisi postquam eamdem cum ceteris altitudinem respectu horizontis fuerint adeptæ. Neque dicas posse partes illas sublimiores à subjectis tantum partibus sustineri, quemadmodum corpora solida sustinentur inferius tantum à piano, cui incumbunt. Quum enim fluidum constet ex partibus quam infirmiter cohærentibus, adeoque à minima quavis vi separabilibus, sola gravitas particularum imminentium satis erit ad subjectas partes à se mutuo separandas, quæ pro ut separantur, ita superiores particulas intra se excipiunt, ex quo deinde fit ut ad aliarum altitudinem ex se se componant.

641. Inde

641. Inde autem plura consequuntur. *Primum* corpora fluida vasibus, vel cavitatibus contenta quantumvis agitata tandem ad quietis statum pervenire debere; id quod tum contingere putandum est, quum superficiem ea sibi compararunt æquam, horizontique parallelam. Non sum nescius nonnullos motum partium minimorum & invisibilium in fluidis corporibus admittere, atque in eo motu, quem *intestinum* appellant, ipsam fluidatis causam constituere. Sed, si vera volumus, fluiditas hujusmodi motum minime postulat, possentque fortasse corpora fluiditatem absque illo motu sartam testam sibi conservare: quamquam parte alia verisimile sit hujusmodi motu intestino fluida corpora non carere, non quod eorum constitutio motum illum postulet, sed potius quia minimæ fluidorum particule ab interfluxu ætheris continuo agitantur, & commoventur.

642. *Secundum* corpus fluidum in pluribus vasibus, ne dum in uno vase contentum ad eamdem altitudinem descendere debere, modo vasa sint communicantia, hoc est dummodo fluidum ex unis in alia vasa liberissime possit confluere, quod experientia ipsa confirmatur. Et quamquam in fistulis recurvis, quarum bina brachia sunt inæqualium capacitatum eadem experientia contrarium ostendat: quum aqua in tubo angustiori ad maiorem altitudinem adsurgat, in tubo vero latiori, ad minorem altitudinem consistat: id tamen suam peculiarem habet rationem, quam *integro Capite de Tuborum Capillarium phænomenis* infra persequuturi erimus.

643. Et *Tertium* denique si gravia ad unum idemque Telluris punctum internum vi sua dirigerentur, prætereaque si Tellus undique mari ambiretur, futurum esset ut aquæ omnes in sphæricam figuram se se compонerent; aquarum enim natura id postulat, ut partes omnes, quæ sunt in extrema earum superficie constitutæ & que remotæ sint à centro gravitatis; id quod in sola superficie sphærica contingit. Nunc vero quum pars tantum superficie terrestris occupetur à mari, dubitari non potest, quin ejus superficies pars sit superficie sphærica, cuius centrum est ipsum gravium cen-

centrum commune: adeoque partes omnes maris Terras circumambientis, quæ partes communicationem aliquam habent inter se ejusdem altitudinis sint oportet, si scilicet ad naturam tantum corporum fluidorum animus advertatur: quamquam credibile sit in hoc negotio eadem phænomena occurrere, quæ in Tubis capillaribus observantur, de quibus in loco agendum erit.

644. Quiescat nunc fluidum aliquod in vase, illudque distributum intelligatur in innumera plana horizontalia alia aliis incumbentia, quorum crassities non sit mathematica, sed physica tenuem habens latitudinem: dubitandum non est, quin planum supernum, quod ordine primum est, secundum premat; hoc autem simul cum illo premat tertium, hocque una cum duobus primis quartum comprimat, atque ita deinceps. Quapropter innumera illa plana, in quæ fluidum stagnans distributum esse supponimus prement novissimum planum, quod nempe fundo vasis incumbit, ipse autem fundus omnium planorum pressionem sustinet. Inde autem consequitur non omnia plana æqualem pressionem sifferre; sed quemadmodum supremum planum nullam pressionem sentit, infimum vero maximam pressionem subit, ex eo quia totam fluidi mellem sustinet; ita plana intermedia intermedios pressionis gradus patiuntur, qui quidem gradus eo maiores erunt, quo magis plana recedunt à superficie fluidi supra, magisque fundo propriora sunt, eo vero erunt minores, quo vicissim supremæ superficie fuerint viciniora, magisque absuerint à fundo.

645. Hæc pressionum inæqualitas in diversis ejusdem corporis fluidi horizontalibus planis spectata in causa est, ut fluida elastica, & compressibilia non eamdem habeant ubique densitatem: etenim fluida ista ubi magis premuntur, scilicet propter fundum, ibi densiora esse debent, ubi minus premuntur, scilicet prope superficiem ibi esse debent rariora. Quapropter atmosphæra in inumeras superficies physicas terrestri globo concentricas distributa, manifestum est aerem eo densorem esse, quo superficies ad quem ille pertinet minus abest.

abest à superficie Telluris ; eo vero esse rariorem , quo superficialies ad quam pertinet aer magis recedit à superficie Telluris : ex quo fit ut densitas atmosphæræ à superficie terrestri sursum versus continuo decrescat , id quod alio loco fusiū persequuti sumus. At vero in fluidis incompressibilibus , quemadmodum fortasse sunt omnia corpora fluida nobis cognita præter aerem , & ætherem , ut ut locum habeat supradicta pressionum inæqualitas , tamen inæqualitas densitatum locum non habet ; nam propter eorum incompressibilitatem fit , ut partes componentes nequeant ad se se propius accedere , neque idcirco possint constipari.

646. Singulæ autem fluidorum superficies horizontales , quas hæc tenus contemplati sumus , non modo patiuntur ab incumbente fluido pressionem sursum deorsum tendentem , verum etiam patiuntur tantumdem pressionis à fluido subiecto deorsum sursum. Quod quamquam ex lege Naturæ tertia , quæ vult ut *cuilibet actioni æqualis & contraria sit reactio inferri posse videatur* , placet tamen alia via idem ostendere . Esto fistula recurva ACB , (Fig. 75.) cuius crura AC , CB omnino æqualia , & timilia quovis corpore fluido repleta sint . Postquam liquor in fistula contentus agitari desit , is ad æqualem altitudinem in ambobus curribus consistet , usque adeo ut recta AB utramque fluidi superficiem stringens horizonti sit parallela . Ducatur infra rectam AB planum horizontale DE secans utraque crura in locis D , & E , & efficiens in ipsis binas sectiones circulares æquales . Et quoniam sectiones istæ æquales sunt , æquales pariter erunt tum altitudine , quum soliditate cylindri AD , BE iis sectionibus incumbentes : unde eadem sectiones æqualem pressionem subibunt à corpore fluido incumbente , quod in iisdem cylindris continetur : pressio enim columnæ AD tantum valet , quantum pressio æqualis columnæ BE . Hinc autem facile colligetur utramvis superficierum D , & E tantumdem pressam iri deorsum sursum à fluidis incumbentiibus quantum ab iisdem fluidis premitur sursum deorsum : neque aliud discriminis occurrere in hujusmodi

B b

pressio .

pressionibus, nisi quod pressiones sursum deorsum sunt immediate, pressiones vero deorsum sursum sunt mediate, hoc est per reliquum fluidum DCE interpositum.

647. Sed hinc fortasse non satis intelligitur, quomodo singulæ superficies horizontales alicujus corporis fluidi vase, vel cavitate aliqua contenti tantum premantur inferne, quantum superne premuntur; nullæ enim ibi fistulæ occurrent, quæ ad eam pressionem intelligentiam usui sint. Cogitandum idcirco est aquam, vel quemvis alium liquorem vase contentum conglaciari ita tamen, ut ejus superficies superior maneat æqua, horizontique parallela, sicut erat antequam conglaciaretur. Cogitandum est præterea viam excavari in aqua ista conglaciata, quæ ad instar siphonis recurvi prium quidem tendat deorsum sursum, dejnde vero sursum deorsum, eamque viam repleri glacie jam soluta. Hisce præsuppositis minime dubitandum est, quin singulæ liquoris guttae in hac via contentæ tantumdem premantur inferne, quantum superne preminuntur: eadem enim demonstratio hic adhiberi potest, quam adhibuimus paulo supra ad rem in tubo recurvo ostendendam. Sed & idem locum habebit si duas, si tres, si quatuor, si denique complures hujusmodi viæ in glacie excavatae sint, sive viæ istæ communicantes sint inter se, sive non communicantes. Et quoniam si numerus hujusmodi viarum sit infinitus, & præterea si singulæ ad singulas accedant in infinitum, tota glacies rursus vertitur in aquam, sequitur singulas aquæ in vase stagnantis partes tantumdem premi deorsum sursum, quantum preminuntur sursum deorsum.

648. Præter duas istas pressiones, quas singulæ fluidorum particulae patiuntur alteram deorsum sursum, alteram sursum deorsum, aliam præterea ipsæ subeunt universalem versus omnes plagas tendente; scilicet singulæ fluidorum particulae æqualiter, & undequaque preminuntur, tamquam si infinitus æqualium virium numerus in illas impetum faceret. Universalis ista pressio ex ipsa corporum fluidorum natura facile deducitur: Nam quin fluidi partes impressioni cuicunque cedere

de-

debeant, fintque præterea summa mobilitate donatae, si gutta quæcumque dum à fluido tum superiori, quum interiori premitur, ab omni alia parte non premeretur æqualiter, ea minime quiesceret, sed in innumeratas guttulas se se solvens versus omnes alias partes dissiliret. Id vero quum non fiat, dicendum est omnem guttam undequaque æqualiter premi, eamque non alia de causa manere immotam, quam quia ab omnibus partibus quadruplicem pressionem patitur. Sed eadem pressio universalis evinci quoque potest ab experimentis. Si enim circa vasis alicujus aquam continentis latera plura foramina pateant secundum omnes directiones possibles, aqua per easdem illas directiones profluet, id quod non fieret, si pressio fluidorum versus omnes plagas non exiceretur.

649. •Quibus expositis haud difficulter satisfieri poterit quærentibus qualis futurus sit effluxus aquæ stagnantis in vase ABCD (Fig. 76.) referato statim epistomio foraminis E, quod foramen in ipso fundo faturum esse supponitur. Scilicet quum omnes aquæ partes undique, & æqualiter se invicem premant, columnæ FE habens probasti ipsum orificium E quantum premitur à circumambientibus cæteræ aquæ partibus, tantum vicissim illas premit: adeoque quum perfectissime sint æquilibrae inter se, quiescent in locis suis. At aperto epistomio eadem columnæ FE destituta fulcimento statim incipiet descendere, & quidem ad instar unius, statimque etiam undique ex supraea superficie confluet aqua ad replendam cavitatem, quam continens descensus columnæ FE efforinat in medio vase. Ex quo illud sequitur vas aqua plenum ita exhaustum, ut prius effluant partes superiores, deinde vero gradatim inferiores egrediantur. Hujusmodi effluendi ratio quamquam in corporibus perfecta fluiditate donatis neque oculis, neque fortasse ullo artificio adnotari possit, Carmen in corporibus imperfecte fluidis, veluti melle, adipe vix dum soluto, & cera liquefciente facile observatur. Idem observare licet in horariis ex arena confectis, in quorum supraea superficie cavitatis statim

adparet; quum arena non sit eousque fluida, ut ad im-
plendam perfectissime cavitatem defluere possit.

650. Veniamus modo ad expendendas leges pressio-
num, quas ab incumbentibus fluidis subeunt fundi
vasorum. Primo autem supponemus vasa fluidum con-
tinentia esse prismaticæ; sive quod eodem redit, sup-
ponemus latera vasorum normaliter ad fundos insisteret.
Sint itaque duo istiusmodi vasa, quorum bases, sive
fundii æquales sint inter se, contineant autem inæqua-
les ejusdem fluidi, puta aquæ, mercurii, olei, vel cu-
juscumque alterius liquoris quantitates. In hac hypo-
thesi non dubitandum est, quin fundi vasorum inæqua-
liter premantur, illeque fundus majorem patiatur pres-
sionem, cui major fluidi quantitas incumbit, eoque ma-
jorem, quo major est quantitas fluidi incumbentis. Et
quoniam si fluida sint homogenea, sive etiam incom-
pressibilia eorum quantitates sunt in altitudinum ra-
tione simplici, sequitur pressiones, quas fundi æquales
subeunt à fluido quovis homogeneo esse in ratione ipsa-
rum altitudinum; adeo ut si altitudo sit ad altitudinem
ut 1 ad 2; etiam pressio ad pressionem esse debeat in
ratione unitatis ad numerum 2.

651. Sint præterea bina vasa prismaticæ, quorum
bases, sive fundi sint inæquales, altitudines vero, ad
quas idem fluidum attollitur in utroque vase sint inæ-
quales. In hac alia hypothesi non est quoq; dubitandum,
quin pressiones, quas fundi subeunt sint etiam inæ-
quales, isque fundus majorem subire debeat pressionem,
qui major est, eoque majorem, quo major fuerit fundus.
Etenim quum fluidum ad eamdem prorsus altitudinem
in utroque vase adsurgat, singulæ fundorum particulæ
æquales, minimæque æqualem pressionem subibunt;
quapropter pressiones, quas fundi patiuntur erunt inter
se ut omnes particulæ, sive etiam ut fundi ipsi, qui ex
illis particulis constituantur; usque adeo ut si fundus
unus sit ad fundum aliud quemadmodum se habet nu-
merus 2 ad 1, in eadem prorsus ratione sit pressio,
quam subit prior fundus ad pressionem, quam subit
fundus posterior. Ex quibus nullo negotio colligitur,
quod

quod si tum altitudines fluidi in utroque vase conten-
ti, quum fundi ipsorum vasorum sint inaequales, pres-
siones sint coniunctim ut altitudines, & fundi ; adeo ut
si altitudo ad altitudinem fuerit ut n ad 1, fundus au-
tem ad fundum ut 1 ad m , pressio sit ad pressionem
quemadmodum se habet n ad m : etenim ratio quam
habet n ad m composita est ex rationibus n ad 1, & 1
ad m , quarum prior est ratio altitudinum, posterior ve-
ro est ratio fundorum.

652. Leges itaque pressionum, quas fluida homo-
genea exercent contra fundos vasorum prismaticorum
sunt tres sequentes . Prima: Si fundi sunt aquales, alti-
tudines vero inaequales, pressiones sequuntur rationem
altitudinum. Secunda: Si fundi sunt inaequales, alti-
tudines vero aquales, pressiones sequuntur rationem ipsa-
rum altitudinum . Et denique tertia est. Si tum altitu-
dines, quum fundi sunt inaequales, pressiones erunt con-
iunctim ut altitudines, & fundi . Quapropter fieri po-
terit ut pressiones, quas fundi duorum vasorum subeun-
t sint aequales, quamquam tum altitudines, quum fundi
sint inaequales : scilicet si quanto altitudo altitudinem
superat, tanto vicius fundus fundo minor sit; quem-
admodum plus quam satis manifestum est.

653. Sequuntur leges pressionum, quas subeunt
fundi vasorum non prismaticorum, in quibus scilicet
latera normaliter ad fundos non insistunt . Leges istas
a tribus modo expositis legibus nihil prouersus sunt di-
versae : sive enim vasa sunt prismaticis ampliora, sive
sunt ipsis angustiora, semper pressiones, quas subeunt
fundi aquales ab incumbente fluido homogeneo erunt in
ratione altitudinum ; pressiones vero quas subeunt fundi
iaequeles ab incumbente fluido ad eamdem prouersus al-
titudinem sublato erunt in ratione fundorum ; & deni-
que pressiones, quas subeunt fundi inaequales a fluido ho-
mogeneo ad inaequales altitudines constituto erunt con-
iunctim ut altitudines, & fundi.

654. Sint enim tria vasa (Fig. 77.) ABCD, ABEF,
ABGH constituta in eadem basi AB, & inter eadem
plana parallela AB, CD, eaque sint amplitudinis di-

B b 3 versae;

versæ; scilicet vas ABEF sit prismaticum, vas ABCD sit prismatico ABEF amplius, & denique vas ABGH sit eodem vase prismatico ABEF angustius. Quamquam in vase ampliori CABD continetur major fluidi quantitas, quam in vase prismatico EABF; in vase vero angustiori GABH continetur minor fluidi quantitas, quam in vase prismatico EABF, tamen si vasæ omnino plena sint, sive, quod eodem redit, si fluidum in tribus vasis ad eamdem altitudinem attollatur, basis AB eamdem prorsus pressionem sentiet: quid quid enim fluidi amplius continetur in vase CABD, quam in vase prismatico EABF, id haud quidem innititur basi AB, sed innititur potius lateribus AC, BD: atque adeo quum ad basis pressionem attendimus nihil prorsus restet, an major ita fluidi quantitas, quæ continetur in spatiis collateralibus AEC, BFD absit à vase. Similiter etsi vas angustius AGHB vase prismatico AEFB minorem fluidi quantitatem contineat, attamen non idcirco pressio, quam basis patitur, minor evadet; quia quid quid actionis ficeret in basim AB fluidum, quod deest huic vase angustiori AGHB, quodque continetur in spatiis AGE, BHF, id totum accurate compensatur cum reactione laterum AG, BH; ea enim tantum præstant, quantum præstarent supradiæta fluidi quantitates spatia AGE, BHF occupantes.

655. Id luculentius constabit, si fluidum vase angustiori ABGH contentum distributum intelligamus in innumera fila æque crassa perpendiculariter ad fundum AB insistentia: quamquam enim hæc fila non sint ejusdem altitudinis, sed ea, quæ ad ipsum orificium GH pertinent sint longiora, ea vero, quæ ad latera AG, BH pertingunt sint breviora; tamen vis priorum ad pre mendam basim posteriorum vi major non erit; quid quid enim vis deest filis brevioribus ratione altitudinis, id ipsis superadditur propter resistentiam, quam patiuntur à laterum renisu: & sane recluso orificio quovis L in latere AG, filum subiectum IL statim exsiliat ad altitudinem illorum filiorum, quæ ipsum vasis orificium GH attingunt.

656. Erunt

656. Erunt fortasse, quibus haec doctrina sic labefactari posse videbitur. Quoniam fundus AB eamdem pressionem subit, sive vas sit prismaticum, sive sit prismatico angustius, sive prismatico amplius sit, modo tamen tria vasa sint ejusdem altitudinis, sequitur lanceum quantum gravatur a vase prismatico, tantumdem gravatam iri a vase vel angustiori, vel ampliori; lanceum enim gravatur a fundo, qui aequalis in unoquoque trium vasorum ABCD, ABEF, ABGH pressionem patitur. Itaque quum experientia constet pondus valis amplioris majus esse pondere valis prismatici, pondus vero vasis angustioris minus esse pondere valis ejusdem prismatici, necesse est ut leges pressionum, quae contrarium postulare videntur sint falsæ.

657. Huic difficultati, quæ maximi momenti prima fronte videtur, satisfiet, si pressionum etiam, quas subeunt latera vasorum ratio habeatur: nam hujusmodi pressiones interdum pondus augent, interdum minuant, interdum vero illud neq; augent, neq; minuant. In vase prismatico EABF fundus AB premittit sursum deorsum, latera autem AE, BF premuntur transversas: itaque quum hujusmodi pressiones transversales in pondus non confluant, pondus valis pressioni, quam solus fundus patitur erit proportionale. In vase ampliori CABD tam fundus AB, quam latera AC, BD premuntur sursum deorsum; itaque quum ambæ in pondus confluant, non mirum est si pondus valis amplioris CABD majus sit, quam pondus valis prismatici EABF; quamquam pressio fundi in utroque vase sic eadem. Denique in vase angustiori GABH fundus AB premittit sursum deorsum; latera autem AG, BH premuntur vicissim deorsum sursum: itaque pressiones, quas latera subeunt tantum abest, ut ponderi augenda saveant, ut potius ei minuendo inserviant; adeoque non mirum est si pondus valis angustioris GABH minus sit pondere valis prismatici EABF, quamquam in utroque vase fundus AB eamdem pressionem patiatur.

CAPUT QUINTUM.

*De vi Corporum fluidorum ad sustinenda
corpora solida comparata: ubi obi-
ter de justo onere navibus
imponendo.*

658. **N**ullum dari fluidum adeo tenue, quod alii quam vim non habeat ad sustinenda corpora solida sibi imposita, indubitatum est apud Philosophos Mechanicos. Vim istam fluidorum sentiunt omnia omnino corpora, & ea scilicet, quæ fluctuant, liquoribusque innatant, & ea, quæ altissime demerguntur. Priora enim ideo fluctuant, quod ab ipsis liquoribus sustinentur, alioquin gravitate sua deorsum forent decasura. Posteriora vero etiæ altissime demergantur, tamen vim fluidorum sentire vel ex eo constare potest, quod minori velocitate inter decidendum ferantur, neque tanta vis expostuletur ad ipsa sustinenda.

659. Jam unde liquoribus obveniat vis ista sustinens haud inutile erit ante omnia investigare. Nempe quum corpus in fluidum immittitur, tantumdem fluidi sursum attollitur, quantum postulatur ad replendum locum à corpore occupatum; neque enim corpus descendere potest, nisi fluidum ipsis cedat locum suum. Jam autem ad hanc fluidi quantitatem extra locum, ex quo expulsa fuit continendam aliqua vis requiritur, quæ alia esse non potest, quam ipsius corporis solidi gravitas tendens deorsum. Unde quemadmodum corpus demersum quamdam fluidi partem sursum propellit, propulsam vero vi suæ gravitatis detinet extra locum suum, ita vicissim pars ista fluidi reagendo pondus ipsius corporis sustinet interdum pro parte, interdum vero in totum.

660. Sed fortasse non satis intelligitur, qua ratione corpus in fluidum immisum, & pars illa fluidi, quæ sus-

sursum propulsa locum corpori cessit agere possint in se mutuo ita, ut unius actio alterius reactione contraria destruatur: videtur enim id fieri non posse ex eo quia tam fluidum, quam corpus gravitatibus suis tendunt deorsum. Et profecto sic se res haberet, nisi fluida peculiarem, sibiq; propriam affectionem haberent prementi non modo sursum deorsum, verum & deorum sursum, & undequaque; quemadmodum superiori Capitulo demonstratum est: hinc enim sit ut quamquam grave corpus demersum premat deorsum, tamen pressio illa mediante fluido interjecto tendat pariter sursum. Quae propter corpus demersum, & pars illa fluidi, quæ sursum propulsa locum cessit corpori demerso agere optimè possunt in se invicem: agunt autem mediante fluido interjacente, veste velut interpolito.

661. Unde modo intelligitur causa illius renixus, quem experimur, quum tignum, aut corpus aliud leve altissime in aquam immittere conamus. Oritus renixus iste ex eo, quod tignum aquæ immergendo cogimus ipsius aliquam partem ad ascensum, cujus quidem partis pondus nos ipsi tigno mediante sustinere debemus: itaque quo altius tignum immittimus, eo maiorem renixum experimur: crescit enim renixus cum quantitate aquæ sublatæ, quæ locum cogitur cedere tigno descendenti.

662. Atque hinc modo nullo negotio definietur vis fluidorum ad sustinenda corpora diversa comparata. Ex dictis enim liquet vim istam æquipollere semper debere ponderi ejus fluidi portionis, quæ sursum propellitur, quæque locum cedit corpori demerso. Ut ecce si corpus cubicum sesquipedale demergatur dimidium, aliz vero medietate extet supra aquam, vis ab aqua exercita ad hujusmodi corpus sustinendum erit librarum 54; nam vis ista æquivalet tribus quartis partibus pedis cubici aquæ marinæ: experientia autem edocti scimus singulos pedes cubicos aquæ marinæ ponderare libras septuaginta duas.

663. Sed in corporibus innatantibus eadem vis proportionalis quoque erit ipsorum corporum ponderi:

nam

nam quum solidum in liquidum immittitur , profecto quod luget cum vi liquidi sustinente est ipsum solidi pondus ; adeoque quum corpus liquido innatet totum pondus corporis innatantis æquilibrium debet cum vi liquidi sustinente . Sic in superiori exemplo pondus corporis cubici sesquipedalis medietate una extantis supra aquam erit librarum 54 : totidem enim librae in compertimus esse vim aquæ marinae ad istud corpus sustinendum.

664. Elegans ista corporum liquoribus innatantium proprietas , nempe quod pondera ipsorum æquilibrentur cum vi sustinente fluidorum , ad densitates ipsorum fluidorum investigandas potest usui esse . Nam si idem solidum in duo liquida immissum ad eamdem prorsus altitudinem demergitur , eadem erit dentitas utriusque liquidi : quod si vero immergatur ad altitudines diversas , diversæ pariter erunt dentitates liquidorum , illud quod densius erit , in quo solidum ad minorem altitudinem demergitur . Cognoscetur autem densitatum ratio , si accuratissime metiantur partes ejusdem corporis in diversis fluidis demersæ : nam inversa ratio hujusmodi partium demersarum dabit rationem densitatum . Quod ut ostendamus memoria recolendum est pondus corporis innatantis æquilibrium semper cum vi fluidi sustinente : quo circa quum idem sit pondus corporis utriusque fluido incumbentis , eadem quoque erit vis exercita ab utroque fluido ad istud corpus sustinendum ; atque adeo pondera earum utriusque fluidi portionum , quæ locum cesserunt corpori demerso erunt æqualia . Sed quum pondera duorum corporum æqualia sunt , densitates servant rationem voluminum inversam : (ut enim suo loco demonstrabitur pondera quantitatibus materiæ adæquate correspondent) volumina autem in hoc casu sunt ipsæ ejusdem corporis partes demersæ , quæ locum à fluidis reliquit subtinerunt ; itaque ut se habet densitas unius fluidi ad densitatem alterius , ita vicissim erit pars corporis demersa in isto fluido ad partem ejusdem corporis demersam in illo .

665. Sed in corporibus descendentibus haud quidem totum

totum descendens corporis pondus aequilibratur cum vi fluidi sustinente, sed tantum aliqua pars ipsius; reliqua autem pars compellit illud ad descensum. Quod ut rectius intelligatur, sciendum corpora solida, quae in liquida immittuntur aut ipsis liquidis specifice esse leviora, aut esse specifice graviora, aut denique gravitate sua specifica liquidorum gravitatem adæquare. Primo casu corpus non modo deorsum non descendet, sed neque etiam totum demergetur: neque enim ad hujusmodi corpus sustinendum requiritur aequale liquidum volumen, sed minus; quantum autem est volumen liquidum æquipollentis, tantumdem corpus debet demergi. Quin immo si hujusmodi corpora vi superne illata altius in liquidū immittantur, ita ut maiorem ejus quantitatem cogant ad ascensum, sublata illa vi statim propellentur sursum ab eodem liquido, cuius major est conatus descendendi deorsum. In tertio casu corpus neque etiam descendet deorsum, totum tamen demergetur: nam ad hujusmodi corpora sustinenda aequale liquidum volumen postulatur. Unde ratio peti potest quare corpora ista manent immota ad quamcumque altitudinem demergantur: nam existente eorum densitate eadem cum densitate fluidi circumambientis, eadem quoque erit utrorumque vis, atque efficacia: quocirca quemadmodum singulæ liquidum partes suapte natura quiescunt, ita quoque quiescere debent solida illa, quæ gravitate specifica fluidorum circumpleteuentium gravitatem adæquant.

666. At in casu secundo, in quo gravitas specifica solidi major supponitur, solidum non modo totum demergetur, verum etiam descendet ad maximam, ad quam potest altitudinem: enim vero aequale liquidum volumen non cum toto solidi pondere, quod majus supponitur, aequilibratur, sed cum ejus quadam portione: quapropter vis liquidi sustinens neque etiam cum toto pondere aequilibrabitur, sed cum ejus quadam parte, reliqua vero pars impellet corpus ad descensum. Quemadmodum autem pars ponderis, quæ luctat cum vi fluidi sustinente adæquat pondus specificum fluidi.

ita

Ita pars reliqua , quæ cogit corpus ad descendendum
æqualis est excessui ponderis solidi supra pondus spe-
cificum fluidi.

667. Corpora ergo in fluidis descendantia non om-
nem exercent gravitatem suam , sed partem : reliqua
vero pars consumitur ad continendum extra locum
suum æquale liquidi volumen , quæ idcirco tantum
potest , quantum potest & illud . Unde duo corpora
densitatis quantumvis diversæ si sunt ejusdem volumi-
nis æqualem gravitatem in eodem liquido amittere de-
bent ; si vero sunt voluminis diversi , illud majorem
partem ponderis amittat necesse est , cuius majus est
volumen , eoque majorem , quo majori volumine do-
natum est .

668. Hinc si eodem manente ponderis volumen
corporis augeatur vel minuatur , augebitur etiam , vel
minuetur pars ponderis à corpore in fluido amissa :
unde ratio peti potest , quare nonnulla corpora sub cer-
to volumine tota demergantur , atque descendant , sub
majore vero volumine fluctuant , innatentq; liquoribus:
ut æs rude demergitur ; sed concha ex eodem ære
elaborata fluctuat : similiter massa vitrea altissime de-
mergitur in aqua: sed amphora ex eodem vitro confata
aque innatet . Atque hinc etiam petenda ratio est ,
quare corpora animantium statim atque in aqua suffo-
cata sunt , descendant , deinde vero post aliquod inter-
vallum temporis ex aqua emergant : crescit enim ipsorum
corporum volumen eodem remanente pondere .
Ex eodem pariter fonte repetenda ratio est quare gla-
cies , quæ nihil aliud est , quam aqua frigoris vi rare-
facta , innatet ipsi aquæ ; pariterque quare oleum vi
ejusdem frigoris densatum in oleo liquido demergatur.
Denique liquet quare pisces nonnulli vessiculas quas-
dam aere plenas à natura fortiti sint ; ut scilicet ex ea-
rum constrictione , vel dilatatione , quæ spontanea effe-
videtur possint pro lubitu vel ad imum descendere ,
vel eructare ad summum .

669. Neque his omnibus adversatur experientia , à
qua edocemur primo majus esse pondus ejusdem cor-
poris

poris in vacuo Boyliano, quam in aere, majus in aere, quam in aqua communi, & majus in hac, quam in aqua marina. Secundo edocemur extingui in vacuo Boyliano æquilibrium, quod habebat locum in aere inter duo corpora densitate longissime discrepantia, veluti inter aurum, & suber, vel spongiam, ita ut illud, quod majus habet volumen alteri præponderet; scilicet quia in aere majorem ponderis partem amittit corpus majori volumine donatum, quam corpus donatum volumine minori. Et tertio denique edocemur extingui in aqua æquilibrium, quod habet locum in aere inter duo corpora densitatis diversæ, veluti inter aurum, & stannum, ita tamen ut corpus illud quod minori volumine donatum est alteri præponderet; scilicet quia in aqua majorem ponderis partem amittit corpus majori volumine donatum, quam corpus donatum volumine minori.

670. Quemadmodum autem per immersionem ejusdem solidi in diversa liquida eorum densitates deteguntur, ita vicissim per demersionem corporum solidorum in idem liquidum eorum densitates explorantur. Amitunt enim, uti vidimus, solida in eodem liquido demessa partem ponderis volumini proportionalem, ita ut corpus duplo, aut triplo majoris voluminis duplo vel triplo majus pondus amittat: quapropter explorata ponderum jaætura, illico habebitur ratio voluminum. Jam vero quum ponderum, sive materiæ quantitatum, quibus pondera proportionalia sunt, ratio componatur ex directa ratione voluminum, & directa ratione densitatum; ratio densitatum componetur ex directa ponderum ratione, & inversa voluminum: quo circa divisis ponderibus corporum per volumina illico habebitur ratio densitatum. Ad investigandas ergo densitates corporum duo cognoscantur oportet, pondera scilicet, & volumina: & pondera quidem explorari possunt operacuratisimæ bilancis: volumina vero, uti dictum est, cognoscuntur per jaæturas ponderum factas à corporibus in unum idemque liquidum submersis.

671. Cæterum ea, quæ hæcenus demonstrata sunt possunt & brevius, & luculentius ex pressione fluidorum

rum universali sic aliter inferri. Quando corpus aliquod durum corpore fluido undique ambitur, illud ab eodem fluido undequaque prematur necesse est; nempe *primo* sursum deorsum, *secundo* deorsum sursum; & *tertio* denique secundum omnes partes transversas. Sed pressiones transversæ hic negligi possunt; quum enim eæ sequales sint, & contrariae, adeoque se mutuo destruant, quamquam corpora iis urgeantur manebunt tamen immota. Itaque considerandæ tantum sunt pressiones binæ, quarum una tendit sursum deorsum, alia vero tendit deorsum sursum. Jam vero pressio tendens sursum deorsum oritur à columna fluidi, quæ habens pro basi superficiem corporis superiorem ad supremam partem ejusdem fluidi porrigitur: pressio autem tendens deorsum sursum oritur à columnâ ejusdem fluidi, quæ habens pro basi superficiem corporis inferiorem ad supremam etiam partem ejusdem fluidi porrigitur: itaque quum posterior columnâ priori longior sit, sequitur pressionem deorsum sursum tendentem aliquanto potentiores esse pressione, quæ tendit sursum deorsum: tanto autem est potentior, quantum pressionis oriri potest ab ea fluidi quantitate, quæ in locum corporis duri subire posset: nam columnarum differentia ab ipso corpore duro occupatur.

672. Hinc si quidem ponamus corpora fluidis demersa omni pondere esse destituta, quoniam ea magis premuntur deorsum sursum, quam sursum deorsum semper superiora petent; vis autem adscendendi tanta erit, quanta oriri potest à pressione ejus corporis fluidi quantitatis, quæ corporis duri locum posset occupare. Nunc vero quoniam omnia corpora gravia sunt, eorum pondera nonnihil minuentur in fluidis, tantoque evadent leviora, quantum est pondus fluidi, cuius volumen æquale est volumini illorum. Sed hic tres casus distinguendi sunt. *Primus* casus est quum gravitas corporis duri adæquat gravitatem specificam fluidi, hoc est adæquat gravitatem tantæ molis corporis fluidi, quanta est moles ipsius corporis duri; gravitates enim corporum specificæ considerantur sub eodem volume.

Secun-

Secundus casus est quum gravitas corporis duci major est gravitate specifica corporis fluidi. Et denique *tertius* casus est si gravitas corporis duri minor est gravitate specifica corporis fluidi. Priori casu corpus durum totam suam gravitatem amittet in fluido, adeoque fiet indifferustum ad ascendendum, quum ad descendendum: sibiq; idecirco reliquum omni in loco quiescat. Secundo casu corpus durum non amittet in fluido integrum suam gravitatem, sed partem aliquam retinebit. Denique tertio casu corpus durum non modo integrum pondus suum amittet, sed sursum etiam propelletur. Ex quibus iterum adparet quare nonnulla corpora quiescent ubique in mediis aquis, alia descendant, alia deinceps sua sponte adscendant.

673. Amittunt ergo corpora solida fluidis demersa partem ponderis proprii, eaque pars proportione correspondet volumini ipsius corporis solidi: Recete Newtonus: *Corporum in fluidis constitutorum duplex est gravitas, altera vera, & absoluta, altera adparens, vulgaris, & relativa. Gravitas absoluta est vis tota, qua corpus deorsum tendit: relativa, & vulgaris est excessus gravitatis, quo corpus magis tendit deorsum, quam fluidum ambiens. Prioris generis gravitate partes fluidorum, & corporum omnium gravitant in locis suis: ideoque conjunctis ponderibus componunt pondus totius: nam totum omne grave est, ut in vasis liquorum plenis experiri licet; & pondus totius equale est ponderibus omnium partium, ideoque ex iisdem componitur. Alterius generis gravitate corpora non gravitant in locis suis, id est inter se collata non prægravant, sed mutuos ad descendendum conatus impedientia permanent in locis suis, perinde ac si gravia non essent. Quæ in aere sunt, & non prægravant vulgus gravia non indicat: quæ vero prægravant vulgus gravia indicat, quatenus ab aeris pondere non sustinentur. Pondera vulgi nihil aliud sunt, quam excessus verorum ponderum supra pondus aeris: unde & vulgo dicuntur levia, quæ sunt minus gravia, aerique prægravanti cedendo superiora potant: comparative leviasunt, non vere, quia descendentes in vacuo. Sic & in aqua corpora,*

pora, quæ ob maiorem, vel minorem gravitatem descendunt, vel adscendunt sunt comparative, vel adparenter gravia, vel levia, & eorum gravitas, vel levitas comparative, & adparens est excessus, vel defectus, quo vera eorum gravitas vel superat gravitatem aquæ, vel ab ea superatur. Quæ vero nec prægravando descendunt, nec prægravanti cedendo adscendunt, etiam si veris suis ponderibus adaugeant pondus totius, comparative tamen & in sensu vulgi non gravitans in aqua.

674. Inquitendum modo est num ea ponderis pars, quam corpora dura in fluidis amittunt prorlus intereat, an vero, quod videtur verisimilius, fluidis ipsis addatur. Et quidem fluidis addi constat ex eo, quod pondus vasis aqua pleni augeatur non modo ex corpore leviori aquæ supernatante, verum etiam ex corpore graviori, quod aquæ demersum filo suspenditur ne decidat in fundum: nam in priori casu integrum pondus corporis supernatantis additur aquæ: in casu vero posteriori pars ponderis sustinetur à filo, pars vero reliqua sustinetur ab aqua, ipsique idcirco aquæ superadditur: tantum autem ponderis ei superadditur, quantum est pondus æqualis liquidi voluminis.

675. Finge nunc filum, à quo corpus liquido gravius sustinebatur illico abscondi: & jam corpus nullo amplius fili impedimento detentum descendet versus fundum vi illa, qua filum trahebatur, hoc est excessu ponderis specifici corporis supra pondus fluidi specificum. Vim vero istam reliquam corporis descendantis haud quidem putandum est fluido superaddi, sed potius credendum est eam impendi ad descendendum versus fundum; quem quum tetigit, tunc totum: pondus ipsis accedere credendum est ad pondus vasis, partem scilicet unam ad aquam, à qua sustinetur, partem vero reliquam ad fundum, cui innititur. Probari id potest sequenti experimento. Sit bilanx AB (Fig. 78.) de qua ex parte A pendeat pondus C, ex parte vero B pendeat longior tubus DE aqua plenus; atque in ea demersus sit globus plumbeus F alligatus filo GF, qui etiam pendeat de loco B: sitque bilanx æquibrata. Hic tota gra-

gravitas globi F agit in bilancem; etenim ipsius pars una superadditur aquæ, pars vero altera sustinetur à filo. At rescissio filo ita ut globus descendat versus fundum, observare licet corpus C præponderate tubo DE, qui idcirco extollitur. Neque mirum: dum enim globus P descendit, pars ea gravitatis, quæ ipsum sollicitat ad descensum non agit in bilancem. Restituitur autem æquilibrium postquam globus fundum terigit.

676. Hujus doctrinae adjumento explicari potest celebre illud phænomenon, quod superioris ævi Philosophos omnes excitavit, scilicet cur aer decidente pluvia aliquanto levior sit, quam quando cælum sudum est, vel nebulosum. Res comperta est per tubi *Torriceillianæ* observationes: in eo enim quum mercurius ut plurimum consistat ad gradus 28, observatum nihilominus est illum decidente pluvia semper aliquantulum deprimenti; quod quidem non fieret, nisi atmosphæra inter imbræ levior evaderet. Et sane decidente pluvia sit levior atmosphæra, quia non totum vaporum decadentium pondus superadditur aeri, ut fiebat tunc, quum illi suspendebantur in aere; sed pars tantum accedit ad atmosphæram, pars vero impeditur ad decadendum deorsum; itaque ea parte, quam vapores impendunt ad descendendum, atmosphæra levior evadens non mirum est si mercurius ad aliquanto minorem altitudinem descendat.

677. Res digna est ut exemplo aliquo illustretur, Sphæra concava, sive intus vacua ex vitro elaborata si prægrandis est, innatæ aquæ: æquale enim aquæ volumen gravius est pondere sphæræ vitreæ. At si concavitas sphæræ paulatim minuatur, ejusque idcirco crassities sensim adaugeatur, accidet primo, ut gravitates specificæ aquæ, & sphæræ vitreæ æquales reddantur, tum vero ut gravitas specifica sphæræ superet gravitatem specificam aquæ; ex quo tempore ea incipiet sua sponte deorsum descendere. Primo autem, & secundo casu tota gravitas sphæræ vitreæ accedit ad aquam, à qua sustinetur: in tertio vero casu pars tantum gravitatis ipsius superadditur aquæ; reliqua enim ad descend-

Cc

den-

dendum consumitur. Non diffimiliter itaque quando cœlum sudum est, vel nebulosum vapores vel in subtillisimas partes divisi, vel in nubem collecti specificè leviores erunt aere ipso; aliter enim deorsum forent decasuri; itaque totum pondus iHorum accedit ad aërem, qui idcirco tunc gravior erit. Sed fac deinde vapores eo usque cœruisse ut sustineri ab aere amplius non possint: jam iij quum descendere incipient partem tantum ponderis sui cum aere communicabunt, reliquam partem impendent ad descendendum: itaque necesse est aerem tunc leviores evadere.

678. Quæ haq[ue]nus exposita sunt usui esse possunt ad justa navium onera accuratissime definienda. Sed primum admonere oportet navem justo onere gravata illam intelligi, cujus tota carina latet sub undis: quapropter quemadmodum navis ultra carinam demersa plus æquo gravata esse dicitur, ita navis, cujus carinæ pars quædam extat supra aquam levius, quam par est onusta creditur; quo casu si mercium copia non suffpetat onus submersa erit compensandum.

679. His positis videamus qua ratione definiri possint justa pondera navium. Id fieri potest per accuratam mensuram ejus carinæ partis, quæ extat supra aquam, quum navis penitus exonerata est: justum enim navis pondus erit idem cum pondere tantæ molis aquæ marinæ, quantam capere potest capacitas carinæ extantis. Ut ecce si pars carinæ extans capax sit duum millium doliorum, justum navis pondus erit totidem doliorum; sive duabus millibus librarum singulis doliiis attributis, justum navis opus erit quatuor millionum librarum.

680. Sed advertendum est naves, quæ à mari ad fluvios transitum facere coguntur, aut levius onerandas esse, aut antequam ingrediantur ostia fluviorum pro parte esse exonerandas, ad effugientum nempe demersionis periculum. Nempe aqua marina nonnihil gravior est aqua fluviali; ideoque major est illius vis ad naves sustinendas, quam istius: & quoniam pondus aquæ marinæ ad pondus aquæ fluvialis est circiter ut

INSTITUTIONUM LIB. I. 40;
47 ad 46, erit etiam justum navis onus in mari ad ju-
stum ejusdem onus in fluminibus circiter ut 47 ad 46.

CAPUT SEXTUM.

*De percussione fluidorum adversus planas cor-
porum, quæ per ipsu fluidu moventur
superficies; & de præcipuis hujus
percussionis affectionibus.*

681. Si corpus quodcumque A cum data velocitate
in corpus alterum quiescens B incurrat, ei-
dem erit ictus, sive percussionis magnitudo, si vicissim
corpus A quiescat, corpus vero B adversus ipsum fer-
atur cum æquali velocitate. Enim vero si supponamus
utrumque corpus A, & B motu communis rectilineo, &
æquali motui ipsius corporis A ferri vicissim ex B ver-
sus A, non idcirco mutabitur ictus, sive percussionis
magnitudo. Axiomatis enim loco est apud Mechanicos
motum communem, & rectilineum corporibus im-
presum nihil prorsus officere motibus prioribus. Unde
quum corpus A auctum duplice motu æquali, & contra-
rio in eodem semper loco permaneat; corpus autem B
moveatur contra corpus A cum ea velocitate, quam
idem corpus A habuisset, si nihil motus communis ad-
ditum esset: sequitur eamdem fore ictus magnitudinem
sive corpus A occurrat corpori quiescenti B, sive vicis-
sim corpus B cum eadem velocitate feratur contra cor-
pus quiescens, & immotum A.

682. Jam corpus non potest per fluidum aliquod
moveri, nisi singulis momentis ipsum percutiat, & vi-
cissim ab eo percutiatur. Itaque sive tñgamus corpus
moveri per fluidum quiescens, sive vicissim fluidum
æquali velocitate, sed contraria directione in ipsum
corpus quiescens, & immotum irruere ponamus, eadem
prorsus erit percussionis magnitudo. Quocirca in defi-
niendis ictuum quantitatibus, quas corpora plana per

C c 2 liqui-

liquida mota ab ipsis liquidis excipiunt, considerabis
mus corpora tamquam quietentia, liquida vero putar-
bimus moveri motu æquali, & contrario ei, quo ipsa
corpora moventur. Hoc enim commentum quemadmo-
dum nihil prorsus detrahit percussionis quantitati, ita
ad ipsius percussionis leges facilius detegendas non pa-
rum conducit.

683. Ut autem à percussione fluidorum directa ini-
tium capiamus, sciendum est ictum, quæm excepit da-
tum planum à fluido datæ densitatis perpendiculariter
in ipsum irruente esse ut quadratum sua velocitatis.
Enim vero hujusmodi ictus proportionalis est momen-
to fluidi illabentis: adeoque quæm momentum cuius-
cumque corporis sit conjunctim ut velocitas, & qua-
ntitas materiae, sive etiam ut velocitas, volumen, & den-
sitas ipsius, sequitur ictum fluidi perpendiculariter in
datam superficiem irruentis esse conjunctim, ut se habet
velocitas, volumen & densitas ipsius: sive ob datam
densitatem, ut velocitas, & volumen. At vero volumen
fluidi dato tempore illabentis in superficiem datam est
ut velocitas ipsius: etenim quo majori velocitate fluidum
movetur, eo major est numerus particularum su-
perficiem datam dato tempore impellentium: Itaque
ictus fluidi erit ut velocitas semel, & velocitas iterum,
sive etiam ut quadratum velocitatis.

684. Quod si densitas fluidi data non sit, tunc
ictus quantitas erit conjunctim ut *densitas fluidi, & quadratum sua velocitatis*. Est enim ictus quantitas
ut momentum fluidi illabentis, sive conjunctim ut ve-
locitas, volumen, & densitas ipsius: unde quia volu-
men sequitur rationem sua velocitatis: etenim quo
majori velocitate fluidum movetur, eo majus est volu-
men ipsius, quod dato tempore irruit in superficiem
datam; erit ictus quantitas ut densitas semel, & ve-
locitas bis, sive conjunctim ut densitas, & quadratum
velocitatis.

685. Denique si neque etiam superficies, in quam
irruit fluidum data sit, tunc ictus magnitudo erit con-
junctim ut *superficies, densitas, & quadratum velocita-
tis*.

tis. Nam si superficies quævis aliquem excipiat ictum, superficies duplo, vel triplo major duplo, vel triplo majorem ictum cæteris paribus excipiet. Unde si duo fluida æque densa diversis cum velocitatibus incurvant perpendiculariter in duas superficies inæquales, ictus quantitates erunt in ratione composita ex simplici ratione superficierum, ex simplici densitatu, & ex ratione velocitatum duplicata: & propterea velocitatibus eorum factis æqualibus ictum quantitates erunt in ratione composita ex simplici superficierum, & simplici densitatum ratione.

686. Ponamus deinde fluidum non jam perpendiculariter, sed oblique in superficiem aliquam incurtere: Hoc easu superficies ictum quidem minorem, sed etiam perpendiculari excipiet. Sit enim AB (Fig. 79.) superficies plana, in quam irruat fluidum velocitate, & directione obliqua CD: dico ictum fluidi adversus superficiem AB fieri secundum lineam perpendicularrem ad ipsam AB. Demittatur enim ex puncto C perpendicularis CE, & compleatur parallelogrammum CEDF: & jam velocitas fluidi illabentis si representetur per rectam CD, ea per notissimam velocitatum resolutionem dividetur in duas laterales CE, CF, quantum altera perpendicularis est ad planum AB, altera vero est eidem planu parallela: unde fluidum irruens in planum velocitate, & directione CD idem praestabit, ac si irrueret in idem planum velocitate duplice, quantum directiones, & quantitates sunt CE, & CF. Jam vero fluidum impellit quidem planum velocitate perpendiculari CE, non vero velocitate CF, utpote quæ planu est parallela; Itaque ictus, quem excipit superficies AB à fluido irruente secundum directionem oblique quam etiam fit secundum directionem perpendicularrem ad ipsam superficiem.

687. Quapropter si fluidum incurrat in planum aliquod perpendiculariter, siue incidat in illud oblique, semper ictus fiet secundum directionem perpendiculararem: cum hoc tantum discriminé, quod ictus fluidi perpendiculariter illabentis major est ictu ictu-

ruentis oblique. Est enim prior ictus ad posteriorem ut quadratum radii ad quadratum sinus anguli inclinatio-
nis: quod ut demonstretur præmitenda sunt Theore-
mata sequentia. I. si fluidum data cum velocitate inci-
dat oblique in superficiem planam, unus idemque erit
ictus singularium fluidi particularum. II. si fluidum cum
data velocitate irruat oblique in superficiem planam
etiam datam, numerus particularum dato tempore in
ipsam irruentium erit ut sinus anguli inclinationis. Et
III. denique si fluidum cum data velocitate irruat obli-
que in superficiem datam, ictus quantitas erit ut ictus
cujuslibet particulae, & numerus particularum con-
junctim.

688. Jam primum, & tertium Theorema adeo mani-
festa sunt, ut nullam illustrationem requirant: nam pri-
mo singulæ fluidi particulae incident in planum cum
eadem obliquitate, ideoque quantuscumque fuerit ictus
unius particulae, idem erit & cæterarum. Et secundo
ictus totus componitur ex ictibus singularium particu-
larum: quos quum æquales esse constet, erit ictus totus
ut ictus cuiuslibet particulae, & numerus particularum
irruentium conjunctim,

689. Secundum vero Theorema ita demonstratur:
In superficiem AB (Fig. 80.) datae tum longitudinis,
quum latitudinis illabatur cum data velocitate fluidum
quodvis secundum directionem FG, fitque adeo
AGF, vel ABF angulus incidentia: dico numerum
particularum, quæ dato tempore incurrunt in super-
ficiem AB esse ut sinus anguli ABF: sive sumpta recta
AB, quæ data est pro radio, dico prædictum particula-
rum numerum esse ut rectam AE, quæ perpendicularis
est ad fluidi directionem BF. Etenim quum fluidum
illabatur in planum secundum directionem ipsi AE
perpendicularem, profecto quot fluidi particulae con-
tinentur in recta AE, totidem singulis temporis mo-
mentis æqualibus irrent in rectam AB. Unde quia
particulae occupantes longitudinem rectæ AE sunt in
ratione ipsius longitudinis AE, sequitur numerum par-
ticularum dato tempore impellentium superficiem da-
tae

$\tau\alpha$ latitudinis AB esse ut rectam AE, sive ut sinum anguli inclinationis.

690. His positis facile nunc erit ostendere quod ictus alicujus fluidi cum data velocitate adversus superficiem datam perpendiculariter illabentis sit ad ictum irruentis oblique, ut se habet quadratum radii ad quadratum sinus anguli inclinationis: nempe si unum idemque fluidum incidat cum eadem velocitate perpendiculariter quidem in superficiem AC, oblique vero in superficiem aequalem AB, impulsus quem excipit a fluido superficies prior erit ad impulsum, quem posterior superficies excipit ab eodem fluido, ut quadratum radii se habet ad quadratum sinus anguli ABF; sive sumpta AB, aut AC pro radio, ut quadratum rectarum AB se habet ad quadratum ipsius AE.

691. Etenim si recta BE designat ictum perpendiculari uniuscujusque particulae adversus rectam AC, demissa super AB perpendiculari ED, designabit ipsa ED impulsum, quem superficies AB excipit ab unaquaque fluidi particula irruente adversus ipsam secundum directionem FG: adeoque ictus, quem excipit a singulis fluidi particulis superficies AC erit ad ictum, quem excipit ab iisdem fluidi particulis superficies aequalis AB ut se habet BE ad ED, sine etiam propter triangula BDE, BAB similia ut BA ad AE. Jam vero per Theorema III. totus ictus quem excipit ab illabentis fluido superficies AC est ad totum ictum, quem excipit superficies AB coniunctim ut ictus cujuscumque particulae irruentis adversus AC ad ictum ejusdem particulae irruentis adversus AB, & numerus particulorum illabentium adversus AC ad numerum particulorum eodem tempore illabentium adversus AB. Itaque erit impulsus fluidi adversus AC ad impulsum fluidi adversus AB coniunctim ut BA ad AE, & numerus particularum illabentium adversus AC ad numerum particularum eodem tempore illabentium adversus AB. Quapropter quum per Theorema II. numerus particularum illabentium adversus AC sit ad numerum particu-

larum illabentium adversus AB ut AC, sive AB ad AE; erit impulsus fluidi adversus superficiem AC ad impulsu ejusdem fluidi adversus superficiem AB in ratione composita ex AB ad AE, & ex AB ad AE; atque adeo erit ut AB quadratum ad AE quadratum.

692. Itaque ictus, quem excipit data superficies à fluido datae densitatis, & cum data etiam velocitate irruentis est ut quadratum sinus inclinationis: ex quo patet maximum ictum, quem data superficies excipere potest, tunc contingere, quum fluidum irruit perpendiculariter; nam quum irruit oblique ictus evadit minor, eoque minor, quo major est obliquitas incidentia. Quapropter si planum moveatur per fluidum secundum sui longitudinem, aut etiam secundum sui latitudinem, nullum prorsus excipiet impulsum: angulus enim incidentia eo calu evanescit.

693. Quod si superficies ictum excipiens data non sit, eo casu ictus magnitudo erit conjunctim ut *superficies, & quadratum sinus anguli incidentia*: nam ictus crescit in ratione superficie, ita ut superficies duplo, vel triplo majora duplo, vel triplo majorem ictum excipiat. Quod si neque etiam velocitas fluidi illabentis detur, tunc ictus magnitudo erit ut *superficies, quadratum sinus anguli inclinationis, & quadratum velocitatis conjunctim*. Vidimus enim vim alicujus fluidi absolutam esse ut quadratum sue velocitatis. Et denique si neque etiam densitas fluidi data sit, eo casu impulsus exceptus à superficie plana erit ut *superficies, ut quadratum sinus anguli inclinationis, ut quadratum velocitatis, & densitas conjunctim*.

694. Quapropter si in duo plana inæqualia irruant oblique diversis cum velocitatibus duo fluida inæqualiter densa, ictus quantitates erunt in ratione composita ex simplici ratione superficierum, ex duplicita sinuum angularium inclinationis, ex duplicita velocitatum, & ex simplici denique densitatum ratione: adeo ut si ictuum quantitates designentur per I, & i, plana per P, & p, sinus angularium incidentium per S, & s, velocitates

citates fluidorum per V , & μ , & densitates denique eorumdem fluidorum per D , & d , erit I ad i , ut PS^2V^2D ad $ps^2\mu^2d$.

695. Atque his legibus continetur percussio fluidorum sive directa, sive obliqua facta adversus superficies corporum planas ; contra quas illabuntur . Longe diversi sunt impulsus, quos excipiunt superficies corporum curvæ, ut sunt superficies navium: in earum enim singula elementa fluidum non eadem, sed diversis obliquitatibus incidit . Interim si unamquamque superficiem curvam certa quadam , & constanti ratione divisioni intelligamus in partes infinitas, & infinite parvas, nihil vetat, quin unaquæque ipsarum habeatur tamquam plana : quapropter fluidum in singulas illas partes incident eadem prorsus obliquitate : atque adeo impulsus, quem unaquæque ipsarum excipit à fluido erit ut ipsa pars excipiens impulsum, & quadratum sinus anguli inclinationis . Unde ad inveniendum impulsum, quem superficies curva excipit à fluido satis erit invenire, qua ratione designetur generaliter impulsus, quem singulæ partes excipiunt ab eodem fluido : nam summa omnium impulsuum mediante *Calculo integrati* determinanda dabit impulsum totum .

CAPUT SEPTIMUM

De Tubis capillaribus ; deque præcipuis eorum phænomenis .

696. **Q**uamq[ue]am liquorum illud sit accidens præcolum, ut ad eamdem altitudinem in tubis communicantibus consistant ; tamen, ut supra adnotatum est, id non est verum nisi quum iij vel in vasis amplissimis continentur, vel etiam in fistulis æqualibus : in fistulis enim inæqualibus liquores ad inæquales altitudines conscedunt, altius scilicet in angustioribus, minus alte in amplioribus fistulis . Itaque Theorema illud hydrostaticum, quod

quod postulat, ut fluida in tubis communicantibus eleventur ad æqualem altitudinem exceptionem patitur in gracilioribus tubis, quos *Capillares* appellant. Neque vero diu est, ex quo eruditis innotuit isthac exceptio: nam superiori seculo, quum *Pascalius* de *æquilibrio liquorum* commentatur, nihil prorsus hujus rei compertum erat. Sed deinde quum de hoc tam miro phænomeno apud plures simul expolitissimas gentes differi cœptum esset, id effecit, ut incertum manferit cui prima inventionis laus esset adscribenda. Nam *Galli*, *Italique* observationis decus certatim sibi vindicarunt.

697. Sunt autem tuborum capillarium phænomena & multiplicita, & admiranda, quorum præcipuum est, quod tubi capillares aquæ, vel alteri cuivis liquori admoti rapiunt eos sursum ad majorem, vel ad minorem altitudinem, impetuque majori vel minori, pro ut ipsi tubi capillates longiores sunt, vel breviores, angustiores, vel ampliores. Quocirca in phænomenis tuborum capillarium duo occurunt consideranda. I altitudo, ad quam liquores in ipsis adscendunt. II impetus, cum quo iidem liquores sursum rapiuntur.

698. Ut exordiamur ab altitudine, sciendum est omnium tuborum ejusdem amplitudinis eum rapere aquam, vel alium quemvis liquorem ad majorem altitudinem, qui longior est; non tamen in ratione altitudinis, sed in minori altitudinis ratione. Etenim tubus æque amplius sed duplo, vel triplo longior non rapit aquam ad altitudinem duplo vel triplo majorem, sed ad altitudinem paullo minorem. Et quamquam dubitandum non sit, quin natura ut in cæteris, ita in hac quoque re certam, constitutamque legem servet, tamen non adhuc innotuit Philosophis, quæ sit hujusmodi lex, quamquam altitudinum phænomena diligenter expondere curaverint.

699. Sciendum est præterea omnium tuborum ejusdem longitudinis eum rapere aquam, vel alium quemvis liquorum ad majorem altitudinem, qui angustior est, cum hac lege ut *altitudo semper sit ut tubi capacitas*.

tas reciprocē : nam tubis ejusdem longitudinis, sed du-
plō vel triplo angustior aquam ad duplo vel triplo ma-
jorem altitudinē attollere deprehenditur. Ex quo facile
infertur quantitates aquæ, quas tubi æque longi, sed
inæqualiter ampli rapiunt in se esse reciprocē ut sunt
altitudines, ad quas ipsa aqua attollitur in utroq; tubo.
Sunt enim aquæ quantitates cylindri duo basium inæ-
qualium, atque altitudinum quoque inæqualium, sed
in quibus altitudines sunt reciprocē ut diametri tubo-
rūm, seu in quibus quadrata altitudinū sunt ut eorum
bases reciprocē. Itaq; quum cylindri rationem habeant
compositam ex altitudinibus & basibus, adeoque sint
inter se direcētē ut altitudines, & inverse ut quadrata
altitudinū, sequitur ipsas aquæ quantitates fore in-
ter se direcētē ut altitudines, & inverse ut quadrata ea-
rūdem altitudinū : Et quoniam componendo alti-
tudines direcētē cum quadratis earūdem altitudinū
inverse prodit ratio altitudinū simplex inversa, li-
quet quantitates aquæ esse inter se reciprocē ut altitu-
dines. Unde quamquam tubus æque longus, sed angu-
stiōr ad majorem altitudinem aquam rapiat, tamen mi-
norem aquæ quantitatem sultinet.

700. Præter hæc, sunt & alia phænomena minus
 generalia, quæ paritet operæ pretium est cognoscere.
 Veluti si tubos aliquis capillaris cūjuscumque longitu-
 dinis perpendiculariter ad aquam insistens attrahit
 aquam ad altitudinem pollicum septem ex.gr. vel octo,
 vel decem, is deinde quamquam oblique insistat ad
 aquam, nihilominus attrahet illam ad eamdem pro-
 fus altitudinem perpendicularē: adeoque tubo ad ta-
 lem inclinationē composito, ut ejus orificium supe-
 riū septem vel octo, vel decem pollicibus, vel aliquan-
 to minus emineat supra aquam, is ut ut longissimus,
 totus implebitur.

701. Præterea si tubus capillaris longissimus, qui
 attrahit aquam ad altitudinem pollicum septem, vel
 octo, vel decem sinuetur in plura brachia verticalia;
 ita tamen ut brachium longius pollices septem, vel
 octo, vel decem non superet, non universus implebitur.

702. In-

702. Insuper si tubus aliquis capillaris ita inflexatur, ut figuram ABCDE (Fig. 81.) referat, utque ejus altitudo CF minor altitudine, ad quam aqua repetetur, si idem tubus non inflexus recta ad eam insisteret; aqua ingredietur per orificium A, repet ad B, deinde adscendendo perget ad C, tum vero descendet ad D, denique iterum rependo gradietur ad E, quo in loco consistet.

703. Ulterius si tubus aliquis capillaris aquæ admotus certam aquæ quantitatem sustulerit, is ab aqua segregatus, detentusque in aere perpendiculariter nihil aquæ intus contentæ effluere patietur. Sed experimentum contingit, si tubus orificio inferiori aquam vix tingerit: etenim si profundius aquæ demersus sit, major remque idcirco aquæ copiam in se admiserit, tunc detentus in aere perpendiculariter aquam guttatum ejiciet, usque donec ad illam altitudinem pervenerit, ad quam potest eam sua naturali potentia sustinere.

704. Denique si juxta externam superficiem tubi aqua guttatum defluat, ea quum ad inferius orificium pervenerit, sursum per tubi cavitatem sua sponte adscendet. Quæ omnia ut continentur necesse est tubos interne purissimos esse, siccissimosque: si enim gutta vel ceræ, vel adipis interiore tubi cavitatem incraviterit, ita tamen ut ejus cavitas aperta permaneat, eo casu nihil prouersus aquæ concendet in tubum.

705. Cæterum idem tubus non attrahit liquores omnes ad eamdem altitudinem, sed quosdam altius sublevat, quosdam alios minus alte. Quis non crederet liquores specificè leviores altius adscensuros, liquores vero specificè graviores ad minorem altitudinem esse perventuros, attamen experientia contrarium demonstrat: urina enim eti gravissima sit ad maximam altitudinem adscendit: ad altitudinem aliquanto minorem concendet spiritus salis ammoniaci, qui levior est, atque ad longe minorem altitudinem evenhuntur oleum vitrioli, & tartari, quæ adhuc leviora sunt. Ad hæc aqua communis altius attollitur, quam vinum, quamquam hoc illa sit levius. Denique spiritus vini, qui omnium

omnium liquorum levissimus habetur ad minimam altitudinem adscendit.

706. Dicendum est modo de velocitate, cum quae liquores feruntur in tubos capillares. Constat observationibus liquoros eo majori, vel minori velocitate in tubos adscendere, quo ipsi tubi angustiores fuerint, vel ampliores. Sed constat pariter motum liquorum adscendentium haud quidem esse uniformem, sed retardatum. Principio enim est velocissimus: tum minus velox; denique ita est tardissimus, ut oculis discerni nequeat. Cujus retardationis multiplex causa adsignari potest. Primo enim quum liquoros descendant in tubos propter aliquam vim adigentem illos superiora versus, ea in adscendente liquorē eo majorem velocitatem inducat necesse est, quo moles ipsius liquoris adscendentis fuerit minor. Constat enim eamdem vim maiorem velocitatem inducere in corpora minora, quam in corpora majora: Quapropter velocitas liquorum adscendentium initio erit maxima ob parvā molē ipsorum, sed postea minuetur, pro ut crescat columnna liquoris adscendentis. Tum contactus, atque attritus liquoris adscendentis per tuborum angustissimorum cavitates in causa pariter est, ut ejus motus retardetur, Denique ipsa aeris in tubo hospitantis resistentia impedit aliquantulum potest motum liquoris adscendentis.

707. His tuborum capillarium phænomenis adfines sunt attractiones speculorum vitreorum. Si duæ laminæ vitreas conjungantur ad latus unum, ita ut angulum quam fieri potest exiguum contineant inter se, deinde ita conjunctæ intingantur in aquam, ea paulatim adscendet inter hiatum laminarum angularem; non tamen ad eamdem altitudinem, sed ibi altius, ubi laminæ magis divergunt,

708. Hæc sunt præcipua tuborum capillarium phænomena, de quibus tantæ sunt, tamque variæ dissidentium Philosophorum opiniones, ut immensi sane operis esset singulas recensere velle. Tres tamen sunt celebri-

briores explicandi rationes, quæ præteriti omnino non possunt. Qui *primam* explicandi rationem sequuntur, sublidium aeris, vel ætheris invocant: arbitrantur enim fluida ita aliquanto magis premere subiectos liquores extra tuborum cavitates, quam in ipsis cavitatibus, ubi angustiæ aerem, atque ætherem impediunt: itaque quum necesse sit ibi liquores adscendere, ubi minus premuntur, non mirum esse ajunt si tubi capillares liquoribus admoti eos sursum rapere videantur. Satis quidem ingeniose, sed fortasse minus vere. Hac enim causa constituta oporteret, ut liquores eo altius adscenderent, quo minori gravitate specifica donati sunt: nam eadem vis effectum tanto majorem producit, quanto minus oppositionis offendit. Itaque spiritus vini omnium liquorum levissimus altissime deberet adscendere, quum tamen is ad minimam altitudinem consistat: urina autem, quæ aqua longe gravior est ad multo minorem altitudinem concordare deberet, quæ tamen omnium altissime fertur. Præterea si adscensus liquorum penderet ex pressione aeris, vel ætheris, liquores adscendi forent etiam quum interni tuborum parietes cera, vel sebo incrustati sunt, quod tam nequaquam fit.

799. Sed quod ab hujus sententiæ auditoribus affirmatur aerem, vel ætherem magis premere liquores extra tuborum capillarium cavitates, quam intra, id quidem longissime à veritate alienum esse primus ostendit *Georgius Bernhardus Bülfingerus*. Inquisitus enim an omnino liber aeri aditus pateret in tubos capillares, cogitavit id qpe barometri decerni posse, si in vasculi locum substitueretur tubis capillaris, per quem atmosphæra deberet subiectum sibi mercurium premere. Nam si aer trans fistulam capillarem suspendere mercurium posset ad altitudinem consuetam pollicum 29, non utique ab ejus minus libera pressione oriretur elevatio aquæ in tubis capillaribus, sed ab alia causa. Adhibuit itaque tubum paullo longiorem ad instar simplicis barometri recurvi, nisi quod tubus vasculo desinebat in fistulam vere capillarem, & aper-tam,

tam, eumque mercurio impletum quum ad modum barometri erexitset, vidit mercurium, qui in tubo nimius erat guttatum effluxisse è fistula capillari, deinde vero subicitisse ad consuetam altitudinem, aut ea paulo majorem. Vedit præterea altitudinem illam incrementum, vel decrementum subire, pro ut mutabatur gravitas atmosphæræ: quæ quidem arguebant pressionem aeris nihil prorsus debilitari propter tubi capillaris angustiam. Quod si aer in barometro capillari potest suspendere mercurium ad altitudinem consuetam, cur non & in cæteris tubis capillaribus satis sit ad aquæ adscensum cohibendum?

710. Qui secundam explicandi rationem sequuntur adhæsionem aquæ ad vitri latera implorant. Cœpit hæc initium ab Isaaco Vossio, & per Borellum nostrum transiit ad Carreum nobilissimum ejus, atque ingeniosissimum cultorem. Isaacus igitur Vossius in libro de Nili, aliorumq; Fluminum origine ita philologatur. Aquam suapte natura viscosam esse: adhærere illam vitro, & ab eodem sustinere; partem aquæ sic suspensans non premere in aquam subjectam, sed gravare vitrum: patere id quum fistula aquæ mersa iterum extrahatur; neque enim omnem decidere humorem; suspendi à vitro quantam latera valeant sustinere. Aquam igitur in angustioribus fistulis ideo ad surgere, quoniam prima aquæ portiuncula fistulae ingressa quam iam suffineatur à fistula, adeoque respectu portiuncula succedentis pondere careat, ab illa attollatur supra libramentum aquæ ambientis. Quanto minutiiores fuerint fistulas tanto altius aquam adscendere, quia minores plus habeant superficie, & plura puncta contactus pro sua capacitatem, quam maiores, & sic aquam è pluribus sui punctis suspensam tanto facilius suffineant.

711. Hanc eamdem explicandi rationem sestatu quoque est Joannes Alphonsus Borellus nostras, cuius hæc sunt verba: In cavitatibus subtilium fistularum inter nus aquæ contactus grandis est, & amplius respectu illius aquæ moleculæ ibidem existentis: ergo subito ac infimis fistulæ orificiis attingit aquam, efficitur in ejus interna,

¶ aqua

& cava perimetro efficacissimus contactus, à cuius adhæsione fulciri, sustinerique potest majoris pondus, quam habet pusilla aquæ particula insinuata: & ideo gradus prodicatae virtutis suspensivæ, & adhæsionis exercetur in aqua subjecta, & proinde ea reddetur aliquo paclio levis, seu minus ponderosa, quam sit aqua collatoralis libere preueniens: inde autem infert aquam in fistulas elevari ad eam usq; altitudinem, in qua aequilibrium cum aqua collaterali libere premente efficiatur.

¶ 12. Excoluit etiam hanc hypothesim Ludovicus Carreus, qui adhæsionem aquæ ad tubi lateræ probavit primo ex eo quia sebo liquefacto internis tubi parietibus inundatis non adscendit aqua interior ultra libellam aquæ exterioris. Secundo, quia parte una superficiei internæ sic inuncta, aqua ex eo latere non elevatur; elevatur autem ex altero, quo nihil sebi tubulus accepit. Deinde, quia tubo ultra eum locum, ad quem usq; sebo undus est demerso, aqua super libellam adscendere pergit. Quæstiones autem huic argumento consentaneas ita resolvit. Cur aqua non elevatur in superficie tubuli externa, cui non minus adhaerent particulae vitro contigua? Quoniam intra tubum se se mutuo sustentant particulae, sive elevationi suæ adjumento sunt, non item extra tubulum. Cur in fistulis gracilioribus altior est aqua supra libellam elevatio? quoniam vis adhæsionis mensuratur à superficie interna fistularum, & resistentia ex pondere columnarum aquæ contentæ sunt autem haec in ratione duplicata diametrorum cavitatis, illæ autem in simplici ratione diametrorum: itaque superficies amplioris tubi minor est respectu aquæ suæ, minorque ideo vis adhæsionis, ut non mirum esse debat si aqua ad minorem altitudinem elevetur. Quamquam obscurum adhuc restet, quare tubi ampliores cæteris paribus majorem liquoris quantitatem sustinent, quam tubi angustiores: ex hac enim explicandi ratione necessum esset ut tubi ambiores non modo raperent liquores ad minorem altitudinem, sed minorem quoque eorum quantitatem suspenderent: quod falso esse supra demonstratum est. Cur extracto ex aqua

aqua tubulo aqua non effluit, sed suspenditur in fistula? quoniam parvulum ejus pondus non sufficit ad superrandam resistentiam, quam aer divulgationi suæ opponit. Falsum: nam uti vidimus aqua eo usq; adscendit in fistulas, ut æquilibretur cum aqua collaterali: itaq; quum vis, sive resistentia aeris longe minor sit, quam pressio aquæ, sequitur pressionem aquæ interioris suspen-*sæ* superare semper resistentiam aeris, adeoque aliquantulum deprimi semper debere; quod minime accidit.

713. Sed facile est hanc sententiam, quæ adhæsionem pro causa adscensus constituit, convellere. Oleum enim raparum, quod tenacius adhæret internis tuborum lateribus ad maximam elevandum foret altitudinem, & oleum terebinthinæ ad minorem, quamvis ad majorem, quam aqua. Spiritus salis ammoniaci, & spiritus vini ad multo minorem; nam in ambobus spiritibus tenuis coherentia percipitur; quibus tamen experimenta adversantur. *Præterea* phænomena tuborum inæqualium longitudinum fallitatem ejusdem sententiæ manifestissime evincunt: in his enim sive longiores sint, sive breviores eadem altitudo observanda foret, si adscensus aquæ penderet ab ejus adhæsione ad tuborum latera: quum tamen tubi longiores rapiant aquam ad majorem altitudinem, quam tubi breviores. *Denique* ex hac hypothesi nullo paëto explicari potest, cur aqua juxta externam superficiem tubi guttatum defluens, quum ad inferius orificium pervenerit, sursum per tubi cavitatem sua sponte adscendat: namque in hoc casu nulla inæqualis pressio ambientis, cavoque tubi respondentis aquæ singi potest.

714. *Tertiam* explicandi rationem protulerunt universalis attractionis fautores, quæ ita se habet. Tubus vitreus capillaris aquæ demersus, quia vi attrahente donatus est, aquam sursum rapere debet, non quidem in infinitum, sed ad altitudinem determinatam. Quum enim ipsa vis attrahens tuborum limitatam habeat potentiam, quando tantum aquæ suspensum est, quantum æquilibratur cum vi attrahente tuborum, adscensus cessat. Et quoniam attractio exit ex tubo universo,

D d

facite

facile intelligitur cur tubi longiores rapiant aquam ad altitudinem majorem , quam tubi breviores ejusdem diametri . Præterea quum in tubis angustioribus vis attrahendi potentior sit ; est enim, ut ita dicam, magis conferta : intelligitur quoque cur tubi angustiores altius aquam rapiant, quam tubi ampliores ejusdem longitudinis . Ad hæc quum vis attrahens fortius agat in quoddam liquores, quam in alios , intelligitur quare altissime suspendatur urina , humilius spiritus salis ammoniaci , & aqua , longeque adhuc humilius spiritus vini . Deniq; quia vis ista attrahens omnino subvertitur à cera , vel sebo internos tuborum parietes incrassante, non mirum est si in hujusmodi tubis liquores haud quaquam adscendant.

715. Cæterum tuborum capillarium phænomena quamplurimis Naturæ arcanis cognoscendis usui sunt: ut *primo* quare plantæ arescentes irrigatæ statim revolvent; humor enim summo impetu fertur per canales ipsarum, qui longe angustiores sunt tubis capillaribus. *Secundo* quare liquores adscendant per corpora spongiosa, per cineres, per arenas , per panem , perque reliqua hujusmodi corpora: meatus enim, quamquam tortuosus, qui occurunt in hujusmodi corporibus sunt instar tuborum capillarium . *Denique* qua ratione agant emplastræ, unctiones, balneaq; quibus interdum ægri utuntur. Scilicet corpora nostra scatent vasis absorbentibus, quæ nihil aliud sunt , quam tubi capillares per universum corpus diffusi : per hæc autem vasa existimandum est insinuari partem subtiliorem pharmacorum supra memoratorum, unde salus ægris restituitur.

716. Ad hanc de capillaribus tubis doctrinam referri fortasse potest quæstio illa, num omnia maria æque alta sunt . Evidem si ad aquæ naturam advertamus animalium, nihil causæ esse videtur, cur unum alio altius esse pronunciemus . At vero si consideremus cavitates, quibus maria continentur esse longe inæquales , facile intelligemus ea maria , sive potius eos sinus , qui angustioribus cavitatibus continentur altiores esse illis, qui continentur cavitatibus amplioribus ; sunt enim cavitates istæ

istæ tuborum instar inæqualium amplitudinum. Quo circa Mare Erythræum, & Sinus Persicus longe altiora erunt, quam Mare Mediterraneum; hujus enim longe major est amplitudo. Et similiter Corinthiacus Sinus aliquanto altior erit Sinu Saronico: ille enim angustior est, hic vero nonnihil est amplior.

CAPUT OCTAVUM.

De elasticitate, rigiditate, & flexilitate.

717. **V**idendum nunc est de elasticitate, rigiditate, & flexilitate. Elasticitas est universalis illa corporum proprietas, quæ facit ut ea illico restituant se in primitum statum, à quo per compressionem depulsa fuerunt. Hæc vis in nonnullis corporibus, veluti ebure, chalybe, lapide, vitro, aliisque similibus manifestissima est; in aliis vero corporibus est adeo tenuis, atque imbecilla, ut vix percipi possit. Sic lamina ex chalybe bene temperato si externa vi incurvetur, remota incurvationis causa statim, magnoque impetu in rectum porrigitur. Similiter arcus ex chalybe quoque elaboratus si in rectum extendatur, cessante vi rursus inflebitus. At vero plumbum compressum vix ullum restitutionis signum præbet. Rigiditas autem ad ea corpora petinet, quæ quum flectere conantur, franguntur: veluti vitrum vix flectitur; & quum ipsum majori nisu flectere conantur, statim frangitur. Denique flexilitas spectat ad ea corpora, quæ facile curvantur absque ullo fractionis periculo.

718. Sunt Philosophi qui explicandæ elasticitatis ergo ad has positiones configuiunt. Ponunt primo durissima quæq; corpora frequentibus poris esse pertusa; quod quidem extra omnem dubitationem est positum. Tum materiam quamdam subtilissimam, quam ætherem supra adpellavimus, poros istos permeare comminiscuntur. Denique figuram pororum talem esse fingunt, ut si

ea coarctatione mutetur, materia illa subtilissima, quæ poros permeabat non possit amplius ea copia, eaque facilitate transire, qua antea per eos fluebat: quibus potitis sic elasticitatem explicare nituntur. Quando lamina chalybea inflectitur, necesse quidem est poros in parte convexa fieri latiores, poros vero in parte concava fieri atqueiores: itaque materia subtilis subiens poros latissimos partis convexæ majori copia & celeritate eos ingreditur, quam ut per arctatos concavæ superficie meatus egredi possit: adeoque istorum parietes magna vi pulsans eos aperit, atque in pristinum statum laminam reducit.

719. Neque vero necesse esse putant, ut omnia corpora sint æquæ elasticæ: etenim nonnullorum meatus esse possunt adeo lati, ut quamquam eorum ostia coarctentur, adhuc tamen materia subtilis possit per ostia illa haud cum magna difficultate transire. Sic chalybs non temperatus quem particulis constet crassioribus, ac proinde majora interstitia inter se relinquenteribus, quamvis flexatur tamen non redit in pristinum statum; quia meatus satis patent ut per eos exire possit materia subtilis, absque eo quod pororum ostia pulset.

720. Quamquam ingeniosa sit ista hypothesis, sunt tamen alii, qui jure addubitant, an elasticitas revera ab hujusmodi causa proficiscatur. Quum enim ad restitutionem corporis elasticæ necesse sit ætherem fluere ex poris latioribus versus poros angustiores, quumque effluxus ætheris possit esse in finite varius, raro corpus elasticum compressum restituendum foret; tunc enim tantum id contingere deberet, quando ipsum eam positionem natum est, ut materia subtilis ingrediatur per poros latiores, & exeat per angustiores. Itaque quum experientia constet restitutionem corporum elasticorum fieri in quacumque eorum positione, recte causam elasticitatis effluxu ætheris adscribendam non esse suspiciati sunt. Præterea si duo corpora elasticæ proxima in partes oppositas flexantur, alterum tantum deberet restituui, alterum vero in suo statu deberet se conservare, si elasticitas ab effluxu ætheris oriretur: quod quum con-

tra-

trarium sit experientia, liquet positionem falsam esse.

721. Aliis visum est probabilius corporum elasticorum restitutionem aeris, ætherisque ponderi acceptam unice referre, cui duritiei quoque causam adscripte sunt; quemadmodum supra demonstratum est. His sic placuit hac in re philosophari. Quum firmitas nihil aliud sit, quam ea vis, qua corpus partium divisioni resistit, vis vero elastica illa, qua partes quod immodo à se divulsæ colliguntur, necesse quidem est ut eadem causa corporibus vim utramque conciliet: atqui durities corporum proficiuntur ex pressione ætheris: quare ab eadem ætheris pressione elasticitas corporum oritur necesse est.

722. Verum quominus huic sententia subscribam plura obstant. Quamquam enim non negem unam, eamdemque esse causam duritiei, elasticitatisque, tam ex hoc ipso falso est elasticitatem ex pondere, & pressione ætheris proficiuntur: nam ostensum à nobis luctuissime est duritatem corporum ab hujusmodi pressione minime oriri posse. Præterea si elasticitas penderet à pressione ætheris, oportet ut durissima quæcum corpora summa elasticitatis vi pollerent: quippe quum in iis minor pororum copia occurrat, impulsus, pressioque ætheris potentior esset; quod tamen refragatur experientia. Ebur enim non est omnium corporum durissimum, quamquam sit maxime elasticum. Aer vero corporibus fluidis accensetur, quamquam summa elasticitatis vi præditus sit.

723. Alii censuerunt tutius elasticitatem ipsi ætheri adscribere, cæterorum vero corporum elasticitatem ab illius elasticitate repetere: in quantum scilicet id dum permeat omnia corpora reddit illa sua elasticitate elastica. Sed hæc sententia his premitur difficultatibus. *Primo* obscurum est quomodo æther, ut ut elasticus, porous corporum interfluens suo influxu possit ea elastica facere. *Secundo* difficile est explicatu in hac positione quare quedam corpora aliis sint elasticiora. Et *denique* quamquam hac positione causa elasticitatis cæterorum corporum non lateat, tamen causa elasticitatis ipsius

ætheris in abdito est : ridiculum enim est affere elasticitatem ætheri conciliari ab elasticitate alterius materiae subtilioris: sic enim procedendum foret in infinitum.

724. Nobis videtur commodius vim corporum elasticam partim ex poris, partim ab attractione repetere. Et à poris quidem , non quod iij sint causa efficiens elasticitatis , sed potius quod sublatis poris de corporibus, quemadmodum ea comprimi non possent, ita omni elasticæ vi effient destituta . Ab attractione vero tamquam à causa efficiente : scilicet quemadmodum vis attractrix facit , ut guttae omnium liquorum se se ad sphæricitatem componant, ita etiam ab eadem vi attrahente ori potest , ut turbata aliquo modo corporis figura rursus ea restituatur in pristinum locum . Ex quo inferre licet elasticitatem proprietatem esse corporum universalem : nulla enim sunt corpora , quæ suis poris referta non sint , & præterea quorum particulæ vi attrahente aliqua non donentur . Et quoniam in quibusdam corporibus major est pororum copia , quam in aliis , magisque se attrahunt particulæ aliquorum corporum , quam particulæ aliorum , non mirum esse debet si alia corpora aliis sint elasticiora .

725. De rigiditate vero , & flexilitate ita philosophabimur. Putabimus corpora rigida constare particulis (de elementis ultimæ compositionis intelligendum id est) nequaquam intricatis inter se , sed duram massam conflantibus ea tantum de causa , quod juxta se mutuo constitutæ se se invicem attrahant . Ita enim fiet , ut hujusmodi corpora nequeant majore vi flexi , quin prorsus separantur , solutaque continuitate dissiliant . Probari id potest ex eo quod rigidorum corporum divulsæ partes politæ sint , atque lævigate ea ex parte , unde fractæ sunt , ut adparet in particulis vitri , porcellanæ , & glaciei : neque enim hujusmodi polities , ac lævitas in iis observaretur , si utique ante solutam continuitatem sibi mutuo fuissent implicatae . Flexilia vero corpora existimabimus constare particulis , (etiam de elementis ultimæ compositionis id operet intelligere) sibi mutuo implicitis ad instar minimorum

morum funicularum, quibus major funis constat; talis quippe textura flexilitatem corpori facile conciliabit, efficietque ut corpus in varias partes flecti possit sine fractionis periculo; quia partes illae, ut ita dicam, extenuantur, manentque adhuc connexæ inter se.

C A P U T N O N U M.

De Corporum gravitate, & levitate.

726. **P**eruentum jam est ad ejus qualitatis explicationem, ex qua magna Philosophiæ naturalis pars velut religata pendet, ad gravitatem scilicet, & levitatem. Ejus causa in tanta obscuritate constituta esse videtur, ut eorum fortasse sententiæ accedendum sit, qui gravitatis causam negant à nobis posse inveniri, quod sensus huic qualitati percipiendæ propius, atque ut ajunt specificus nobis desit; non aliter atque cæcus natus, qui quæ sit colorum natura ne suspicari quidem potest.

727. Gravitatis hæc sunt præcipua phænomena: **P**rimum corpora terrestria sua sponte tendere versus Tellurem secundum lineas ejus superficiei perpendiculares; adeoque si Tellus sphærica est, vel quasi sphærica, ut hic adsumimus, secundum lineas, quæ omnes convergunt ad centrum Telluris. **S**econdum gravitatis actionem nullius cogniti corporis interpositione posso inhiberi: quamquam enim corpora sustentata non descendunt, non eo minus tamen premunt corpora, à quibus sustinentur. **T**ertium corporis pondus, sive gravitatem pendere non modo à partibus externis, quæ scilicet ab aere tanguntur, verum etiam ab internis, quæ nempe latent sub superficie: nam mutata quovis modo corporis figura, integra manente substantia, sive quantitate materiæ, quamquam superficies modo major evadat, modo minor, semper pondus manet idem; quod quidem minime continget, si à partibus tantum externis vis gravitatis suboriretur. **Q**uartum quam-

quam in aere quædam corpora descendant , ut lapides , ligna, metalla, aliaque innumera, quædam alia adscendant ut fumus , vapores , paleæque quædam levissimæ ; prætereaque et si eorum , quæ descendunt alia citius , alia tardius versus Terram delabantur,tamen in vacuo *Boyliano* omnia corpora descendunt , & quidem æquali velocitate : nam si ex eadem altitudine illic simul delabantur plumbum & suber , simul etiam metam adsequuntur . Denique constat non omnia corpora sub eodem volumine æque ponderare, sed pondera illorum esse majora , quæ majorem continent quantitatem materiæ : veluti aurum longe ponderosius est stanno, vel ligno , quia aurum plus continet materiæ , quam stannum , vel lignum.

728. Hæc sunt præcipua gravitatis phænomena , quæ recensenda fuerunt antequam in ipsam gravitatis causam inquireretur . Eam autem investigantibus primi omnium se se offerunt *Peripatetici*, qui ab intrinseco principio gravia corpora deorsum ferri putant . His ultro adsentirer , nisi rogati de interno isto principio , deque ejus natura , atque origine , adipetitum, ac veluti cupidinem quamdam corporibus gravibus inesse diceant Tellurem , tamquam propriam sedem , atque domicilium petendi . Quumque vidissent res quasdam vicissim sursum sua sponte extolli , oppositam cupidinem iis adscribere non dubitarunt , petendi scilicet loca superiora : quibus vix quidquam fingi potest vel ineptius , vel futilius . Nam primo adipetus , & cupidio in res materiales,inanimasque nullo modo cadere possunt . Secundo in vacuo *Boyliano* nulla corpora addescendant , sed omnia ruunt deorsum; ut supra adnotatum est . Et tertio denique si quædam corpora in aere addescendant , id ex eo oriri existimandum est , quod ea minus gravia sunt , quam aer ipse , à quo idcirco sursum expelluntur ; quemadmodum lignum , & suber demersa in aqua foras ab ipsa aqua extruduntur , cuius longe maior est vis descendendi deorsum .

729. Quamquam autem Scholastici in constituendo gravitatis principio turpiter lapsi sint , in eo tamen sunt

sunt laudandi , quod illud intrinsecum corporibus esse constituerint . Neque enim , ut ego sentio , ulla occurrit causa extrinseca , cui descensus corporum gravium referri queat : non pressio aeris incumbentis : nam in *macchina pneumatica* exhausto aere citius descendunt vel levissima quæque corpora , quam quæ gravissima sunt in aere libero decidunt : ut præterea pressionem aeris non aliunde ortum ducere , quam à gravitate ipsius aeris ; adeoque qui gravitatem corporum à pressione aeris deducere conantur , ij principium petere videntur . Nec forte subtilis , atque ætherea substantia *Cartesii* , ut posse dicemus . Non denique ab effluviis Terra magnetica trahi possunt , ut videtur *Gassendo* : nam illud explicandum esset qua ratione , quibusve organis gravia deorsum à terra trahantur . Concedamus *Gassendo* profluvia quædam substantialia jugiter è Terra manare : dicat is deinde quomodo ea una cum tanta præda revertantur ad Tellurem . An lapidis meatus pervadunt ? sed tum lapis non adduceretur in Terram : an potius in partes lapidis solidas incurront ? quod si fieret potius repellerent lapidem à Tellure , quam traherent versus illam . Dicat præterea *Gassendus* quomodo tam alte illa evehantur versus cœlum , ut ad ipsum orbem Lunæ perveniant : nam Lunam gravem esse versus Tellurem , communis Philosophorum sententia est . Accedit quod in hac *Gassendi* sententia oportet corpora leviora , hoc est minorem materiæ quantitatem continentia citius descendere , quam graviora ; facilius enim illa trahentur ab effluviis terrestribus , quam ista ; quod tamen experientiae adversatur .

720. Quum igitur corpora gravia neque ab extra-nea causa deorsum pelli , neque à Terra rapi videantur per effluvia magnetica , id unum reliquum videtur , ut certa Naturæ lege , qua res quæque suis locis disponuntur , gravia descendant deorsum . Naturæ autem legem quum hic memoro , Deum ipsum me memorare putandum est . Scilicet non abhorret à verisimili elementis ipsis ab Auctore Naturæ certos motus , aut saltem certa motuum principia iudicata fuisse , quibus in suam totius-

que

que Universi perfectionem niterentur, & quam cernimus efficerent rerum varietatem. *Primo* enim ignis in se sui motus videtur habere principium: ubicumque vero sit principium illud, ibi ignem adesse dicimus. *Secundo* arcus intentus, sublato obice, se se in naturalem figuram restituit, neque est indubium quin hic motus à subtili, atque ætherea materia non proficiscatur. *Tertio* illud in natura constans cernimus ut res fere omnes alias sibi cognatas quærant: sic hydrargo optime cum vasis metallicis, minus cum ligneis, aut vitreis convenit; in illis vultro diffunditur, si ferrum, & cuprum exceperis; immo per erectam auri virgam ultro adscendit: sed ubi lignum, aut vegetable corpus attigit, statim in globulos formatur.

731. Infinita prope hujus generis exempla adferri possunt, quæ antipathia, aut sympathia tribui solent. Et iis enim colligi potest corpora non solum esse alia aliis cognata, sed etiam ad ea ultro ferri, cum quibus magis consentiunt. Atque ut in fidibus testudinibus fieri solet, ut una pulsata simul & altera, quæ ad eundem tonum, ut vocant, intenta est tremat, sic persæpe corporis particulæ agitatæ vicini corporis consimiles partes excitant. Nam illud satis est verisimile nullum pene esse corpus, cuius partes insensibiles aliquo motu non agitantur, quum nullum fere sit omnis expers caloris. Jam ubi partes illæ aguntur consimili motu cum aliis, quibuscum figura, magnitudine, & aliis adfectionibus consentiunt, tum illi oriuntur motus, qui ex sympathia, aut ex naturali propensione oriri dicuntur. Sic arenæ in vase agitatæ, aut succussæ, quæ sibi sunt mutuo similiora una coeunt granula, quæ vero dissimilia feceruntur. Contra qui dissimiles sunt liquores simul misceri respunt, sed in sphærulas exiguae congregantur, ut vulgus ipsum non ignorat.

732. Hæc omnia memoravi, ut suaderem haud quidem versari in errore illos, qui descensum corporum gravium pro lege habent Naturæ. Neque vero putandum est hanc legem esse peculiarem, atque in solo corporum gravium desceptu locum habere: Ea enim est unius

universalis illa attractio , de qua pluribus locis loquuti sumus, & ad quam potissima naturae phænomena revo- care studuimus . Nimirum quemadmodum ab attrac-
tione proficiscitur , ut corpora dura cohærent inter se, & corpora elastica compressa restituantur , ita ab ea-
dem vi attrahente fit quoque ut lapides descendant ver-
sus Tellurem, quasi attracta versus eam.

733. Vis ita attractrix , à qua gravitas ortum du-
cit certis quibusdam legibus continetur, quarum noti-
tia minime est negligenda Philosopho . Ad eas investi-
gandas considerare oportet hujusmodi attractionem
è globo Telluris exire , eamq; propagari per regiones
circumjectas secundum lineas rectas, five radios ad ejus
centrum tendentes ; quemadmodum perpendicularis
gravium descensus versus Tellurem ostendit: Itaque de
hujusmodi vi adfirmari possunt ea , quæ de qualitatum
propagatione *Sectiōne III.* demonstrata sunt; scilicet eam
in æqualibus à centro distantiis æqualem virtutem ha-
bere ; at vero in distantiis inæqualibus esse vel majo-
rem, vel minorem: majorem scilicet in minori distan-
tia , minorem vero in distantia majori ea proportione ,
ut virtus attractionis sit ut *quadratum distantias reciproce* . Et quoniam effectus attractionis est descensus
corporum versus Tellurem , sequitur in æqualibus ab
ejus centro distantiis omnia corpora æqualiter descen-
dere; hoc est temporibus æqualibus æqualia spacia con-
ficere : in distantiis vero inæqualibus conficere debere
temporibus æqualibus spacia , quæ sint reciproce ut di-
stantiarum quadrata.

734. Horum primum, scilicet quod omnia corpora
in æqualibus à Telluris centro distantiis æqualiter de-
scendant, ipsa experientia constat: nam in antlia pneu-
matica remota aeris resistentia eodem prorsus tempore
decidunt ex pari altitudine & levissimum suber, & gra-
vissimum aurum , ut supra memoratum est . Alterum
autem quamquam experientia comprobari nequeat
(tanta enim est Telluris semidiameter, ut pusillum sem-
per sit distantiarum discriminē, et si vallum imæ pro-
funditatem cum altissimorum montium cacuminibus
con-

conferantur) tamen ex motibus Lunaribus apertissime colligitur. Luna enim gravitat versus Tellurem, eaque vi retinetur in orbe suo, quem circa Tellurem spacio fere menstruo describit. Unde quum Lunæ à Tellure distantia sit diametrorum terrestrium fere 60, oportet spatium dato tempore emensum à Luna decidente versus Tellurem esse ad spatium eodem tempore percursum à gravi prope superficiem Telluris ut 1 ad 3600: vidimus enim spatia descripta esse debere ut quadrata distantiarum reciproce. Est autem spatium descriptum à corpore gravi prope superficiem Telluris in tempore unius minuti secundi pedum *Parisienium* 15, & adhuc unius duodecimæ pedis: quare spatium à Luna eodem tempore peragratum esse deberet pars 3600^{ma} pedum 15 cum una duodecima pedis. Itaque quum ex motuum Lunarium theoria tantum apprehendatur esse hujusmodi spatium, sequitur revera virtutem attractionis sic decrescere ut crescit quadratum distantia. Unde quamquam actio gravitatis prope superficiem Telluris sit admodum insignis, ad Lunæ tamen intervallum est longe debilior; ibi enim corpus, ut vi ejus attractionis accedit ad Tellurem pedibus quindecim, eget integro ferme temporis minuto; multoque adhuc debilior fit ad longius intervallum, usque donec insensibilis prorsus evadat.

735. Ex legibus attractionis hæc tenus expositis erui possunt tres illæ gravitatis leges, quas primus omnium ex totius Mundani Systematis contemplatione constituit incomparabilis Philosophus *Isaac Newtonus*. Prima lex est, ut *pondera, sive gravitates corporum, quorum quantitates materia sunt inæquales, in aequalibus à Telluris centro distantiis sint ut ipsæ quantitates materiae*. Secunda est ut *pondera, sive gravitates corporum, quorum quantitates materiae sunt aequales in distantiis à Telluris centro inæqualibus sint reciproce ut quadrata distantiarum*. Denique tertia lex est, ut *pondera, sive gravitates corporum, quorum quum materiae quantitates, tunc distantiæ à centro Telluris sunt inæquales sint ut quantitates materiae direcæ, & quadrata distantiæ*.

rum reciproce: adeo ut contingere possit, ut pondera duorum corporum æqualia sint inter se, quamquam & quantitates materiæ, & distantiae sint inæquales; scilicet si quantitates materiæ fuerint reciproce ut quadrata distantiarum: hoc est si quanto materia corporis unius superat materiam corporis alterius, tanto vicissim quadratum distantiae hujus corporis à centro Telluris superat quadratum distantiae corporis illius.

736. *Primo* enim pondus, sive gravitas uniuscujusque corporis est factum ex quantitate materiæ, & celeritate, sive etiam factum ex quantitate materiæ, & vi acceleratrice; adeoque pondera duorum corporum sunt ut quantitates materiæ directe, & vires acceleratrices etiam directe: itaque quia in distantiis æqualibus vires acceleratrices ab attractione Telluris oriundæ æquales sunt, sequitur in distantiis æqualibus pondera corporum esse inter se quemadmodum se habent quantitates materiæ directe. *Præterea* quando materiæ quantitates supponuntur æquales, pondera corporum erunt inter se, ut se habent vires acceleratrices. Atqui ostensum est vires acceleratrices in distantiis inæqualibus ita esse inæquales, ut sint inter se, ut se habent quadrata distantiarum reciproce: quare in hypothesi quod quantitates materiæ sint æquales pondera duorum corporum erunt ut quadrata distantiarum reciproce. *Denique* si tum materiæ quantitates, quum distantiae fuerint inæquales, nullo negotio intellegetur pondera futura esse ut quantitates materiæ directe, & quadrata distantiarum inverse.

737. *Quod autem* pondera, sive gravitates duorum corporum in æqualibus à Telluris centro distantiis, puta prope superficiem Telluris, sint inter se ut materiæ quantitates ostendit quoq; *Newtonus* per experimenta pendulorum, cuius hæc sunt verba: *Descensus gravium omnium in Terram, dempta saltem inæquali retardatione, qua ex aeris perecigua resistentia oritur, æqualibus temporibus fieri jamdudum observarunt alii, & accuratissime quidem notare licet æqualitatem temporum in pendulis.* Rem tentavi in auro, argento, plumbo, vitro, arena, sale communi, ligno, aqua, tritico. *Comparabam*

420 PHILOSOPHIAE NATURALIS
rabam pyxides duas ligneas rotundas & aequales: unam
implebam ligno, & idem auri pondus suspendebam, quana
potui, exacte in alterius centro oscillationis. Pyxides ab
aequalibus pedum undecim filis pendentes constituebant
pendula quoad pondus, figuram, & aeris resistentiam om-
nino paria: & paribus oscillationibus juxta positæ ibant
una, & redibant diutissime. Proinde copia materia in
auro erat ad copiam materiae in ligno ut vis motricis
actio in totum aurum ad ejusdem actionem in totum li-
gnum; hoc est ut pondus ad pondus: & sic in ceteris.

728. Ceterum quemadmodum ex globo Telluris
prodit attractio, quæ corpora Telluri circumfusa gra-
via facit versus ipsam Tellurem; ita pariter credendum
est è Sole, è Luna, è Saturno, è Jove, exque Planetis reli-
quis non dissimilem attractionem manare, quæ corpo-
ra ipsis circumfusa gravia pariter facit versus eorum
centra. Sed & leges gravitatis, quæ obtinent in corpo-
ribus gravibus erga Solem, vel Lunam, vel alium quem-
vis Planetam erunt eadem: scilicet pondera corporum in
aequalibus à centro Planetarum distantiis erunt ut quantita-
tes materiae directe: sed in distantiis inaequalibus erunt
ut quantitates materiae directe, & quadrata distantiarum
reciproce; adeoque, si quantitates materiae aequales
fuerint, erunt ut sola distantiarum quadrata reciproce.

729. Quod si gravitatem erga Planetam unum cum
gravitate erga Planetam alium conferre placeat, licebit
id quidem facere, dummodo habeatur quoq; ratio majo-
ris, vel minoris virtutis ex ipsorum Planetarum globis
egredienteuntis. Etenim quum globus Telluris longe major
sit Lunæ globo credibile est virtutem attractionis ma-
nantis à Tellure longe majorem esse virtute attrac-
tionis, quæ manat à Luna: & fortasse virtus prior erit ad
posteriorem ut est quantitas materiae in Tellure ad
quantitatem materiae in Luna. Itaque si duo sint cor-
pora aequales quantitates materiae continentia, quorum
unum tantum distet à centro Telluris, quantum alterum
abest à centro Lunæ, gravitas prioris versus Tellu-
rem erit ad gravitatem posterioris versus Lunam ut ma-
teria in Tellure ad materiam in Luna. Quod si corpo-
ra

ra contineant inæquales materiae quantitates, sint tamen constituta ad æquales distantias à Tellure, & Luna, eo casu pondera eorum erunt conjunctim ut quantitates materiae contentæ in ipsis corporibus directe, & quantitates materiae contentæ in Tellure, & Luna etiam directe. Denique si distantiae quoque fuerint inæquales, eo casu pondera erunt ut quantitates materiae contentæ in corporibus directe, ut quantitates materiae contentæ in Tellure, & Luna etiam directe, & quadrata distantiarum inverse. Quæ omnia locum pariter habent in cæteris Planetis, Saturno, Jove, Marte, Venere, & Mercurio.

740. Hæc omnia breviter hic persequutus sum: de iis enim uberioris differetur Libro II. ubi de gravitate Corporum omnium cœlestium universalis agendum nobis erit. Sed quum causam physicam gravitatis terrestris expendere hic proposuerim, videndum est an illa, quam primus reperit ingeniosissimus Renatus Cartesius, quamque deinde expoliverunt ejus sectatores sit saltus probabilis. Censuit *Cartesius* gravitatem corporum terrestrium oriri ab actione materiae cœlestis circa Terram ad instar vorticis delatae; ea enim quum, quantum potest, à Terra recedere nitatur, corpora terrestria minus agitata versus Terram propellat. Atque ut luculentius ejus mentem hic exponamus, sciendum est subtilem aerem, ipsumque ætherem non in eodem semper loco torpere, sed continenti motu agitari, atque circa Terram circumverti. Itaque quum ostensum sit supra, ea quæ in gyrum aguntur continuo conari recedere à centro motus, necesse est ætherem, qui Tellurem suis circulationibus ambit, niti jugiter, ut recedat à centro ipsius Telluris; id autem dum facit necesse est quoque ut trudat versus Tellurem corpora minus agitata, quæ scilicet minorem habent vim recedendi à centro ejus; qualia prefectora esse arbitratur *Cartesius* corpora terrestria; ut non mirum sit si ea Tellurem petere videantur. Addunt hic nonnulli observatum jam olim esse corpora dura in circumacto fluido posita ad medium, sive ad centrum rapi. Nam, aqua baculo in pelvi circumacta, observare licet

licet immersam ligni , aut ceræ obligatoriæ scobem , aut corporis alterius pulverem colligi versus centrum . Cujus rei causam si quis investiget , reperiet , quod quum aqua circumeundo conetur recedere à centro motus , necesse sit obvium pulverem ab ea versus centrum protrudi , atque ejici .

741. Verum enim vero quamquam hæc magnam probabilitatis speciem præ se ferre videantur , tamen si paullo diligentius discutiuntur , difficultates suboriente-
tur pene ineluctabiles . *Primo* enim *Cartesius* postulat materiam ætheream vorticis instar ferri circa Tellu-
rem : at qua ratione motus iste oriatur , quoive pacto conseruetur , & que arduum est explicare , atque ipsius gravitatis rationem reddere . Accedit quod non pauca inventa sunt argumenta ad istiusmodi rotationem peni-
tus evertendam . *Secundo* quum necesse sit vorticis Ter-
ram circumeuntis velocitatem prope superficiem Tel-
luris adæquare velocitatem ipsius Telluris rotantis circa se ipsam : (nam si major esset aliqua motus pars in Ter-
ram impenderetur , adeoque vorticis velocitas aliquan-
tulum semper minueretur , Terra vero augeretur , usque
donec ad æqualitatem pervenirent) quoniam Tellus ut *Copernicus* , & post eum *Cartesius* posuerunt fertur circa se ipsum spatio horarum 24 , ipse vortex æthereus revo-
lutionem suam prope Tellurem absolvet spatio hora-
rum 24 . Unde ex datis semidiametro vorticis prope superficiem Telluris , quæ est ipsa semidiameter Telluris , & tempore rotationis , dabitur spatum , quod cor-
pus urgente vi centrifuga materiæ cœlestis percurrere descendendo potest in tempore unius minutus secundi ; nam id spatum æquale est arcus interea descripti qua-
drato ad vorticis diametrum applicato , ut *Capite ulti-
mo Sectionis secundæ* ostensum est . Atqui , inito calculo ,
hujusmodi spatum pedem dimidium non excedit , cor-
pora autem gravia descendendo prope superficiem Tel-
luris pedes circiter quindecim emetiuntur ; itaque fal-
sum est descensum corporum gravium ab actione ma-
teriæ cœlestis proficiſci .

742. Non sum nescius *Cartesianos* , ut vim hujus diffi-

difficultatis eludant dicere velocitatem ætheris esse decies & septies circiter majorem velocitate Telluris : ex qua positione , inito calculo , ostendunt gravia in uno temporis minuto secundo pedes quindecim pertransire. Sed non solum, uti modo adnotatum est, impossibile est velocitatem vorticis prope Tellurem majorem esse velocitatem ipsius Telluris , verum & illud obstat , quod si gravitas oriretur à vi centrifuga ætheris motu vorticoso agitati , oporteret corpora non quidem ad superficiem Telluris, sed ad ejus axem perpendiculariter descendere. Nam quum materia vorticis semper deferatur in circulis æquatori parallelis , & vires centrifugæ dirigantur , ut constat , secundum lineas tangentes in ipsis horum circulorum planis constitutas , necesse est corpora omnia in hisce planis descendere ; adeoque ad axem , non vero ad superficiem Telluris perpendiculariter tendere. Unde quum experientia constet gravia decidere secundum lineas perpendicularares ad superficiem Telluris , consequitur falsam esse sententiam , quæ ponit gravitatem à pulsu, atque vi centrifuga ætheris pendere.

743. Scio quoque ad hanc difficultatem abigendam id succurrisse nonnullis , ut ponerent materiam ætheream non in circulis æquatori parallelis, sed in magnis sphæræ circulis deferri . Sed quanam ratione id fiat non intelligo : quum enim quivis circulus maximus alios omnes bis fecet , oportet ut motus particulæ cujusvis ab aliis quaquaerius pergentibus impediatur , atque tandem sistatur ; ex quo perturbatio primum , deinde vero extinctio vorticis consequatur necesse est.

C A P U T D E C I M U M .

De centro gravitatis cum singulorum , quum plurium Corporum gravium sistema componentium ; deque præcipuis ejus affectionibus .

744. **Q**UAM corporis cujusque gravitas per omnes partes ipsius diffundatur : ut enim

E c vidi-

vidimus *Capite superiori* ea adficit non modo **externas**, verum & **internas** corporum partes; tamen in-
valuit apud *Mechanicos* ut totum cujusque corporis
pondus intelligeretur collectum, ac veluti coacerva-
tum in unico puncto, quod *centrum gravitatis* adpel-
larunt. Hujusmodi gravitatis centrum illud internum
punctum esse dixerunt, circa quod omnes corporis par-
tes in aequilibrio sunt constitutæ, & circa quod ideo
partes ejusdem corporis subinde librantur, ut si exinde
corpus ipsum suspendatur, eundem semper partium si-
tum sit servaturum.

745. Hinc tale punctum in eo semper piano repe-
rietur, quod corpus ipsum dividit in duas parte sequi-
ponderantes: quum enim partes illæ sint ejusdem pon-
deris, necesse est eas ita quidem librari circa planum
dividens, ut neutra alteram superare possit. Neque ve-
ro necesse est ut partes, in quas dividitur corpus à pla-
no secante sint semper ejusdem magnitudinis: nam
pondera corporum, ut *Capite superiori* ostensum est, in
eadem à Telluris centro distantia non quidem magnitu-
dinibus, sed quantitatibus materiæ in iis existentibus
proportione correspondent: adeoque si corpus non ubi-
que eamdem habet densitatem, raro accidet, ut magnitu-
dines partium sequiponderantium sequales sint inter se.

746. Quod si vero materia alicujus corporis sit
ejusdem ubique densitatis, tunc equidem partes duæ,
in quas dispescitur corpus à piano secante, perque cen-
trum gravitatis transeunte non modo erunt ejusdem
ponderis, verum etiam ejusdem magnitudinis: nam
quantitas materiæ, quæ existit in unoquoque corpore,
ut supra ostensum est, repeti debet ex magnitudine, &
densitate conjunctim: adeoque quum duo corpora eam-
dem habent densitatem, tunc eorum materiæ quantita-
tes sunt in sola magnitudinum ratione.

747. Hinc suborta est apud eosdem *Mechanicos* di-
stinctio inter *centrum gravitatis*, & *centrum magnitu-
dinis*, sive *figurae*. Centrum gravitatis, uti vidimus, est
punctum illud corporis internum, per quod planum
utcumque actum dispescit semper ipsum corpus in
duas

duas partes æquiponderantes. Centrum vero magnitudinis est punctum illud ejusdem corporis internum, per quod planum utcumque actum semper dispeſcit corpus in duas partes æqualium magnitudinum. Itaque si corpus sit ejusdem ubique densitatis centrum gravitatis idem erit cum centro figuræ; at vero si corpus sit densitatis difformis, raro accidet ut centrum gravitatis, & centrum figuræ coeant in unum, idemque punctum. Ut ecce in corpore sphærico homogeneo tum centrum figuræ, quum centrum gravitatis coeant in ipsum corporis sphærici centrum: at vero in corpore sphærico difformis densitatis manet quidem centrum figuræ in centro corporis sphærici, sed centrum gravitatis recedit versus eam partem, ubi sphæra densior est. Similiter in corpore tetraedrico homogeneo centra tum figuræ, quum gravitatis reperiuntur in eo punto, quod est centrum sphærae circa corpus ipsum tetraedricum circumscriptæ: at vero si corpus sit densitatis difformis, manebit quidem centrum figuræ in eodem loco, sed centrum gravitatis recedet inde versus partem, ubi idem corpus est densius.

748. Considerant præterea Mechanici in gravium libero descensu *lineam directionis*, eamque vocant linéam illam, quam, dum grave corpus descendit, ipsum gravitatis centrum describit. Evidem singula corpora gravia, descendendo, perpendiculariter ad superficiem Telluris decidere, id luculenter docet experientia; ac vero rectam istam horizonti perpendicularē, per quam gravia corpora descendunt describi ab ipso centro gravitatis, id vero ratione evincitur. Gravitas enim cuiusq; corporis ita quidem in ipso gravitatis centro colligitur, quasi extra ipsum nihil proſus effet gravitatis in cæteris corporis particulis. Itaque quum grave corpus vi ſuę gravitatis fertur deorsum, cæteræ corporis partes, velut omni pondere deſtitutæ, motum centri gravitatis ſequuntur; adeoque linea ad horizontem perpendicularis, per quam decidit grave corpus ab ipso gravitatis centro describitur.

749. Quamquam autem gravium directiones con-

vergant omnes ad commune gravium centrum, quod est ipsum centrum Telluris, tamen nihil vetat, quin eae ve-
lut parallelæ considerentur. Constat enim apud Geome-
tras rectas lineas ad punctum infinite distans conver-
gentes haberi posse tamquam parallelas: itaque quum
commune gravium centrum, ad quod convergunt gra-
vium directiones indefinite distet à nobis, sequitur gra-
vium directiones, tametsi convergentes ad commune
gravium centrum, posse velut parallelas absque sensibili
errore considerari.

750. Accidit interdum ut corpora inter descendendū rotentur circa se ipsa; id quod fit quando centrum
gravitatis non est idem cum centro figuræ. Quum enim
in centro gravitatis colligatur tota corporum gravitas,
necessæ est illa in eum situm se constitvere, in quo cen-
trum gravitatis infimum locum obtineat. Itaque si ea,
quum descendere incipiunt, talem situm nō habuerint,
eo usque convertentur, donec eam positionem adipi-
scantur. Quo minus mirandum est si animalia nonnulla
ut Feles, Tigres, Simiæ, Pardique quum cadunt ab al-
to, semper in pedes prolabantur, quod ea à periculo vin-
dicat. Nempe id accidit quia talis est horum animan-
tium strætura, ut centrum gravitatis proprius ventri
sit, centrum vero figuræ proprius dorso: adjuvantibus
id per viam animalibus ipsis, quæ fortasse natura docere
potuerit corpus ita conformare, ut centrum gravitatis
longe inferius evaderet centro figuræ. Id certe causæ
est etiam quare suffocatis mari hominibus, deinde vero
fursum ejectis, corpora eorum, si quidem mares sint,
supina jaceant, sin vero feminæ jaceant in ventrem.
Scilicet in maribus centrum gravitatis proprius est dor-
so; in feminis vero ventri proprius est.

751. Quum grave corpus super piano aliquo hori-
zontali inhibitus, & linea directionis transit per basim
ipsius, illud semper manere debet immotum. Conatur
quippe grave corpus ad Telluris centrum accedere se-
cundum lineam directionis; itaque quotiescumque ne-
quit per hanc lineam vim suam gravitatis exercere, ne-
cessæ est ut maneat immotum, & non decidat. Sed insi-
stente

stante corpore super plano aliquo horizontali ita ut linea directionis transeat per basim ipsius, tunc nequit per lineam illum vis gravitatis exerceri, quum impedimentum sit planum subiectum; quare necesse est ut illud hoc casu maneat immotum, & non decidat.

752. Vicissim vero quum corpus ita quidem insistat super plano horizontali, ut linea directionis cadat extra basim, tunc illud nequaquam manebit immotum, sed decidet necessario; quia scilicet potest optime vis gravitatis secundum lineam directionis exerceri, quum ei nihil sit impedimento. Quibus positis intelligitur primo quare corpora gravia eo vehementiori conatu resistant externis viribus, quo majores fuerint bases, quibus innituntur: ut enim ea concussa decidere possint, necesse est lineam directionis cadere extra basim: quo autem major est basis, intra quam vagari potest linea directionis, eo major postulatur vis, ad hoc ut ipsa directionis linea basim transiliat. Intelligitur secundo cur homines utroque innixi pede stent facilissime, quum tamen aegre se sustineant, ubi unico pede, multoque aegrius quum vel calcaneo, vel apice pedis tantum innituntur. Et tertio denique cur corpus aliquod exile, veluti acus super cuspidem sua erecta manere non possit; nimisrum quia propter continuum aeris fluxum linea directionis facile extra basim, quae nonnisi punctum est, evagatur.

753. Quod autem dictum est de linea directionis transeunte per basim locum habet in corporibus insistentibus super planis horizontalibus; si enim plana sint inclinata, etiam si linea directionis transeat per basim tamen corpora semper descendedent. Enim vero gravia numquam non nituntur accedere ad centrum Telluris, idque, quum possunt, faciunt secundum lineam directionis, quae brevissima est. At vero quando accessus per lineam directionis est impeditus, non eo minus nitentue accedere ad centrum per viam longiorem, si scilicet aliqua pateat accessus; qualis profecto iis patet secundum declivitatem plani inclinati. Neque dicas plurima corpora planis inclinatis incumbentia manere immota, neque descendere; id enim oritur ex contactu corporum

cum piano, ad quem superandum gravitas eorum relativa fortasse sufficiens non est. Et sane si obliquitas plani fiat minor, quæ corpora manebant suspensa, incipient deorsum descendere; scilicet quia eorum gravitas relativa major evasit, ut suo loco demonstratum est.

754. Quæsitum est quando corpora in planis inclinatis constituta ruant deorsum delabendo, quando vero instar eorum, quæ provolvuntur. Quæstioni sic nobis videtur esse respondendum: *Quæ corpora super plano horizontali constituta manent immota, ea constituta super plano inclinato ruent deorsum delabendo. Quæ vero corpora super plano horizontali constituta decidunt, ea constituta super plano inclinato ruent deorsum ritu corporum provolventium.* Cujus definitionis veritatem saepius per experimenta ego ipse expertus sum. Obstat tamen videntur corpora sphærica, quæ ita descendunt per plana inclinata, ut continuo provolvantur, quum tamen ea vi expositæ definitionis labi deberent; quippe quæ in planis horizontalibus manent immota. Sed in hujusmodi corporibus circumvolutionis causa esse videtur qualis qualis plani scabrities, quæ ut ut exigua sit, tamen potis est corpora sphærica, quæ non nisi levissime planum contingunt, circumvoluere.

755. Consideratur autem gravitatis centrum non modo in singulis corporibus, verum & in pluribus corporibus simul, ex quibus systema unum coalescit. Ut si sint duo corpora A, & B (Fig. 82.) tenui virgula AB, omnisque gravitatis experti connexa, punctum C, ex quo sistente suspenso partes manent in æquilibrio, erit ipsum systematis centrū gravitatis. Facile autem erit ostendere quod si virgula AB jungat centra gravitatis utriusq; corporis A, & B pondus corporis A sit ad pondus corporis B veluti est distantia BC ad distantiam AC. Etenim quum corpora A, & B æquilibrentur in punto C, si quidem virgula AB roteretur circa punctum C, ita ut transeat in litum ab, ea æquale momentum habeant oportet. Atqui quando momenta duorum corporum æqualia sunt pondera, sive quantitates materiae, quibus pondera proportionalia sunt velocitatibus reciproce correspondunt.

respondent, ut suo loco demonstratum est: quare pondus corporis A erit ad pondus corporis B ut est velocitas corporis B ad velocitatem corporis A : Est autem velocitas corporis B ad velocitatem corporis A ut arcus Bb ad arcum Aa ; sunt enim arcus Bb , Aa viæ eodem tempore descriptæ à ponderibus B , & A ; arcus autem Bb est ad arcum similem Aa , quemadmodum se habet radius BC ad radium AC: quare erit quoque pondus corporis A ad pondus corporis B ut se habet distantia BC ad distantiam AC.

756. Qnod si corporibus A,& B junctis virgula AB addatur tertium corpus D, quod jungat cum eorum gravitatis centro C alia virgula gravitatis expers CD, punctum E ex quo systema trium corporum suspensum manet in æquilibrio dicetur commune centrum gravitatis totius systematis ; facileque ostendetur summa corporum A, & B esse ad corpus D ut se habet distantia DE ad distantiam CE . Demonstratio autem eodem modo procedet, dummodo supponantur corpora A & B coivisse in unum corpus constitutum in puncto C, quod est centrum gravitatis ipsorum . Sed & idem locum habebit in quatuor, in quinque, in sex, in mille corporibus, quemadmodum plus quam satis manifestum est.

757. Centrum gravitatis systematis plurium corporum tres elegantes habet proprietates , quas nos demonstrabimus tantum in systemate duorum corporum: idem enim nullo negotio ostendetur deinde in systemate plurium . *Prima* proprietas est , quod si per centrum C (Fig.83.) agatur utcumque planum MN , super quo demittantur perpendiculara AD , BE, pondus A ductum in distantiam AD æquale sit ponderi B ducto in distantiam BE. Nam propter triangula similia ACD, BCE est AD ad BE, ut AC ad BC; atqui AC ad BC propter centrum gravitatis est ut pondus B ad pondus A ; quare propter rationum æqualitatem erit AD ad BE ita pondus B ad pondus A; adeoque pondus A ductum in distantiam AD æquale erit ponderi B ducto in distantiam BE.

758. *Secunda* proprietas est quod , si planum MN (Fig.84.) agatur vel ultra, vel citra centrum C inter cor-

pro A, & B, atque super eo demittantur perpendiculares AD, BE, CF, sit B. BE—A. AD=A. CF+B. CF. Transeat enim per punctum C planum aliud *mn* parallelum plano priori MN, cui perpendicula duo AD, BE producta occurrant in punctis *d*, & *e*: eritque per *primam proprietatem* A. Ad=B. Be; demptoque prius communi A. Dd, sive A. CF, deinde addito communi B. Ee sive B. CF, fiet A. AD+B. CF=B. BE—A. CF: ex quo tandem elicetur B. BE—A. AD=A. CF+B. CF.

759. Deniq; *tertia* proprietas est, quod si planum MN ductum sit extra corpora A, & B (ut in schemate 85.) superq; eo decidunt perpendiculares AD, BE, CF, sit A. AD+B. BE=A. CF+B. CF. Ducto enim per centrum C plano *mn* parallelo priori plano MN, productisque perpendiculis usque donec occurrant ei in punctis *d*, & *e*, erit A. Ad=B. Be: adeoque dempto primum communi A. dD, sive A. CF; tum vero addito communi B. Ee sive B. CF; fiet B. CF—A. AD=B. BE—A. CF: ex quo tandem elicetur A. AD+B. BE=A. CF+B. CF.

CAPUT ULTIMUM.

De qualitatibus, quas Physici vocant Occultas.

760. **H**Aec tenus qualitates persequuti sumus, quæ quod notas causas habere vulgo putentur, *Manifestæ* passim vocantur. Supersunt illæ, quæ quia causas habent incompartas, *Occulta* nominari solent. Nobis ut, quod res est, fateamur nulla qualitas, dum causa rogatur, urgeturque non occulta est: nam & quæ usque adhuc differuimus beati simus, si vel quamdam speciem probabilitatis obtineant. Quapropter si de illis pariter, quas *occultas* vocant, attingamus aliquid, longe absimus, ut id quasi ratum, constitutumque proponamus, aut spem faciamus earum causarum, quæ & proximæ, & germanæ omnino sint. Tentamus solum, si ut in aliis, sic in ipsis quoque dicere quidpiam liceat, quod

quod verisimile, aut non omnino remotum haberi possit.

761. Primumque omnium succurrit ut dicamus de attractione quam de universalis illa, quæ obtinet inter magna corpora Universi, Planetas scilicet, atque Cometas, ex qua gravitatem subdiri vidimus, tum etiam de ea, quæ habet locum inter partes minimas corpora illa majora componentes, quæque caput est, atque principium omnis duritiei, ac elasticitatis. Quamquam enim mihi, ut saepius demonstravi, persuasum sit attractionem esse universalem quamdam Naturæ legem à Deo Optimo Maximo constitutam, tamen ad ineundam gratiam eorum, qui causis physis delectantur videndum est, an aliqua ejus ratio adferri possit. Id quod si præstare nobis contingat, antipathia, sympathiaque nominum usum, firmissimum quorundam Physicorum præsidium, labefactasse videbimus.

762. Quippe est hic prænotandum, spontaneos illos motus, quibus nonnulla corpora se petere, vel à se se mutuo fugere observamus, ut & cæteros naturales effectus, qui vulgo admirabiles habentur solere passim ad sympathiam, vel ad antipathiam referri: quod dum fit perinde est, ac si referantur ad qualitates occultas: utrumvis enim effugium præsto est, ad quod ubi se receperunt homines, arbitrantur nihil esse amplius, quod à se jure queratur. Et sane non negandum est, quin omnes, vel plerique eorum effectuum, qui sui admirationem parciunt per aliquam sympathiam, vel antipathiam producantur; sed non videtur existimandum alia ratione id peragi, quam quæ soleat familiaribus effectibus intervenire. Nam quod sympathia sit quædam consenlio, antipathia vero dissensio inter duas alias res, in quarum altera, vel utraque, vel etiam tertia exoritur aliquid, quod nos stupore quodam percellit, non ideo ipsis non competit generalis, familiarisque rebus naturæ omnibus agendi patiendique modus.

763. Hic modus in eo est, ut nullus effectus sit sine causa, ut nulla causa agat sive motu, ut nihil agit in rem distantem, seu cui non sit præsens vel per se, vel per organum aut conjunctum, aut transmissum; ut ni-

il proinde moveat aliud nisi contingendo ipsum vel per se, vel per organum aliquod. Ex quo sequitur quum duas res se mutuo attrahere complectique per sympathiam, aut repellere disjungique per antipathiam dicuntur, id intelligendum sit ea fieri ratione, qua sit in sensibilibus cæteris corporibus nullo alio discrimine, quam subtilitatis, & crassitudinis organorum. Quippe ad quamvis attractionem, complexionemque vulgarem intercedunt uncini, chordæ: ad quamvis vero repulsionem, sejunctionemque stimuli, contive: itaque pari modo ad minus vulgares intelligere licet uncinulos, chordulas, stimulos, contulos, & alia id genus, quæ tametsi invisibilia, atque impalpabilia sunt, non tamen nulla sunt dicenda. Qua quidem in re haud quidem sensus, qui infirmissimi sunt, sed ratio, quæ lux est, atque lumen omnis Naturæ audienda esse videtur, quæque jam olim persualit & *Hippocrati*, & aliis magnis Viris corpora nisi omnia, saltem plurima esse tota perspirabilia, & patere omnino ex ipsis in illa, atque ex illis in hæc insensibiles effluxiones.

764. Atque ut exemplis rem dicamus, quum observamus *Chamaleonem* à sesquipalmo corripere muscam, atque ad os suum pertrahere, organum attractionis videmus; vibratam nempe, & retrahitam perniciitate maxima linguam, cuius extrellum nonnihil vilcidum, introrsumque incurvatum sit. Quid secus existimabimus fieri, quum succinum, cera obsignatoria, cæteraque electrica, ubi ipsa prius perficta sunt, festucas, cæterasque res leviculas proprius admotas corripiunt, trahunt, continentque? Nempe innumeri radioli, tamquam lingulæ videntur emitte ex hujusmodi electricis corporibus, qui suis extremis decussatim ingressi in porulos levicularum illarum rerum ipsas impletant, corripiant, & reduci referant, deincepsque continent. Obstare tantum videtur reduc̄tio; nam in *Chamaleone* sunt musculi linguam retrahentes; non sunt vero in succino, neq; in cæteris corporibus electricis. Sed ut si lingua *Chamaleonis* non tam sponte evibraretur, quam vi manus extraheretur, se se pari modo, ac nervus vi disten-

distentus retraheret; ita radioli ex succino non sponte, sed vi perfrictionis abdueti se se eo modo referre possunt, quo nervi altero extremo abdueti, ac deinde laxati. Et quod abductio quidem aliqua perfrictione fiat, persuaderi potest ex eo, quod hujuscemodi res electricæ pingues sint, atque adeo viscidæ, constetque rem viscidam non posse tangi, quin velut chordulæ, aut filamenta quædam formentur.

765. Difficilis est reddere causam attractionis eorum corporum, quæ nulla egent perfrictione ut excitetur, qualis est inter magnetem & ferrum, inter mercurium & aurum, inter tubos capillares & liquores subiectos. Sed his corporibus suis sunt invisibilis, impalpabilesque atmosphæræ, quæ attractionis vim ipsis concilient, adtribuenda: quamquam difficilimum sit enarrare qualis sit harum atmosphærarum natura, quæve sit earum agendi vis, atque ratio: nisi velimus cum summo Viro Isaac Newtono supponere has atmospheras, sive, ut ipse ait, hæc media ætherea corporibus circumfusa eo esse densiora, quo magis recedunt à superficiebus ipsorum corporum: In hac enim suppositione non difficile est intelligere quare corpora contigua accedant ad se mutuo, atque jungantur in medio. Scilicet ad moto corpore uno ad aliud, utriusque atmosphæræ abeunt in unam solam; adeoque corpora accedere debent, atque jungi eo in loco, ubi atmosphæra utrumque corpus ambiens est minus densa.

766. Audiamus ipsum Newtonum, qui ejusdem hypotheos adminiculo inflexiones luminis prope corpora transuentis explicare nititur. *An non medium hoc æthereum, pro eo ut ex aqua, vitro, crystallo, aliisque crassis, densiusque corporibus in spatia vacua eatur densius evadit pallatim, eoque pacto radios luminis refringit, non simul, semel in uno punto, sed gradatim eos in lineas curvas flectendo?* Et annon medii hujus condensatio, qua ita gradatius fit ad usque intervalla aliqua à corporibus porrigitur; eoque pacto in causa est, quamobrem radii luminis qui prope corporum densorum extrema interjecto aliquo intervallo transuentis infleuantur?

767. Hanc

767. Hanc eamdem hypothesim adsumere cum eodem Isaaco Newtono possumus ad universalem cœlestium corporum attractionem intelligendam, ex qua gravitatem oriri vidimus. Newtoni verba hæc sunt: *Annon hoc medium multo rarius est intra corpora densa Solis, Stellarum, Planetarum, & Cometarum, quam in vacuis spatiis cœlestibus interjectis? & à corporibus istis ad usque ingentia intervalla annon densius perpetuo, densiusque evadit, eoque pædo efficit, ut magna ista corpora erga se invicem gravia sint, & ipsorum partes singula erga ipsa corpora, omnibus nimis rariis corporibus, quæ parte medium densius est, ea ex parte recedere conantibus in partes rariores?* Etenim si hoc medium rarius sit intra corpus Solis, quam in ejusdem superficie, & in ipsa superficie rarius, quam interjecto extrinsecus centefima partis uncia intervallo; & illo adhuc in loco rarius, quam interjecto quinquaginta partis uncia à corpore Solis intervallo, & hoc postremo in loco rarius, quam in orbe Saturni: equidem nihil causa video quamobrem incrementi densitatis usquam locorum ullus constitutus sit finis, quominus per omnia intervalla à Sole ad Saturnum, & adhuc usque porrigitur. Quæ quidem densitas quamquando ingentibus interjectis intervallis fortasse lentissimis augatur accrementis, poterit tamen, si quidem vis elasticæ bujus medii admodum sit magna, corpora vi ea omni, quam gravitatem appellamus à densioribus partibus mediis ad riores versus impellere.

768. Addit deinde hujus medii elasticam vim revera esse immensam; id quod ex vibrationi suarum celeritate colligitur. Nam soni, quos per aerem propagari supra demonstratum est, feruntur circiter 140 pedes Anglicos intra minutum temporis secundum, adeoque minutorum septem, aut octo primorum spatio centum circiter millaria Anglica emetiuntur. Lumen autem, quod per supradictum medium diffunditur, à Sole ad nos defertur circiter septem, aut octo minutorum spatio; quæ quidem inter Solen, & Terram distantia est circiter 9000000 milliarum Anglicorum, si quidem Solis parallaxis sit circiter 12 minutorum. Itaque velocitas

locitas soni se habet ad velocitatem luminis ut 100 ad 70000000 , sive etiam ut 1 ad 700000 : ex quo illud consequens est elasticitatem aeris , per quem sonus diffunditur longe esse minorem elasticitate ætheris , per quem lux propagatur; quamquam illa non mediocris sit.

769. Præter attractionem , & gravitatem multa alia revocari ad occultas qualitates solent , quæ tamen si accuratius discutiantur suis causis naturalibus haud care re deprehendentur. Ut *primo* quod chorda, fidesque tre matum pulsatur unisona , idque immotis aliis chordis dissonis quamquam in eadem chely intentæ sint ; quod phænomenon supra quoque, ubi de sono actum est, attigimus . Et causa in promptu est: nempe chorda percussa certo excussum, recursuumq; numero aerem verberat, qui deinde si in chordam incurrat pari ratione tensam ad eam agitandam erit idoneus ; at vero si incurrat in chordam difformiter tensam, hoc est dissonam, nihil ad eam commovendam valebit . Dixi autem in chordam dissonam: nam si alioquin consona sit, ac potissimum secundum octavam, ut vocant, aut quintam, ea nonnihil etiam tremet, ut eodem loco explicatum est; scilicet quia aer certa ratione agitatus potest agere in omnes chordas, quæ certo harmoniæ vinculo, atque nexu continentur.

770. Ad hoc fortasse caput referendum est, id quod de Tarantula (insectum id est Apulie infectissimum) memorant, scilicet homines ab ea demoros certis cantibus ita affici , ut ad vehementer , continenterque saltitandum excitentur : quæ una dicitur quoque ratio esse, qua discussio, & cum sudore exhalato veneno sanitati restituantur . An vero id fit , quia venenum corporis temperiem immutat, ipsasque nervorum chordulas, ac præsertim *Auditus* ita adficit , ut commensurationem adquirant cum certis sonis, sive cantibus, quibus, si fides præstanda est nonnullis, & Tarantulæ ipiæ adficiuntur. Quum enim sint varia hujuscemodi Tarantularum genera, *Kircherus* auctor est alias aliis excitari cantilenarum generibus, adeo ut fidicine varie concinente , nunc hæ nunc illæ excitentur , tripudientque ad numeros, & unaquæque tum à tripudio desinat, quum ad posita cantilena cedat.

771. Se-

771. Secundo quod flores Heliotropici se se ad Solem semper convertant, ejusque motui obsequantur; unde & nomen ipsum desumplerunt. Id minime quidem referendum cum vulgo est ad amorem quemdam hujusmodi florum erga Solem, sed potius ad lucem caloremque Solis, adque certam hujusmodi florum straturani. Scilicet putandum est hujusmodi fruticem multa uligine abundare, crassaque humiditate imbibui, quæ radiis solaribus agitata, ac rarefacta intra eosdem limites contineri non potest, ac proinde per laxiores poros, hoc est per eos qui ad Solem vergunt, exitum sibi querit. Quum vero hujus fructicis collum sit facile mobile, agitatus humor, qui in tenuissima fila prorumpit, illud eam partem versus convertet, in quam fila diriguntur. Peculiarem hujus floris uliginem ros ille arguit, qui in medio ipsius, dum Sol altissimus est, & ferventissimus, adparet; qui non roris matutini reliquæ haberi debent; quum ille paucas post horas ab ortu Solis evanescat, atque evolet: sed pars est ejus humoris, qui ad Solis præsentiam ex ejus trunco effluit, adque folia usq; floris evehitur. Accedit innata quædam in particulis horum florum dispositio se circumvertendi quaquaversus, quæ quidem dispositio ex speciali textura est: quemadmodum specialis est in Olfactus organo, non vero in cæteris ut ab odoribus pelliciatur.

772. Tertio ad occultam qualitatem revocant, quod ossa in plenilunio medulla oppleantr, cancri vero, atque locusta circa idem tempus magis affluant, quam circa novilunium. Quorum ratio antequam redatur referenda hic est responsio Plutarchi ad quæstionem illam quare *Equi, quos Lupi sunt inseparati, cæteris cursu præstent*. Primo enim ait id mirum non esse; nam si cursu non præstitissent, à Lupis assequuti fuissent laniati: deinde subdit fieri posse, ut laxatis incusso metu artibus, novam agilitatem equi sibi compararint, qua retenta pernicioles evalerint. Denique, id quod verisimilius fortasse est, addit fieri posse, ut id quod proponitur falsum sit. Nos *Plutarchum* imitati, sed tamen eo callidiores primū quidem adfirmamus ea, quæ de ostreis,

ostreis , cancris , & locustris vulgata sunt falsa fortasse esse : nam Viri diligentissimi promiscue & noviluniorum , & pleniluniorum tempore plena , vacuaque se illa invenisse tradiderunt : tum dicimus fieri posse ut clarum lumen Lunæ , quando ea pernox est , alliciat animalia ista ad quærendam captandamque uberiorem escam ; ex quo major eorum affluentia potest.

773. Quarto occurrit hic ut expendamus quare Galli cantus tantopere terreat Leonem , grunnitus vero Suis Elephantem . Nimurum ea est hujusmodi sonorum discrepantia , atq; incomensurabilitas cum contextura organi eorum , ut illud vellicant , discerpant , terroremque maximum excitent . Ea certe ratione ad stridorem ferræ , similesque sonos inhorrescimus , dissonantiamque omnem averlamur , quemadmodum supra , quum de sono aquum est , memoravimus . Nam dicere cum non nullis antipathiam quamdam intercedere inter Leonem , & Gallum cantantem , inter Elephantem & Suem grunnientem , id quidem effutire potius est , quam aliquid dicere . Infinita autem prope sunt , quæ ad hoc caput pertinent , quæ si omnia explicare adgrederer in immensam altitudinem abripi me sentirem .

774. Temperare autem me non possum , quin nonnulla de Torpedine hic dicam , quando de admirabili hujus piscis phænomeno nulli Naturæ rimatori aliquid dictum non est . Phænomenon autem est , quod dorsum hujus piscis tangi nequeat , quin stupor quidam , ac veluti torpedo manum invadat . Hic nonnulli qualitatem quamdam occultam Torpedini adscripserunt , cuius virtus esset hebetandi , stupefaciendique manum contingentem . Alii , ne in rem adeo futilem dilaberentur , eo devenerunt ut dicerent eum corpusculorum halitum ex Torpedine emitte , qui subiens aut pedis , aut manus , aut alterius partis contingentis poros spiritus obvios hebetet , partemque ideo stupefactam , tremulam , atque inhabilem ad motum reddat . Confirmari id posse dixerunt ex eo , quod Torpedo agat etiam ad aliquod intervallum ; quod tamen falsissimum esse diligentissimi Viri experti sunt . Franciscus autem Redus ,

dus, ex Perraultius, qui huic sententiæ subscripterunt, addunt quod quemadmodum ignis emittat ex se per regiones circumjectas halitus quosdam sensui caloris excitando idoneos, ita Torpedo emittere quoque possit corpuscula torpori producendo accommodata.

775. *Joannes Alphonsus Borellus* putat in hoc pisce sive natura, sive per contactum tremorem quedam interdum excitari consimilem ejus, quo chordæ tremulae carent; ex quo tremore stupor in manu subsequitur. Ejus verba sunt: *Hæc Torpedo digitis compressa tremore adeo vehementi concutitur, ut manum contractantem molesto torpore dolorifico adficiat.* Et quoniam non semper hic pisces tali tremore concutitur, non mirum esse ait, si interdum nihil torporis manui contingentι inferatur; id enim ut fiat necesse est pīcēm tangi eo ipso tempore, quo concutitur; si enim tangitur tempore quo quiescit, nihil torporis manui contingentι adveniet.

776. Qiamquam hæc magnam verisimilitudinis speciem præferre videantur, nos tamen *Reaumuro* adsentimur, qui novissime, pluribus captis experimentis, invenit Torpedinis dorsum (quod extrinsecus non-nihil convexum est) eo tempore, quo tangitur introrsum incurvari, deinde in pristinum statum illoco restituī, idque fieri cum tanta perniciitate, ut oculis omnino percipi nequeat: in restitutione autem manum, vel pedem ab ipso dorso leniter pulsari, indeque torporem ortum ducere. Similitudinem hujus motus habemus quodammodo in columbis, quæ alarum instantibus inter se solent interdum depræliari. Ex autem sic se ad pugnam expediunt, ut prius alam verberantem, quam possunt maxime, ad corpus suum recipient, deinde vero instantem ejaculentur. Quod autem Torpedinis instantes fuerit minus manifestus, atque tamdiu hominum industriam eluserit, id quidem velocitati, cum qua infligitur adscribendum profecto est. Quin immo mirum esse debet, quod laudatus *Reaumurius* eum animadvertere potuerit. Videantur Commentarii *Regia Scientiarum Academiae Parisiensis* anno MDCCXIV. editi.

F I N I S.



I N D E X

SECTIONUM , ET CAPITUM,

Quæ in hoc primo Libro continentur.

S E C T I O P R I M A.

De Rerum naturalium Principiis.

CAP. I.	D E Materia, eiusque affectionibus, & proprietatibus præcipuis.	pag. 8
CAP. II.	<i>De soliditate, atque extensione ; ubi de vacuo.</i>	14
CAP. III.	<i>De Corporum porositate : ubi de quantitate materiae, condensatione, rarefactione, & obiter de vis elasticæ.</i>	27
CAP. IV.	<i>De Vacui horrore à natura proscribendo : ubi de gravitate, atque elasticitate Atmosphærae.</i>	36
CAP. V.	<i>Adpendix ad doctrinam de gravitate Atmosphærae superiori Capite expositam.</i>	49
CAP. VI.	<i>De divisibilitate materiae in infinitum.</i>	53
CAP. VII.	<i>Infinita materiae divisibilitas argumentis Geometricis uberioris confirmatur. Consecaria quædam bujus doctrinae illustriora proponuntur.</i>	64
CAP. VIII.	<i>De nonnullis affectionibus materiae, quæ vires passim appellantur.</i>	73
CAP. Ult.	<i>De formis rerum materialium ; ubi quid sentiendum sit de Elementis exponitur.</i>	90

S E C T I O S E C U N D A.

De Motu, unico fiendi principio.

CAP. I.	D E Motu natura, deque variis ejus speciebus. ubi obiter de quiete.	99
		CAP.

CAP. II. De Velocitate Corporum quovis modo motorum. De motu Corporum æquabili, deque spatiis ab iisdem Corporibus percurfis.	109
CAP. III. De Momento, sive de quantitate motus: ubi de justa virium estimatione.	116
CAP. IV. De Naturæ legibus Newtonianis: ubi de vi centrifuga, deque virium, motuumque tum compositione, quum resolutione.	126
CAP. V. De Causis, & legibus motus reflexi, refractique. Obiter de percussione quantitate.	141
CAP. VI. De Motuum legibus, quæ in Corporum collisione locum habent.	158
I. Principia generalia exhibentur, quibus medianibus quorumvis Corporum motus post congressum possunt definiri.	ibid.
II. Corporum non elasticorum leges congressus adferuntur, & demonstrantur.	168
III. Corporum elasticorum leges congressus adferuntur, & demonstrantur.	173
IV. Methodus expeditissima profertur, qua mediante motus Corporum sive non elasticorum, sive elasticorum direcione potentium possunt supputari.	181
V. Theoremeta Hugeniana de motu Corporum elasticorum ex percussione in medium adferuntur, & exemplis illustrantur.	185
CAP. VII. De Corporum adscensu, vel descensu rectilineo.	192
I. De gravium Corporum adscensu, vel descensu perpendiculari.	193
II. De gravium Corporum descensu, atque adscensu oblique.	198
III. De motuum per diversa plana inclinata factorum comparatione.	204
IV. De continuato Corporis per plura plana inclinata descensu.	208
CAP. VIII. De Corporum adscensu, vel descensu curvilineo: ubi de funipendulum motu reciproco.	211
I. De Corporum adscensu, descensuque tum per arcus circulares, quum per arcus cycloidales.	214
II. De	

II. De funipendolorum motu reciproco.	224
CAP. IX. De Motu projectorum, deque arte ballistica.	228
CAP. ULT. De Motu Corporum aquabili in circumfrentiis circulorum; ubi de viribus centripetarum mensuris.	237

SECTIO TERTIA.

De Qualitatibus Corporum.

CAP. I. <i>Qualitatum præcipua differentia indicantur. De qualitatum divisione, easque per tractandi methodo.</i>	248
CAP. II. <i>De sensationibus. De qualitatum natura. Qua ratione, quibusve legibus per regiones circumjacentes propagantur.</i>	253
CAP. III. <i>De Lucis natura, ejusque vulgarioribus proprietatibus.</i>	261
CAP. IV. <i>De Luminis attractione; de eiusdem inflexione, refractione, & reflexione.</i>	271
CAP. V. <i>Refractionis, reflexionisque radiorum lucis selectiora quadam phænomena recensentur, atque explicantur.</i>	285
CAP. VI. <i>De inaequali radiorum luminis ratio refrangibilitate, quam reflexibilitate: ubi de compositione luminis solaris.</i>	293
CAP. VII. <i>De Coloribus generatiis. Tunc de Corporibus coloratis, diaphanis, & opacis.</i>	304
CAP. VIII. <i>De Sono; ubi iterum de lumine, sed cum sono comparato.</i>	310
CAP. IX. <i>De Soni velocitate; deque ipsius insignioribus phænomenis.</i>	327
CAP. X. <i>De Corporibus odoris, eorumque præcipuis phænomenis.</i>	338
CAP. ULT. <i>De Corporibus sapidis, eorumque præcipuis phænomenis.</i>	342

SE.

SECTIO QUARTA.


De Qualitatibus, quae pertinent ad sensum tactus.


CAP. I.	D E Calore, & Frigore; ubi de Thermoscopiis.	348
CAP. II.	De præcipuis Caloris, & Frigoris effectibus, eorumque causis.	360
CAP. III.	De duritate, & fluiditate; deque causis utriusque.	368
CAP. IV.	De præcipuis fluidorum Corporum proprietatibus; deque eorum pressione.	382
CAP. V.	De vi Corporum fluidorum ad sustinenda Corpora solida comparata: ubi obiter de iusto onere navibus imponendo.	392
CAP. VI.	De percussione Corporum fluidorum adversus planas Corporum, quo per ipsa fluida moventur superficies: & de præcipuis hujus percussione adfectionibus.	403
CAP. VII.	De Tubis capillaribus; deque præcipuis eorum phænomenis.	409
CAP. VIII.	De elasticitate, rigiditate, & flexibilitate.	419
CAP. IX.	De Corporum gravitate, & levitate.	422
CAP. X.	De centro gravitatis tum singulorum, quantum plurium Corporum gravium systema componentium; deque præcipuis ejus adfectionibus.	433
CAP. ULT.	De qualitatibus, quas Physici vocant Occultas.	440


Finis Libri Primi.




17452























OPERATIVE
CEREMONIA

